

IDEA
Principis Christiano-Politici
Symbolis CI. expressa,
á DIDACO SAAVEDRA FAXARDO,
Equite, &c.
Ab innumeris priorum editionum mendis expurgata.

PARISIIS,
Apud FRIDERICVM LEONARDVM. 1660.

AD SERENISSIMVM HISPANIARVM PRINCIPEM,

clementiſſimum Dominum noſtrum.

SERENISSIME PRINCEPS, Offero *Serenitati Veſtræ* Ideam Principis Politico-Chriſtiani cælo elaboratam & calamo, eo fine, ut viſu pariter & auditu (quos duos ſenſus ſciendi inſtrumenta appellat Philoſophus) *Serenitatis Veſtræ* animus gubernandi peritiam hauriat, & figuræ iſtæ pro artificiali memoria eidem deſerviant. Quia vero in rebus ejuſmodi politicis facile fallitur humana mens, niſi ab experientia robur illi accedat; nec quicquam aliud reperiri poteſt efficacius ad recte formandum Succeſſorem, quam Majorum exempla, his ipſis in præſenti quoque hoc opere mihi potiſſimum utendum duxi. Qua proinde in re blandiri nemini cupio, diſſimulando defectus, ſi qui forte à nonnullis commiſſi ſunt: nam ſi id facere eſſet animus, haud aſſequerer finem mihi propoſitum, quem

alium non esse profiteor libere, quam ut ab iis, quos in regimine & imperio *Serenitas Vestra* Antecessores habuit, bene laudabiliterque gubernandi scientiam perdiscat. Quare nemo me accuset, quasi in eorundem honorem injurius sim: nulla enim libertas aut Regibus, aut regnis utilior est, quam quæ sincere absque malitia & omni pravo affectu eventus observat præteritos, ut corrigat deinde & moderetur præsentes juxta ac futuros. Habet unum hoc commodum Princeps malus, quod ejus postea cadaver per anatomiam quasi introspicere prudentiæ liceat, & Reipublicæ male administratæ rimari morbos & caussas, atque iis parare remedia. Ita pictores sculptoresque in suis ipsi officinis picturas varias, & statuarum fragmenta sibi proponunt ante oculos, ut quid scite elaboratum, quid secus, curiose observent. Atque ex hoc eodem fonte illa Historiæ in scribendo libertas nascitur; *ne* [a] scilicet *virtutes sileantur, utque pravis dictis, factisque ex posteritate & infamia metus sit.* Idem ego nunc specto, adeoque actiones Progenitorum *Serenitatis Vestræ* quasi iterum produco in scenam, ut quæ

a *Tacit. lib. 3. Annal.*

quæ cum laude gesta sunt ab iis, ad æmulationem gloriosam *Serenitatis Vestræ* inflamment animum; quæ contra minus recte, inhonestum ruborem dent: illa, ut amplectatur & imitetur; hæc, ut detestetur & fugiat. Singularem sane postulat industriam illa bene prudenterque gubernandi ars, quam ego maxime periculosam reor atque difficilem, ex hoc præcipue capite, quod ex unius solius regimine & omnium salute dependeat. Eum in finem multa præstantissima ingenia elaborarunt, ut certa quædam statuerent imperandi præcepta, in quibus Princeps velut in chartis hydrographicis scopulos omnes ac salebras prospiceret, iisque devitatis navem Reipublicæ salvam in portu collocare posset. Sed quia non æque omnes Cynosuram illam cælestem ac divinam, æternam atque immotam habuerunt ante oculos, accidit nonnumquam, ut in vias deducerent periculi plenas, quæ Principes bene multos in syrtes deinde & exitium traxere. Acus nauticæ si impietate, si fraudibus, si malitia fuerint illitæ, viam absque errore designare non possunt. Pietate itaque, ratione, & justitia eos tingat *Serenitas Vestra*, uti à gloriosissimis ejusdem Majoribus

factum est, & constantia quadam ac fortitudine regia firmet animum adversus grandiores regiminis futuri tempestates, quando post multos, eosque felicissimos annos hujus præsentis Deo Opt. Max. *Serenitatem Vestram* in emolumentum totius Reipublicæ Catholicæ ad illud evehere placuerit. Datum Viennæ 10 Iulii, Anno partæ salutis 1640.

DIDACVS SAAVEDRA FAXARDO.

AD

AD BENEVOLVM
LECTOREM.



IN difficili & laborioſo otio tot ſuſceptarum à me per Germaniam, aliasque complures Provincias peregrinationum, nec non & Regiæ legationis per triennium in Germania, centum iſthæc concinnavi Symbola, quibus IDEAM PRINCIPIS POLITICO-CHRISTIANI exhibeo,

 hibeo,

hibeo, scribendo per intervalla quietis tempore; quæ per viam in itineribus cum animo fueram meditatus, quoties assidua illa cum Rege nostro Catholico, ejusque Ministris per litteras communicatio & negotia alia publica, quæ mihi incumbebant, otii aliquid & spatii concesserant. Crevit sensim hoc opus; & tametsi satis viderem multa ei ad perfectionem deesse, propterea quod ea animi quiete & continuata ingenii contentione elaboratum non sit, quanto opus foret, ut partes illius omnes aptæ inter se, & numeris suis expletæ essent; licet etiam nec illud me lateret, [a] *præcipere, qualis debeat esse Princeps, pulchrum quidem, sed onerosum, ac prope superbum:* debui tamen hoc Amicorum precibus (quæ plurimum semper valent apud me) ut illud tandem in lucem emitterem. Quanquam & amorem illum à natura insitum diffiteri omnino non debeo, quo plerique omnes comparati sic sumus, ut non ingenii minus, quam Naturæ partus, quoad fieri potest, fovere & vindicare ab interitu cupiamus. Non ego hæc scribo, ut errores excusem: quomodo enim satis id potero? sed ut facilius apud alios veniam merear, qui non nisi bono inductus zelo inter tot ac tantas occupationes, labores & pericula hanc qualemcunque percolui scriptionem, ut si quis forte ex ea enasci posset fructus, is Principi ac Domino meo cederet; & ne una mecum emorerentur tot longo rerum usu à me partæ experientiæ, per annos quatuor & triginta, quos post exacta quinquennalia in Universitate Salmanticensi studia in præcipuis Europæ aulis transegi, publicis semper negotiis occupatus: nam binæ Pontificum electioni Romæ astiti; interfui Ratisbonæ Electorali conventui, quando Ferdinandus III. Augustissimus nunc Imperator, Rex Romanorum creatus est; octo deinde Conventibus in Helvetia; rursum Ratisbonæ Comitiis Imperialibus Serenissimæ Domus & Circuli Burgundici cum plena potestate Legatus. Quam ob rem si vel unum ex libri hujus monitis & documentis Politicis ei quoquo modo profuerit, quem regendo utrique orbi natum gaudeo, facile credo, huic meæ libertati dabitur venia.

Nec cuipiam peregrinum videri debet, quod figuris & Symbolis usus sim: nam hæc Deum ipsum auctorem habent. Serpens æneus [a], Rubus

[a] Plin. Iun. lib. 3. ep. 18.

[a] Num. 21.

Rubus ardens *a*, Vellus Gedeonis *b*, Leo Samsonis *c*, Vestimenta Sacerdotis *d*, Sponsi blandi Amores *e*, ecquid aliud, quam Symbola sunt?

Illud imprimis conatus sum, ut nova esset inventio, num assecutus omnino fuerim, nescio; multa enim sunt ingenia, quæ elaborarunt ea in re, & facile est, ut in cogitationes easdem etiam inscii conspirent plures, quod mihi in hoc ipso opere non raro accidit, dum ea Symbola quæ à me primum inventa existimabam, apud alios postea reperi, adeoque prorsus omittenda duxi, licet non absque aliquo finis mihi propositi dispendio: nam qui scripserunt ante nos, optimis quibusque figuris & sententiis usi sunt, quas dum cavere nunc volumus, in alias fortè minùs commodas necesse est nos incidere.

Idem quoque observatum à me circa monita quædam, & præcepta politica, quæ licet proprii mei ingenii, quoad inventionem saltem, essent partus, alios tamen posteà eorundem longe antiquiores deprehendi Auctores, quorum nomina idcirco adscripsi in margine, ut suus etiam antiquitati honos haberetur. Fuit hæc ingeniorum, quæ prioribus sæculis floruerunt, felicitas, ut præripere possent Successoribus earum rerum gloriam, quas ipsi suopte Marte & industria erant aliquando inventuri. Sed & illud operæ pretium arbitrabar, si telæ huic fila quædam è Cornelio Tacito intertexerem, optimo sanè principum Magistro, quo accuratius de eorundem Naturis, de aularum & palatiorum moribus, de bono item & malo regimine nemo differit. Hujus tanti viri documentis atque sententiis quasi manu duco Principem, quem hisce Symbolis formare est animus, ut pede inoffenso legere ei liceat flores ex alieno huc transplantatos viridario, & expurgatos à veneno & spinis, quæ aut nativum solum iis confert interdum, aut horum temporum admiscet malitia. Porro præcipuas Status regulas in hac secunda editione Scripturæ sacræ etiam illustro testimoniis: quæ enim Politica in illius fornace excoquitur, ea demum vere dici potest, Davide teste: *f Argentum examinatum probatum terra, purgatum septuplum.* Cui enim bono Magister aut profanus aut impius, ubi Spiritus sanctus Doctoris officio fungitur?

In explicandis ipsis Emblema-

a Exod. 3. *b* Iud. 5. *c* Iud. 14. *d* Exod. 2. *e* Cant. Cant.

f Psal. 11, 7.

blematum figuris longus non sum, ut jucundiùs Lectori accidat, si eas per se ipse intelligat. Et si quid fortè in discursu inspergam eruditionis, id non est ad ostentandam doctrinam, sed ad illustrandum Principis animum, atque ut institutio aliquantò suavior sit.

Opus totum non nisi sententiis constat, & Regulis Statûs: eæ ipsæ enim lapides sunt, è quibus politica construi oportet ædificia. Non eas tamen sic nude & sparsim propono, sed discursui insero, & certis applico casibus, ut pericula devitem, quæ ex præceptis generalioribus creari solent.

Dedi præterea operam, ut stylus esset cultior, absque tamen affectatione, brevis item & concisus, sed sine obscuritate; id quod perdifficile olim judicabat *a* Horatius, & cujus ego exemplum hactenus non vidi in idiomate nostro Castellano. Feci tamen ejus rei periculum, quia quod Principibus scribitur, in eo nec clausulis otiosis, nec verbis superfluis est locus. In pretio illis tempus est, ut proinde haud paullum in bonum peccet publicum, qui inani & futili discursu eos à curis gravioribus avocat.

In institutione & regimine Principum non ita me occupo, quin etiam ad Respublicas descendam, ad earundem incrementa, conservationem & ruinas, ad formandum Ministrum Status, & prudentem aulicum.

Si in aliquorum interdum me effundo laudes, id æmulationis accendendæ fit gratia, non adulandi; à quo longissimè abesse me fateor: grande enim piaculum foret, adulationes in æs etiam incisas toti orbi proponere, aut illius ipsius me facere reum, quod tantopere reprehendo & vitupero in aliis.

Si veritatem liberius proloquar, dominationi id tribuendum, cujus ambitio ita penitus insedit in hominum animis, ut aliter, quam ferro & igne, curari haud possit. Doctrina generalis est, si qui tamen reperientur, *b qui ob similitudinem morum aliena malefacta sibi objectari putent*, quive existiment, culpari in se, quod in aliis commendatur, non mea culpa id accidet.

Si quando Principum actiones improbo, aut de Tyrannis loquor, aut solum de ipsa Principatus Natura: nihil enim novum aut insolens, Principem minimè malum non optimè agere, quia aut celatur de veritate, aut à malis Consiliariis regitur.

Atque

a *Dum brevis esse laboro, obscurus fio.* Horat. Art. Poët.

b Tacit. lib. 4. Annal.

Atque illud ipsum de Rebuspubl. velim intelligi, si qua in re reprehendi à me videantur: nam aut documenta trado de eo, quod plerumque in communitatibus fieri assolet, aut certe non loquor de Rebuspublicis illis coronatis, aut bene constitutis, quæ bonorum Regum ac Principum gubernandi normam æmulantur. Exemplis usus sum tam antiquioribus, quàm recentibus: illis quidem propter auctoritatem; his vero, partim quia ad persuadendum efficaciora sunt; partim etiam, quia ob temporis propinquitatem minus est immutatus rerum status, & minori cum periculò imitari ea possumus, aut majori cum securitate judicium de iis formare politicum & prudens, quæ prima & præcipua ferè est Historiæ utilitas. Accedit illud etiam, a *non adeo virtutum*, rerumque præclare gestarum *sterile* esse hoc *sæculum*, *ut non & bona* nobis & posteris *exempla prodiderit*. Et profecto b invidiæ labes esset, *si vetera extolleremus, recentium incuriosi*.

Sat scio, Lector benevole, libros ejusmodi, qui de ratione Status tractant, truncis aut statuis (Hispanis *Estafermos*) esse similes, quas in hastiludiis omnes lanceis impetunt, omnes feriunt. Sat scio, ei qui in lucem meditatur aliquid, atram fuliginem & prælum obtrectationis esse subeunda (id quod præsenti symbolo declarare volui;) sed & illud non ignoro, quod quanto fuligo illa, qua typi imbuuntur, obscurior est, & prælum, quo premuntur arctius, tanto clariores deinde splendidioresque in lucem prodeunt.

a Tacit. lib. 4. Hist.

b Idem ibid.

ERYCI PVTEANI

Consiliarii ac Historiographi Regii

AD

GVIL. DE BLITTERSWYCK,

Exscabinum Bruxellensem, Regi deinceps à supremis Geldriæ & Zutphaniæ Consiliis,

De Ideâ Principis Politici-Christiani

EPISTOLA.

IDEAM Principis Politici-Christiani, amœnissimis Symbolis, doctissimisque Dissertationibus ornatam accepi; dubius, postquam inspicere cœpi, ab Opere Auctorem, an magis ab Auctore Opus admirarer. Hoc singulare & eximium planè est, omnisque prudentiæ, ac doctrinæ facundissimum simulacrum. Ille omni laude major, humani modum ingenii excedit. Minus est; quod vel Nobilitas, vel Dignitas, vel Fortuna dedit. His tamen singulis summum SAAVEDRAM esse, mille & mille jam linguis fama loquitur. Et quis aptior Paci tractandæ erat? Rex noster tali Viro potens est; quia tota, ut sic dicam, Pallade armatus. Etiam in verbis arma esse, hæc SYMBOLA prorsus divina ostendunt. Eæ igitur deliciæ meæ erunt; & vel ipsas curas mitigabunt. Sic etiam tantum Virum compellare meis audebo Litteris, ac cœleste ingenium ejus familiarius incipiam venerari. Aliudne jam scribam? Satis ista, ut epistolam faciant. Vale, & me amare perge. Lovanii, in Arce, v. Non. Octobris, ∞ I Ↄ C XLIII.

EIVS-

EIVSDEM
AD AVCTOREM IDEÆ PRINCIPIS POLITICI CHRISTIANI.

Illustrissime ac Excellentissime Domine,

Palladis Decus, Spes & Fiducia Pacis!

SCribendi libertatem ab ingenio tuo plane divino, & ab humanitate blandissimo virtutum omnium ornamento sumo. Ingenium quidem cœlesti quodam lumine in SYMBOLIS POLITICIS *resplendens, ita pectus penetravit meum, ut inflammatus sim, Amorisque delicias ab hoc igni derivem. Humanitas accedit, illa Sapientiæ aura, Eruditionis anima, & Amorem ad familiaritatem impellit. Video, video, quidquid Sapientiæ est, quicquid Eruditionis, in his Imaginibus, in his Dissertationibus; nec minus doceor, quam oblector. Cedunt picturæ aliæ: hic nobis Apelles est, qui ingenio & lineas, & colores omnes vincit. Cedant libri: hic nobis Scriptor est, qui in eloquio totam complexus Sophiam unus perfectam* PRINCIPIS POLITICI-CHRISTIANI IDEAM *efformat. Nihil amœnius, nihil utilius: ubi flores, simul fructus sunt: in horto horreum, in horreo hortus. Inveniunt oculi delicias suas, divitias animus, & expleri potest. Quam nihil igitur* PARADINUS, *qui Symbola scripsit Heroica, passimque æstimatur, in medium protulit: quam multa etiam male. Reliqui, constituere hanc amœnitatem conati sunt, vix ausi usurpare. Nimirum summo hic ingenio opus, quod Natura* TIBI *dedit; summa eruditione, quam industria, rerum, & studiorum usus. Tua hæc gloria est, ô Virorum Phœnix, qui uno Volumine, centumque Symbolis comprehendere potuisti, quod aliorum mille libri non exhibeant. Hic est, quicquid ubique est, quicquid vetu-*

sta & nostra tempora habent, sacra & profana. Exempla velut lumina sunt, sententiæ velut gemmæ, Opus totum non nisi aurum, in omni doctrina censu & ab omnibus, etiam posteris, æstimandum. Prodeat igitur, ut publicum sit; ut Principes omnes doceat, quomodo verè Principes sint: se, aliosque regant; felices sint, felices vero alios suo non minus Exemplo, quàm Imperio faciant. Hoc meum nunc votum est; sed tuum beneficium, quod tuo ingenio, tuæque Eruditioni & Principes, & Populi acceptum ferent. Ita vale, EXCELLENTISSIME DOMINE, *& ut Amorem Cultumque Æternitati tuæ dedicem, hoc ingenii mei munusculum, velut pignus, admitte. Lovanii, in Arce Regia, Pridie Nonas Octob.* ∞ IↃC XLIII.

AVCTORIS RESPONSVM.

AMplissime & Clarissime Vir, *Musarum unica Gemma*,

Hæc perlustrantis Orbem pulcherrima merces, ut quemadmodum in nova fulgentia sydera, ita in celebres, & illustres viros incidat, prout mihi jam contigit. Etsi enim divinum tui animi vultum doctissima opera depinxerant (calamus enim genii & ingenii penecillus est) cultum tamen & familiaritatem invida longinquitas averterat; sed cum in has Provincias perveni, propiusque ad te accessi, hæc à benigna humanitate tua merui, & jam Amicum experior, tuâque doctissimâ & amabili epistolâ decoratus sum, eâ elegantiâ, ac venusto styli cultu exaratâ, ut si ab eâ laudes in Symbola mea Politica collatas amovere liceret, millies legerem: sed prohibet pudor. Laudari à laudato, magnæ existimationis est; sed à te laudato & Eruditissimo Viro maximæ

quidem,

quidem, velut gloriosum & ære perennius monumentum: quidquid enim profers, avidè *Typi Plantiniani* excipiunt, & æternitati vovent, & consecrant. Sed licet impares laudes potius oneri quam honori sint, has tamen velut tuæ ardentis benevolentiæ & amicitiæ indices veneror. Abundas laudibus, & tibi & aliis, & non absque fœnore & usurâ famæ eas impertiri potes; quia cum reliquos laudas, ipsomet singulari laudandi stylo & facundiâ te omnibus laudandum præbes.

Vnâ cum epistolâ tuâ accepi Libellum DE BISSEXTO, munus quidem cæleste, mihi gratissimum. In eo arbiter cælorum & temporum vias Solis metiris, annumque componis, & licet superni illius Orbis fabrica magis opinioni quàm scientiæ subjaceat, ita compositam crediderim: sin minus, divinæ sapientiæ æmulus, quomodo posset aliter construi, ostendis edocesque. Nec minus mihi gratus alter libellus simul compactus, cujus titulus VNVS ET OMNIS. Symbolum enim est tui divini ingenii, in quo uno omnia sunt: scilicet quidquid doctrinæ & scientiarum singuli docti viri hucusque labore, studio, & ingenio, imbiberunt, in te collectum suspicimus & miramur. Vive igitur feliciter, diuque, ô hujus ævi, & futurorum gloria, & Patriæ decus, ut à te uno omnes doceamur, & me ama. Bruxellæ XIII. Octob. M. DC. XLIII.

LE-

L E C T O R I
Liberali sed temporis Avaro.

Didacus, *ut populi Regumque* Monarchida; cœtu
Effugium humano *jam properare* videt:
Quo te diva refers? quorsum deduceris? inquit
Hospitii hoc *nostri te remoretur*, Ave.
Dixerat illa subit tectum revocata, Savedræ
Hospitis & cari traditur obsequio;
Ille D E A M reverenter *habet, cœtuque redonat*
Pristino; *&* has *Orbi* spargit *amicus, opes*
Has lege, *quisquis* aves: *grati neque Munera sperne*
Hospitis, à tantâ *munera tanta* D E A.

Anno Christi nati 1649. sextili exeunte Christ.
Adauctus Thuldenus Populo-Martius.
Canonicus Diaconus ad Gradus B. Mariæ Virg. Coloniæ, professor Laurentianus.

A L I V D.

Symbola, *qua rarâ arte* Politica *doctè polisti*:
D A S V E R A *& libri fronte* S A V E D R A *probat*.
Mundus ut exerret, Liber ac Impressio *signant*:
Quando tuum hac typico crimine fœdat opus.
Ergo typum excusa, Lector, fors labe notatum:
Si non errasset, fecerat ille minus.

Typographiæ Woringeno-Hildenianæ
à Correctura

P E T R V S H I L D E N I. S.

D I D A.

DIDACI SAAVEDRÆ SYMBOLA POLITICA.

SYMBOLVM I.



NAscitur animus fortis, non arte paratur aut industria. Interior animæ dos est robur illud, atque adeo cum ipsa anima pectori inditum, mox sese exserit. Ambobus fratribus Iacobo & Esau uterus ipse maternus

arena

arena fuit. a Inter gemellos Thamaris filios alter natura animosior, cum fratrem prævertere nascendo non posset, ruptis tamen secundis, brachium prior in lucem extulit, tanquam qui fratri primogenituram vellet præripere. b Nec in cunis præstanti animo deesse potest gloriæ & laudis seges. Quid; suas nonne Hercules elisis anguibus illustres reddidit? Ex eo sane die invidiæ telis sese objicere, & Fortunam virtuti suæ faventem experiri visus est. Generosi pectoris indoles, vel in ipso naturæ & actionum suarum primordio, siquid occurrerit arduum, emicat. Conflictum ad Nordlingam prius ferme, quam ipsa vidit castra Sereniss. Hispaniarum Infans Serenitatis Vestræ Patruus, gloriosissimæ memoriæ, & jam tum norat prudenter mandata dare, & agere fortiter.

c *L'eta precorse, e la speranza, e presti*
Pareano i fior, quando n'uscirono, i frutti.

Cyrus admodum puer, & à coætaneis electus in Regem, in ea ætatula & impetrio puerili tam præclara edidit facinora, ut latentem magnitudinem animi & indolem regiam satis ostenderet. Egregii scilicet naturæ partus, ipsi sese suopte nutu produnt. E rudi etiam & nondum expurgata metallorum massa scintillat adamas, & resplendet aurum. Leunculus simul ac lucem aspicit, suos explorat ungues, & regium velut ostentans animum adhucdum humentes colli jubas concutit, & præludit pugnæ. Lusus Principum pueriles, ad quos naturæ feruntur impetu, actionum maturiorum signa sunt, & prognostica. Natura nunquam absque omni negotio est, ne ad momentum quidem; quin ab ipso prolis exortu solertem adhibet operam, ut corpus una atque animus formentur probe. Ea re amorem illum tam vehementer parentibus indidit, qui curam acuat liberos recte honesteque educandi; ne vero ipsi, quod fieri nonnunquam solet, simul cum nutricis alienæ lacte vitia etiam & mores improbos imbiberent, matres ipsas eadem provida dispensatrix natura duplici quasi instruxit fonte candidioris sanguinis, unde alimenta suppeterent fœtui. At inertia, aut formæ amittendæ metus non raro in caussa est, cur matres non absque insigni Reipublicæ detrimento suo fungi nolint officio, & prolis lactationem committant aliis. Qui abusus cum ita facile corrigi nequeat, danda minimum est opera, ut magnus ea in re habeatur delectus. *Este es* (verba sunt sapientissimi Regis Alphonsi, qui terræ cæloque præscripsit leges) *en darles Amas sanas y bien acostumbradas, e de buen linaje, ca bien asi como el ninno se govierna, e se cria en el cuerpo de la madre, fasta que nace, otro si se govierna,*

a *Sed collidebantur in utero parvuli* Gen. c. 25. 22.

b *Instante autem partu apparuerunt gemini in utero: atque in ipsa effusione infantium unus protulit manum.* Gen. c. 38. 27. Torquat. Tass. Gofr.

na, e se cria del Ama; desde que le da la teta, fasta que gela tuelle, e porque el tiempo de la crianza, es mas luengo, que el de la Madre, por ende non puede ser, que non reciba mucho del contenente, e de las costumbres del Ama.

5. Altera parentum obligatio est institutio liberorum, & disciplina. *a* Vix ullum est reperire animal quod fœtum suum ante destituat, quam satis instructus ille sit. Nec minoris momenti est, quod ab educatione proficiscitur, quam quod natura ab initio contulit: præterquam quod documenta & correptiones parentum facilius, quam aliorum admittant filii. *b* Ii cumprimis, qui illustribus orti natalibus ab inferioribus dirigi plerumque renuunt. In prima sui procreatione nil quidem præter corpus à patre accepit filius; anima namque solum Deum authorem habet, quam nisi deinde magis magisque excolat erudiendo pater, *c* veri absolutique patris nomen vix merebitur. Nec in Scriptura novum, magistrum appellari patrem. Iubal exemplo sit, qui primus Musicam edocuit. *d* Et quis obsecro, melius ipso Principe erudierit filium, quomodo conciliare oporteat majestatem, quomodo decorum servare in omnibus, tueri authoritatem, & regere subditos: *e* Qui ipsemet sedit ad Reipublicæ gubernacula, usu atque experientia isthæc omnia condidicit, quæ alii ex parte solum, & speculando assequi potuerunt. Nec immerito Salomon Rex multa sese è disciplina patris hausisse gloriabatur. *f* Attamen quia parentes ipsi nonnunquam ab iis instructi satis non sunt, quæ ad honestam liberorum educationem requiruntur, aut certe curæ isti vacare non possunt. *g Quærendi sunt liberis magistri, quorum inculpata sit vita & mores:* eruditionis item, & experientiæ laude insignes, quales in suis legibus describit Alphonsus Rex, dum ait: *h Onde por todas estas rasones deben los Reyes querer bien guardar sus Hijos, e escoger tales Ayos, que sean de bien linaje, e bien acostumbrados, e sin mala sanna, e sanos, e de buen sese, e sobre todo, que sean leales, derechamente amando el por del Rey, e del Reyno.* Addo fortes eos etiam & magnanimos esse oportere, domi militiæque in rebus tam belli quam pacis optime versatos, qui Principem Reipublicæ præesse recte docere noverint. Seneca talis fuit, quem ideo Agrippina Neroni instructorem dedit. *i Vt Domitii*

a *Filii tibi sunt? erudi illos.* Eccl. 7. 25.

b *Educati siquidem recte à parentibus, per sanctos & justos mores merito boni evadent.* Aristot. Oecon. lib. 2.

c *Sapientia filiis suis vitam inspirat.* Eccl. 4. 12.

d *Pater canentium cithara & organo.* Gen. 4. 2.

e *Prabe, fili, cor tuum mihi, & oculi tui vias meas custodiant.* Prov. 23. 26.

f *Nam & ego filius fui patris mei tenellus, & unigenitus coram matre mea, & docebat me.* Prov. 4. 3.

g Plutarch. de educ.

h Lib. 4. tit. 7. part. 2.

i Tacit. lib. 12. Annal.

mitii pueritia tali magistro adolesceret, & consiliis ejusdem ad spem dominationis uteretur. Non potest, mihi crede, qui abjecto & humili est animo, cogitationes sublimiores imprimere Principi. Si aquilam instrueret noctua, non oculos doceret in solem intendere, non altas cedros volatu transcendere; in tenebris, intra depressiores arborum ramos disciplina tota consisteret. Imago magistri discipulus est, & in hoc aliquam sui effigiem ille exhibet. Nec alia de causa Iosephum *a constituit* Pharao *Dominum & Principem omnis possessionis suæ*, quam *ut erudiret Principes ejus sicut semetipsum*.

S. Qui filiis Principum magistri & rectores præsunt, à tenera ætate curare illos sic debent, ut hortulani teneriores plantulas, quas ante etiam, quam è terra protuberent, muniunt sepimentis, ne pede cujusquam aut manu offendi possint. E delineatione prima ultima picturæ pendet perfectio; haud secus bona educatio ab iis, quæ tenerior hauserit ætas, prius quam affectus vires sumant, & rationis detrectent imperium. *b* E minutissimo semine ingens arbor enascitur, sed sub initium non nisi tenella virgula est, quæ in omnem se flecti partẽ facile patitur; post ubi induerit corticem, & in ramos sese effuderit, nulli robori cedit. Affectus in pueritia veneno haud multo sunt absimiles, quod ubi semel ad cordis interiora pervaserit, nullum postea pallori relicto superest remedium. Virtutes quæ cum ipsa ætate incrementa capiũt, non aliis præstant solum, sed quod mireris, etiam seipsis. *c* E quatuor animantibus alatis, quas vidit Ezechiel, aquila ex hoc ipso numero una, omnibus iis quatuor ferebatur sublimior; *d* nam quia ipsa ex primo suo statim ortu alas habere occœperat; aliæ vero non nisi longe post; non supra has solum, sed se ipsam etiam eminebat. Id quia non æque omnes, ac par est, expendunt; hinc fieri reor, quod filios suos bene multi mox ab incunabulis muliercularum curæ committere soleant, quæ inani umbrarum metu pro genio sui sexus parvulorum deinde effœminant animos, aliasque muliebres iis imprimunt affectiones, quæ altas cum tempore radices agunt. *d* Optimus olim Regum Persarum mos, ut *e nutriretur puer non à nutrice muliere parum honorifica; verum ab Eunuchis, qui reliquorum circa Regem optimi viderentur.*

Potissimum vero jam inde à primula ætate ad parvulorum naturam animum oportet advertere, absque cujus notitia educatio recte institui

a Psal. 104. 21. & 22.

b Curva cervicem ejus in juventute, & tunde latera ejus, cum infans est, ne forte induret, & non credat tibi, & erit tibi dolor animæ. Eccl. 30. 12.

c *Bonum est viro cum portaverit jugum ab adolescentia sua; sedebit solitarius, & tacebit, quia levavit super se.* Thren. 3. 27. & 28.

d *Et facies aquilæ desuper ipsorum quatuor*, Ezech. 1. 10.

e *Adolescens juxta viam suam, etiam cum senuerit, non recedet ab ea.* Prov. 22. 6.

tui non potest; sed nulla ad eam rem aptior infantia, quando natura omnis adhuc doli aut simulationis expers *a* sincere se ipsam detegit, atque in fronte, in oculis, in risu, in manibus, aliisque corporis motibus suos sine fuco prodit affectus & inclinationes. *b* Bearnæ Legati facultate sibi facta ab Illustriss. Domino Guilielmo de Moncada, ut alterutrum è duobus ipsius filiis legerent Principem, cum unius manus in pugnum clausas, alterius contra explicatas in palmam observassent, hunc præ illo elegerunt, quod liberalitatis & munificentiæ signum id interpretarentur, nec vano omine, ut eventus docuit. Si infans generoso & excelsiori sit animo, ad suas laudes frontem exporrigit, serenat oculos, subridet ore; contra si qua in re vituperetur, tristitiam præ se fert, suffunditur rubore, & oculos demittit. Si animo infracto, obfirmat vultum, non umbris terretur, aut minis. Si liberalis, munuscula respuit, aut prompte largitur iterum aliis. Si appetens vindictæ, fovet iras, nec lacrymis facile ponit modum, donec sibi satisfiat. Si biliosus, exardescit levi de causa, deprimit supercilia, limis contuetur, minitatur pugno. Si benignus, suaviter arridendo, & blandientibus ocellulis sibi conciliat animos. Si melancholicus, fugit consortia, amat loca sola, multus est in ejulatu & lacrymis, in risu parcus, fronte ut plurimum tristiore. Si hilaris, nunc frontem explicat, & grato oculorum obtutu lucem amœnam spargit, nunc eosdem blande inflectendo, & palpebris suaviter connictantibus animi serenitatem prodit. Pari modo cæteras quoque virtutes & vitia in exteriori corporis motu & vultu cor exhibet, donec cautior ætas ea contegere noverit. In ipsis cunis, inter nutricum adhuc brachia jam tum elucebat in Serenitate Vestra cum aulæ totius admiratione innata quædam amœnitas simul & decora majestas, qua manus oscula admittebat; & vero supra ætatem erat illa morum gravitas & præsentia animi, quam eadem Vestra Serenitas id temporis præ se ferebat, cum duo regna Castellæ & Legionis obedientiæ juramento sese illi adstringerent.

5. Hæc tamen ego dici sic velim, ut ista de ætate infantili judicia non rata semper habeantur & certa: etenim recedit quandoque à communi lege natura, & fallit animum curiosius ista perquirentem. Sunt, qui à prima statim infantia ab honesto deflectant: ast ubi adoleverint, redeunt ad frugem, & mentem à vitiis sevocant; quod ideo fortassis accidit, quia generosus & excelsior animus, dum debilior est ad resistendum recta ratio, educationem desugit, adeoque naturæ succumbit affectibus, quod ipsa ratio facta robustior suos deprehendit errores, & effica-

a Plut. Primo Alcib.
b *Juvenes non sunt maligni moris, propterea quod nondum viderunt nequitias.* Arist. Pont. Heut. in Gen. Com. Bea.

efficaciter corrigat. Quapropter crudelis fuit & barbarus Brachmanum mos, qui post alterum à partu mensem proles suas, si quæ deterioris naturæ in iis sese proderent indicia, aut necabant, aut exponebant in silvis. Nec ferendi Lacedæmonii, qui easdem in profluentem Taygetem abjiciebant. Qui omnes nihil educationi, nihil rectæ rationi & liberæ voluntati, quæ naturæ affectus corrigere solet, tribuere visi sunt. Illud etiam monstro simile censeri potest, dum interdum Natura eximias aliquas virtutes cum enormibus vitiis in homine eodem perinde sic sociat, ac ramis duobus inseri solent diversi surculi, qui de eadem viventes stirpe diversos plane, imo contrarios, amaros nimirum & dulces proferunt fructus. In Alcibiade id videre licuit, de quo merito dubitaveris, magisne vitiis, an virtutibus fuerit insignis. Et hæc quidem naturæ sunt opera, priusquam sese ipsa nosse cœperit; sed ratio postea & industria ea emendant, expoliunt, perficiunt.

§. Denique cum propositum mihi sit, per isthæc Symbola à cunabulis ad tumulum usque recte formare Principem, operæ pretium erit, doctrinam & stylum ad singulas ipsius ætates accommodare, quemadmodum etiam Plato & Aristoteles fecere. Nunc illa summatim moneo, curetur imprimis, ut frequentiore exercitatione agilitatem aliquam brachiorum & tibiarum sibi comparet. Quod si forte membra ob teneritudinem intorqueantur, artificiosis quibusdam instrumentis in rectum poterunt porrigi. a Res aspectu horribiles, quæ vim imaginatricem queant offendere, ne ei proponantur ante oculos; neve sinatur obliquis oculis transversum aliquid contueri. Ad inclementiam aëris pedetentim assuefiat. Nec desint moduli Symphoniaci, ad excitandum subinde spiritum. Lusitatiunculæ ipsius sint libri & arma, ut iis sensim capiatur animus; quicquid enim novum occurrit pueris, hoc admirantur, & firmius phantasiæ imprimunt.

a *Cæterum ne propter teneritatem membrorum torqueantur, Nationes nonnulla artificiosis instrumentis utebantur.* Aristot. 7. Polit. 17.

SYMBOLVM II.

COloribus & penicillo ars scite omnia exprimit. Ea de causa si ars pictoria Natura non est, ad eam certe tam prope accedit, ut in suis sæpe operibus fallat oculos, atque adeo manus ipsæ in judicium adhibendæ sint. Animam corporibus impertiri non potest; at venustatem, motus atque affectus ipsius animæ non raro iisdem tribuit. Tametsi vero corpora ipsa materiæ defectu plene effingere nequeat, artifice tamen penicillo ita venuste ea delineat in tabula, ut præter ipsam vitam non sit, quod

potte



porro desideres. Æmuletur, credo, arti Natura, si quo modo id posset. Nunc vero adeo benigna ea est, ut artis etiam opera in multis uti consueverit: quæcunque enim hujus beneficio & industria possunt perfici, iis supremam manum Natura ipsa non imponit. Sic hominem nasci videmus omnis omnino idiomatis & cognitionis expertem, ut in ejusdem animo deinde, velut in rasa quadam tabula, institutio ac doctrina optimarum artium & scientiarum depingat imagines, & morum documenta inscri-

inscribat educatio; non absque insigni humanæ societatis emolumento: ita enim fit, ut dum alter alterius eget opera, mutuo amoris & gratitudinis nexu magis invicem mortales copulentur. *a Omnibus Natura fundamenta dedit semenque virtutum; omnes ad ista omnia nati sumus, cum irritator accessit, tunc illa animi bona velut sopita excitantur.* Sed statim à teneris id fiat oportet, dum animus ad omnem formationem magis idoneus est, atque ad disciplinas capiendas ita facilis, ut magis reminiscendo ad eas recolere videatur, quam primum addiscere; quo argumento animæ immortalitatem divinus Plato astruebat. *b* Quod si ea cura in ætate prima negligatur, affectus sensim vires sumunt, & inclinationes suas pravas adeo firmiter imprimunt voluntati, ut nulla post educationę valeant corrigi. Vrsa mox ab ipso partu informem fœtum, dum mollis adhuc est, circumlambendo perficit, & effingit membra, omnem alias perditura operam si indurescere sineret. Sapientissime meo quidem judicio Persarum Reges iis præceptoribus & magistris filios suos ab incunabulis committebant, quibus primo ætatis septennio efformandi corporis, altero dein ejusdem porro corroborandi armorum & pugillationis exercitio cura incumberet; tum demum quatuor alios viros selectiores iis adjungebant, qui eos effecturi quam optimos crederentur. Et primus quidem, eruditionis laude insignis literas tradebat. Secundus, vir moderatus ac prudens regere docebat, & frænare appetitus. Tertius, æqui rectique amans justitiæ administrandæ normam inculcabat. Quartus denique, egregie fortis, & rerum bellicarum apprime peritus in disciplinis militaribus instruebat, maxime vero imbellem metum & formidinem, additis etiam ad gloriam stimulis, eorundem animis studebat adimere.

5. Est vero hæc bona educatio in Principibus cumprimis necessaria, quippe qui instrumenta sunt felicitatis politicæ, & publicæ salutis. In aliis neglectæ bonæ educationis dispendium officit singulis, aut certe non nisi ad oppido paucos pertinet; in Principe vero non solius ipsius tantum, sed commune omnium malum est, dum is aliis facto nocet, exemplo aliis. *c Homo rectam nactus institutionem, diviniſsimum, mansuetiſsimum animal effici solet, si vero, vel non sufficienter, vel non bene educetur, eorum quæ terra progenuit ferociſsimum.* Quid, obsecro, de Principe à teneris male educato, & suprema jam potestate armato tibi polliceri ausis? Alia Reip. damna longùm durare haud solent, hoc non nisi cùm ipsa Principis vita terminatur. Quanti ad virtutem intersit, bene honesteque educari, probe perspectum habuit *d* Philippus Macedonum Rex, hinc

a Seneca Epist. 10.
b Plato de An.
c Plato lib. 3. de leg.
d Gell. lib. 9. noct. Att. cap. 3.

hinc cum Alexandrum filium suscepisset, datis ad Aristotelem literis, multum Diis se debere testabatur; non tam quod natus sibi is esset, quam quod eo potissimum tempore, quo tali uti magistro liceret. Et sane nunquam expedit naturam alias bonam sibi relinquere, & sinere, ut per se ipsa operetur, quando ea etiam, quæ melior haberi solet, imperfecta est, & industria aliena opus habet excoli, uti pleraque omnia homini ad bene vivendum necessaria. Ita absque labore & sudore nihil fere ei obvenit, quæ pœna est ex prima protoparentum noxa etiamnum debita. Ab arbore fructus dulciores qui speres, nisi aut eam transplantes, aut insitionibus in stirpes magis cultas, & generosiores sylvestrem naturã corrigas? a *Educatio & institutio commoda bonas naturas inducit, & rursum bonas naturas, si talem institutionem consequantur, meliores adhuc & præstantiores evadere scimus.* Hæc caussa fuit, cur Trajanus Imperator tam in gubernando evaserit insignis, quia scilicet ad indolem non malam industria accesserat, & bona directio Plutarchi præceptoris. Nec unquam immanitatem illam induisset Petrus Rex cognomento Crudelis, si Ioannes Alphonsus Albuquercius, quem moderatorem habuit, ferocem ejus animum dextre mitigare scivisset, & frangere. Eadem scilicet ingeniorum differentia est, quæ metallorum, quorum alia igni resistunt, alia cedunt, & in eo colliquescunt; scalpro tamen & malleo omnia domari possunt, & in tenuissimas duci laminas. Ita nullum prorsus ingenium est adeo durum, in quo cura & correctio non promoveant aliquid. Tametsi fateor, solam institutionem ad inferendas virtutes non semper sufficere, eo quod sub purpura tanquam inter vepres & sylvas nonnunquam pullulent in excelsioribus animis quædam vitiorum monstra, quæ corrigi se deinde non sinunt. Et quæso te, quid proclive magis, quam corrumpi juventutem deliciis, libertate & adulationibus in Principum aulis, in quibus plerunque subnasci solent multi affectus pravi & vitiosi; haud secus atque in agris male cultis succrescunt spinæ, & herbæ noxiæ atq; inutiles. Quæ proinde aulæ, si bene formatæ & institutæ non sint, cura bonæ educationis perparum proficiet: ipsæ namque formis fusoriis videntur similes, adeoque sic formant Principem, prout bene vel male affectæ ipsæ fuerint, & virtutes ac vitia, quæ semel in ipsis cœperunt invalescere, per ministros ad successores transmittunt. Vix rationi vel discursui locus est in Principe, quando aut adulando nimiam parentum & majorum in agendo libertatem deprædicant aulici, aut res ab iisdem præclare & cum laude gestas, ac familiæ quasi proprias illi proponunt ante oculos. Quinimmo ex hoc fieri amat, ut in familiis nonnullis certi quidam mores & affectus è parentibus in filios, successione continua propagentur, non tam innati sanguinis vi, cum nec diuturni-

a Plato Dial. 4. de leg.

tas temporis, nec matrimoniorum commixtio immutare eos soleat, quam quia in ipsis aulis vigent, ubi infantia eos imbibit, & quasi convertit in Naturam. Hoc modo apud Romanos olim Claudii habebantur superbi, bellicosi Scipiones, ambitiosi Appii; uti nunc in Hispania Gusmanii putantur boni, Mendozæ humani, Manriquesii formidabiles, Toletani severi & graves. Idem in artificibus videre licet, ubi aliqui in familia semel excellere cœperint, facile id postea transfundunt in posteros, quos artis suæ habent spectatores, quibusque opera sua & laborum monumenta post se derelinquunt. Accedit ad hæc, quod adulatio errori mixta sub specie virtutis quandoque commendet in puero, quæ virtutis nomen haudquam merentur, uti sunt nequitia, ostentatio, insolentia, ira, vindicta, & alia istius modi generis vitia; dum falso sibi nonnulli persuadent, magni Principis ea esse indices; quo etiam fit, ut porro iis insistat ardentius, & veras virtutes negligat, perinde ac puella interdum, si ab animositate laudetur, aut agendi libertate, magis sese ad ista dat, quam ad modestiam & honestatem præcipuas sexus istius dotes. Etsi vero ab omni omnino vitio juventutem arceri deceat, ab iis tamen vel maxime, *a) quæ vel turpitudinem habent, vel odium pariunt*, eo quod ista facilius sese in animos penetrent. Cavendum itaque, ne turpe quid, aut lascivum Princeps inaudiat, multominus permittendum, ut loquatur ipse: nam *b facile turpia loquendo efficitur, ut homines his proxima faciant.*

Quare huic malo vitando solebant Romani matronam aliquam è sua familia annis & moribus gravem deligere, quæ filiis præesset moderatrix, & bonæ eorum educationi omni cura intenderet, *c coram qua neque dicere fas erat, quod turpe dictu; neque facere, quod inhonestum factu videretur. Qua disciplina ac severitas eo pertinebat, ut sincera & integra, & nullis pravitatibus detorta uniuscujusque natura toto statim pectore arriperet artes honestas* Atq; hanc educandi curam suo jam tempore negligi cœpisse: liberos vero inter servos educari solitos, quorum vitia discerent imitari, graviter idem ille auctor conqueritur. *d Nec quisquam*, inquit, *in tota domo pensi habet, quid coram infante domino, aut dicat, aut faciat: quando etiam ipsi parentes, nec probitati, neque modestiæ parvulos assuefaciunt, sed lascivia & libertati.* Id quod hodie dum in plerisque Principum aulis usu venit. Nec aliud isti malo remedium est, quam ut submoveantur aulici tales vitiis dediti, & in eorum locum surrogentur alii probatæ virtutis, qui Principis animum ad honestiora, & ea, quæ veram pariunt gloriam, inflammare possint. *e Neque enim auribus jucunda convenit dicere, sed ex quo aliquis gloriosus fiat.* Vbi aula à virtute semel defecerit, mutari ipsa solet, non corrigi.

a Aristot. Polit. 7. c. 17.

b Ibid.

c Quintil. dial. de Orat.

d Quint. ibid.

e Eurip. in Hippol.

gi, nec Principem meliorem desiderat. *a* Ita *Neronis aula*, ut Taciti verbis utar, *in Othonem prona erat, ut similem.* Quod si tamen illud Principi facere non licuerit, fugiendum potius ab ista aula censeo, uti fecisse meminimus Iacobum *b* Primum Arragonum Regem: cum inique se opprimi cerneret ab iis, qui ipsum educabant, & constrictum quasi tenebant in carcere. Neque aliter aulas istas appellaverim, ubi in eo potissimum elaboratur, ut voluntas & arbitrium Principis in turpem redigatur servitutem, neque in ullam sese ultro partem, & pro libitu is flectere sinitur; sed vel invitus trahitur, quo volunt aulici: ad eum ferme modum, quo aqua per occultos canales solo usu & agri beneficio ducitur. Quid proderit, amabo, bona indoles & educatio, si Principi videre, audire, scire, alia non licet, quam quæ cupiunt ii, qui latera ipsius stipant? Quid miri *c* Regem Henricum, ejus nominis Quartum, Castellæ Regem, tam evasisse socordem, tam in aliis omnibus Ioanni Secundo Patri suo Regi similem, posteaquam inter eosdem adulatores enutritus fuit, qui eidem ipsius Patri regni male administrati caussa extitere? mihi hoc modo, tam ἀδύνατον est, in aula male instituta Principem formari bonum, quam rectam duci lineam ad distortam regulam. Nullus ibi est paries, quem manus lasciva obscœnitatibus suis non denigret. Nullus angulus, qui perditam vendi licentiam per modum echus non resonet. Quotquot aulam frequentant, totidem magistri, & velut ideæ sunt Principis: longo enim usu & conversatione singuli in eo inprimunt aliquid, quod aut prodesse possit, aut nocere; & quanto natura in ipso magis est docilis, tanto facilius citiusq; mores domesticos imbibit. Ausim pæne dicere, tum Principem fore bonum, cum bonos habuerit ministros; malum, cum malos. Galba Imperator testis est: *d Amicorum, libertorumque, ubi in bonos incidisset sine reprehensione patiens; si mali forent, usque ad culpam ignarus.*

§. Nec satis erit sic in aula reformasse figuras vivas atque animatas, ad inanimas quoque veniendum, hoc est, ut statuas & picturas: quamvis enim cœlum aut penicillus non nisi mutæ sint linguæ, experientia tamen docuit ad persuadendū multo esse facundissimas. Quam ad gloriæ cupiditatem existimulat Alexandri Magni statua! Quam inflammant ad libidinē impuri Iovis amores depicti in tabula! Quin immo in ejusmodi plerisq; rebus magis, quam in honestis naturæ nostræ corruptæ vitio triumphat ars, & primum quidem excellentia artificii opera ista æstimari facit, post vero lascivia ad oculos etiam oblectandos iisdē parietes vestire gestit. *e Cum autē, ne quis talia loquatur, prohibetur; satis intelligitur vetari, ne turpes vel picturas, vel fabulas* spectet.

B 2

a Tacit. lib. 1. hist.
b Mar. hist. Hisp. lib. 12. cap. 5.
c Mar. hist. Hisp. l. 22. c. 15.
d Tacit. lib. 1. hist.
e Arist. 7. Polit. c. 17.

spectet. Heroica majorum facinora referant tabulæ, æra, marmora; illa inspiciat horis omnibus Princeps, illa legat: ejusmodi enim statuæ & picturæ sunt fragmenta quasi historiarum semper ante oculos obversantia.

§. Postquam igitur aulæ vitia (quantum fieri potuit) correcta sic fuerint, & indoles atque inclinationes Principis probe cognitæ, enitantur magistri & præceptores eas sic moderari, ut ad ea, quæ magis heroica & generosiora sunt, ferri incipiant, spargendo in ejus animo tam occulta virtutis & gloriæ semina, ut cum excreverint, dijudicari satis nō possit à naturane, an ab arte profecta fuerint. Virtutem honoribus acuant, vitia infamia notent & ignominia, æmulationem exemplo accendant. Multa ista possint in omni indole, etsi plus in una, quam in alia. In iis, qui generosioris sunt animi, potentior gloria est; in melancholicis, ignominia; in biliosis, æmulatio; in inconstantibus, metus; in prudentibus, exemplū, quod apud omnes semper efficacissimum est, præsertim si à majoribus sit: nam sæpe quod sanguis non potuit, æmulatio obtinet. Nēpe liberis accidit, quod novellis arbusculis recens natis, quibus ramum ab ipso patre recisum oportet inserere, ut ad perfectionem perveniant. Surculi hi insititii exempla sunt insigniora, quæ majorum virtutes transfundunt in posteros, & admirandos edunt fructus. In hoc ergo instructorum desudet industria, ut illa per omnes quasi sensus immissa in animum, altas ibi agant radices; adeoq; non in cohortationibus solum & repræhensionibus ordinariis, sed in omnibus etiam, quæ incurrunt in sensus, Principi proponenda sunt. Nunc historia in memoriam illi revocet res à progenitoribus laudabiliter gestas, & ad imitationem calcar addat tanta gloria, à Scriptoribus æternitati consecrata. Nunc harmonia musica (suavis & mira affectuum moderatrix) trophæa & triumphos eorundem concinendo spiritum excitet. Nunc de majorum vita & moribus panegyros audiat, quæ ipsum ad virtutum æmulationem cohortentur & incitent, quin easdem subinde etiam ipse recitet, aut cum Ephebis suis eximia eorum facinora quasi in scena exhibeat, ad inflammandum animum: vis enim actionis istius atque efficacia sensim sic illi imprimitur, ut ipsissimus esse videatur, cujus personam repræsentat. Præ se ferat denique cum iisdem Regem se agere, petentibus aures concedere, mandata dare, punire, præmiari, imperare exercitui, oppugnare urbes, struere aciem, signa cū hoste conferre In ejusmodi experimentis Cyrus à pauxillo puero educatus, insignis postea belli imperator extitit.

§ Quod si in ætate prima aliquæ emicuerint inclinationes, quæ Principem minus decent, iis associandus erit, qui virtutibus pollent oppositis, ut istos naturæ deterioris defectus corrigant, quomodo obliquitatem tenerioris arbusculæ oblonga pertica, cui ea alligatur, emendari cernimus.

Quare

Quare si Princeps avarus sit, aliquis natura liberalior comes lateri hæreat; meticuloso jungatur animosior; imbelli ardentior; socordi & ignavo, gnavus ac diligẽs: habet enim hoc ætas illa, ut non ea solum, quæ videt & audit, sed & sociorum mores facile imitetur.

§. Abstinendum denique in Principum educatione à monitionibus & correptionibus nimis asperis, quia contemptus genus quoddam istud est. Rigor nimius dejicit animos, nec decet, ut serviliter sese subjiciat alteri, qui præesse aliis debet. Recte Alphonsus Rex: a *Los que de buen lugar vienen, mejor se castigan por palabras, que por feridas: e mas aman porende aquellos, que asi lo fazan, e mas gelo agradessen, quãdo an entendimiento.* Iuventus pullo equino similis est, qui pastomide duriori læditur, molliori fræno facile regitur. Accedit, quod animos generosiores plerumq; comitetur tacitus quidam horror eorũ, quæ per metum addidicerunt: contra vero desiderium quoddam, & cupiditas experiendi vitia, quæ in pueritia illis fuere prohibita. Affectus nimis compressi violenter (præsertim quos natura principi indidit) in desperationes tandem abeunt, uti exhalationes intro nubes constrictæ in fulgura. Qui sine prudenti moderatione propensionibus naturalibus portas omnes obstruit, in caussa est, cur per fenestas tentent aditum. Aliquid dandum humanæ imbecillitati, honestis quibusdam oblectamentis eam ad virtutem suaviter erigendo, qua potissimum arte usi sunt ii, quibus Neronis educandi cura commissa fuerat; eo scilicet fine, b *Quo facilius lubricam Principis ætatem, si virtutem aspernaretur, voluptatibus concessis retinerent.* Principem moderator privatim, non in publico corripiat; alias enim magis obstinabit animum, ubi vitia sua innotuisse animadvertit. Aptissime versibus duobus comprehendit Homerus, qua ratione Princeps & instrui & parere debeat:

c *At tu recta ei dato consilia; & admone,*
Et ei impera: ille autem parebit, saltem in bonum.

a Lib. 8. tit. 7.
b Tacit. lib. 13. hist.
c Hom. Iliad. 11.

SYMBOLVM III.

INdustria solertis & impigræ manus, nunc irrigantis, nunc cæli ventorumq; arcentis injurias, succrescit rosa, & gemma hiante folicula sua in orbem explicat: flos mire elegans, sed quæ solis blanditur oculis, totque est obnoxia casibus, ut in hac tanta sua teneritudine maximo in periculo sit. Idem ipse Sol, qui nascentem eam vidit, videt & morientem, nec alio quidem fructu, quam quod suam orbi venustatem ostenderit; cæterum tot mensium ludit operam, quin ipsam persæpe cruentat manum, à qua est consita, nec fieri potuit aliter, quam ut cultura tam lasciva acutas una spinas produceret. Corallii (marini fruticis) dispar est ratio: illud enim natum sub aquis, & continua fluctuum, tem-



mpeſtatum, ventorum vi a-
tatum, magis magiſque indu-
ſcit, & pulchrius enitet, im-
o tum primum poſt tot ele-
entorum experias vires ad
uſtriores hominum uſus ap-
is deſervit. Tam oppoſiti in-
r ſe oriuntur effectus è di-
rſo naſcendi & creſcendi
nere fruticis hujus, & illius
oris, quod ad teneritudinem

& duritiem attinet: id quod in
educatione Principum pariter
accidit: nã qui ſic molliter, &
velut in capſula, quod ajunt,
educantur, ut nec ſol, nec ven-
tulus, nec alia ad illos aura
præterquam odoramentorum
poſſit pertingere, delicatuli
fiunt, & ad gubernandum mi-
nus idonei, contra qui labori-
bus ſolidis exercent corpus,
ro-

robusti & habiles. *a Est etiam utile, statim ab ineunte ætate frigoribus assuescere: hoc enim tum ad valetudinem, tum ad munera militaria commodissimum est.* Iis exercitationibus prorogatur vita; voluptatibus & deliciis imminuitur. Vas vitreum oris flatu formatum, flatu frangitur; aureum contra malleo fabre factum, malleo resistit. Qui privatus & in otio vitam degit, parum interest, si delicatus sit; at qui regnum humeris, ut Atlas cælum, sustinere debet, fortis ac robustus sit oportet. Ad solum spectaculum non opus habet Respublica Principe, sed in pulvere etiam, & inter arma. *b* Et sane Rex effœminatus, Scriptura teste, pœnæ divinæ genus quoddam est.

Disparis hujus educationis emolumentum aut incommodum in regibus *c* Ioanne Secundo, & Ferdinando Catholico videre fuit. Quorum ille in aula, hic in castris; ille in gynæceo, hic inter milites enutritus fuit. Ille ad Reipub. clavum admotus, mare sibi incognitum ingressus videbatur, & gubernaculum deferens ministris suis id committebat; hic gubernandi non ignarus erat aut insolens, sed in alieno etiam dominari regno, & subditos ad officium cogere optime noverat. Ille despectui omnibus; hic in pretio & honore fuit. Ille regnum pessundedit; hic evexit in Monarchiam. Quæ perpendens cum animo suo *d* Rex Ferdinandus, cognomento Sanctus, Alphonsum & Ferdinandum filios inter arma educari voluit. Et quænam alia res Carolum Imperatorem re pariter ac nomine vere Magnum reddidit? an non peregrinationes continuæ, & indefessi labores? Nec alia *e* Tiberio mens, qui quatuor potissimum de caussis, ambos filios suos Germanicum & Drusum in castris inter arma adolescere, consultum putabat: ut nimirum militiæ assuescerent: ut exercitus studia pararent; ut procul aulæ deliciis educarentur; & denique ut filio utroque legiones obtinente tutior ipse, & securior viveret.

Qui in castris ætatem traducit, multa experiundo, temporis lucrum facit; qui in aula, luxu, cæremoniis & inanibus oblectamentis illud male perdit. In palatio magis comendo corpori, quam animo excolendo Princeps invigilat. Et tametsi hoc postremum curandum potius sit, corporis tamen cultus & oris decor omnino negligi non debet: nam cultus ille oculos; hic oris decor, & oculos rapit & animum. Spiritus sancti de Saule Rege oraculum est: *f Stetitque in medio populi, & altior fuit universo populo ab humero & sursum. Et ait Samuel ad populum: Certe videtis, quem elegit Dominus, quoniam non sit similis illi in omni populo.* Æthiopes, & nonnulli Indiæ populi eos in Regem eligunt, quos formæ dignitas potissimum com-

a Arist. polit. l. 7. c. 17.
b *Et effœminati dominabuntur eis.* Isai. c. 3. 4.
c Mar. hist. Hisp. l. 20. c. 11.
d Mar. hist. Hisp. lib. 13. c. 1.
e Tacit. l. 2. Annal.
f 1 Reg. 10. 23. & 24.

commendat; uti & apiculæ eam, quæ ex omni numero grandior est, & coloris splendore præcellit aliis. a *Ipsa ætas Galbæ, & irrisui & fastidio erat assuetis juventa Neronis, & Imperatores forma ac decore corporis (ut est mos vulgi) comparantibus.* b Titi Vespasiani *augebat famam ipsius decor oris cum quadam majestate.* Enim vero pulchritudo apta membrorum compositione, & coloris suavitate velut blandis quibusdã jaculis ferit oculos, quæ in animum demissa profundius, studia hominis & voluntates occupant. Eximium naturæ privilegium, ea est, suavis affectuum domina, atque animi optime dispositi indicium. Et quamvis sacrarum literarum monitum sit: c *Non laudes virum in specie sua, neque spernas hominem in visu suo: brevis in volatilibus est apis, & initiũ dulcoris fructus illius*; illud tamen diffiteri non possumus, quod augustiorem animum semper fere augusta quoque corporis species comitetur. Plato dicebat, sicut circulus absque centro esse non potest, ita neque exteriorem corporis pulchritudinem absque interiori virtute facile posse consistere. Recte idcirco Alphonsus Rex Principi uxorem formosam dari voluit: d *Porque los fijos, que della uviere, seran mas fermosos, e mas apuestos; lo que conviene mucho a los fijos de los Reyes; que sean tales, que parezcan bien entre los otros omes.* Multarunt Lacedæmonii Regem suum Archiadinum, quod uxorem duxisset parvulam, quantumvis non illepide excusaret, è malis duobus minus se elegisse. e *Species corporis simulacrum est mentis, figuraque probitatis.* Accidit tamen nonnunquam, ut natura exterioribus intenta perfectionibus, interiorum, quæ potiores sunt, obliviscatur. Petro Crudeli sic usu venit, cujus ingenium ferox & asperum sub grata oris & corporis conformatione eadem Natura abdiderat. Superbia & formæ jactantia facile virtutum nervos elidunt, adeoque cavendum Principi sedulo, ne venustatem muliebrem & affectatam, alienæ lasciviæ incitamentum, consectetur; sed eam, quæ veras animi virtutes comitari solet: neque enim ornatus animæ à corporis pulchritudine; sed contra hujus decor ab illius ornamentis proficisci debet. f *Omnis gloria ejus ab intus in fimbriis aureis.* Interior animæ perfectio, non exterior spectanda in Principe, ut bene Reip. præsis; licet magno ornamento futurum sit, si illa utraque polleat; Sic Palmæ singularis laus est, tum stirpis & frondium elegantia; tum suavitas fructuum, & aliæ ejus qualitates eximiæ; tantas enim arbor illa ad communes hominum usus affert utilitates, ut Plutarcho teste, Babylonii trecentas & sexaginta ejusdem virtutes enumerent. Eas, credo, innuit blandum cœlestis Sponsi alloquium, g *Statura tua assimilata est palmæ.*

Iis

a Tacit. l. 1. hist.
b Idem l. 2. hist.
c Eccl. 11. 2.
d Lib. 1. ti. 6. p. 2.
e D. Amb. 2. de vir.
f Psal. 44. 14.
g Cant. cap. 7. 7.

Iis enim verbis non solam corporis formam in sponsa collaudare voluit, sed & animæ dotes per palmam significatas, quippe quæ justitiæ & fortitudinis est Symbolum; justitiæ quidem propter frondium æquilibrium; fortitudinis vero propter admirabile ramorum robur, qui quo magis gravantur ponderibus, eo validius in sublime nituntur; addo & victoriæ esse hieroglyphicum, quod ex ea arbore solerent coronari, qui in antiquorum ludis & certaminibus victores essent. Similis honor cupresso nunquam habitus fuit, quantumvis amœnum semper vireat, & obelisci instar procera in cœlum assurgat; inanis enim illa species est absque singulari virtute, quæ in ea insit, quin immo admodum lentè succrescit, fructus habet inutiles, folia amara, odorem gravem, umbram noxiam. Quid, rogo, proderit Principem forma & corpore esse eleganti, si oculis solum faciat satis, non muneri, quod gerit? Sufficit apta membrorum & lineamentorum conformatio, quæ animi generosi & bene dispositi sit indicium, & cui ars deinde atque industria motum vigoremque tribuant, sine quibus languet omnis actio Principis, & risum potiùs ac contemptum, quàm auctoritatem apud subditos conciliat. Sed interdum ne hæ quidem eximiæ animi dotes amari facient Principem, ut si fortè Reipublicæ status perturbatus sit, & in mutationem dominatus inclinet, quemadmodum Ferdinandus Rex Neapolitanus quondam expertus fuit. Quandoque etiam virtus ipsa infelix, & Princeps minimè malus odio esse solet. Quid? quod & vitia in illo nonnunquam placeant: certè a *studia exercitus raro cuiquam bonis artibus quæsita perinde adfuere, quam Vitellio per ignaviam.* Cæterum voluntas humana plerunque amplectitur id, quod perfectius est, adeoque Princeps tam in exercitiis privatis, quàm publicis multum ponere debet operæ, ut iis naturæ dona aut suppleat, aut magis perficiat, vires ab ineunte ætate corroboret, spiritus generosiores in animo suo suscitet, & in omnibus populo fiat gratior: nam b *persona Principis, non solum animis, sed etiam oculis servire debet civium*, qui ei plerunque parere malunt ut Domino, in quo majora naturæ & virtutum ornamenta conspiciunt. Quantam Catholicissimo nostro Regi Serenitatis Vestræ Parenti apud omnes gratiam peperit fortis ille in venatu labor, & solutus à curis animus: illa in exercitiis militaribus fortitudo & dexteritas, illa in actionibus publicis gratia singularis & vivacitas! Quàm amati fuere à subditis, æstimati ab exteris c Ferdinandus Sanctus, Henricus Secundus, Ferdinandus Catholicus, Reges, Carolus V. Imperator; in quibus formæ decor & bona corporis dispositio cum indu-

a Tacit. lib. 3. hist.
b Cic. Phil. 8.
c Mar. hist. Hisp. l. 13. c. 8.

ſtria, cum virtute, cum excelſo & forti animo conjuncta erant!

§. Verum exercitia iſta melius in ſocietate & contubernio addiſcuntur, ubi æmulatio incendit animum, & induſtriã excitat. Quamobrem Reges Gothi Nobiliorum Hiſpaniæ filios in ſuis educabant aulis; non eo ſolum, ut familias ipſas arctius ſibi obſtringerent, ſed etiam ut una cum iiſdem proprii ipſorum filii formarentur, & honeſtiores artes addiſcerent. Idem Macedonum Reges factitare conſueverant, apud quos a *hæc cohors velut ſeminarium Ducum, Præfectorumque fuit.* Qui laudabilis mos aut in oblivionem abiit, aut certe in pretio hactenus non fuit in aula Hiſpanica, cum aptiſſimum alias ſit medium devinciendi ſibi exterorum Principum animos, iſtiuſmodi inſtituere ſeminaria, ad quæ evocati exterorum Principum filii, in artibus & exercitiis viro principe dignis inſtruantur. Ex quo illud etiam orietur commodi, quod Regum filii ſenſim ſine ſenſu moribus & genio nationum aſſueſcerent, haberentque ex iis non paucos, qui ſingulari cum affectu, & in gratiam tam bonæ inſtitutionis viciſſim præſtarent obſequium.

§. Ad eum finem Rex Alphonſus dictus Sapiens in optimis ſuis legibus longam prætexit ſeriem earum artium & functionum, in quibus Regum filios exerceri maxime convenit. Verba ipſa ſubjicio: b *Aprender debe el Rey otras maneras, ſin las que diximos en las leyeſantes deſta, que conviene mucho. Eſtas ſon en dos maneras: las unas que tañen en fecho de armas para ayudarſe dellas quando meneſter fuere: e las otras para aver ſabor, e placer, con que pueda mejor ſofrir los trabajos, e los peſares, quando los oviere. Ca en fecho de cavallerias conviene, que ſea ſabidor, para poder mejor amparar lo ſuyo, e conquerir lo de los enemigos. E porende debe ſaber cavalcar bien, e apueſtamente, e uſar toda manera de armas, tambien de aquellas, que a de veſtir para guardar ſu cuerpo, como de las otras, con que ſe a de ayudar. E aquellas que ſon para guarda, a las de traer, e uſar, para poderlas meyor ſofrir, quando fuere meneſter, de manera, que por agravamiento dellas no caya en peligro, ni en verguenza, e de las que ſon para lidiar, aſi como la lanza, e eſpada, è porra, e las otras, con que los Omes lidian amanteniente, a de ſer muy mañoſo, para ferir con ellas. E todas eſtas armas, que dicho avemos, tambien de las que a de veſtir, como de las otras, ameneſter, que las tenga tales que el ſe apodere dellas, e no ellas del. E aun antiguamente moſtravan à los Reyes à tirar de arco, e de balleſta, e de ſubir ayna en cavallo, e ſaber nadar, e de todas las otras coſas, que tocaſen à ligereza, e valentia. E eſto fazian por dos razones. La una porque ellos ſe ſopieſen bien ayudar dellas, quando les fueſe meneſter. La otra, porque los Omes tomaſen ende buen exemplo, para quererlo fazer, e uſar: onde ſi el Rey, aſi como dicho avemos, no uſaſe de las armas, ſin el daño, que ende le vernia, porque ſus gentes deſuarian dellas por razon del,*

a Curtius.
b Lib. 3. tit. 5. p. 2.

del, podria el mismo venir à tal peligro, porq; perderia el cuerpo, e caeria en gran verguenza.

Ad omnia ista exercitia nihil æque habilem reddit Principem, atque venationis studium. In illa siquidem juventus sese exserit, vires & agilitatem comparat; Illa occasionem dat exercendi artes militares, despiciendi terrena, discernendi tempus, quando sperare, aggredi, ferire oporteat; illa variorum casuum docet eventum, & usum commonstrat stratagematum. Ibi profusus sanguis, & trementes ferarum morientium artus oculis usurpata expurgant affectus, firmant animum, generosiores sufficiunt spiritus, qui metum contemnant & pericula. a *Nam & sylvæ solitudo, ipsumque illud silentium, quod venationi datur, magna cogitationis incitamenta sunt.* b *Y ayuda mucho la caza* (ut dixit Alphonsus Rex) *à menguar los pensamientos, e la saña, que es mas menester al Rei, que à otro Home. E sin todo aquesto da salud ca el trabajo, que se toma, se es con mesura, fazt comer, e dormir bien, que es la mayor cosa de la vida del home.* Duo solum adverte: *Que no deve meter tanta costa, que mengue ne lo que ha de complir, nin use tanto della, que le embargue los otros fechos.*

§. Denique omnia ista exercitia cum eo moderamine usurpanda sunt, ne omnino efferatum aut torpentem reddant animum, neque enim minus labore nimio is indurescit, & quasi obducto callo stupefit, quam ipsum corpus. *Nam simul mentem & corpus laboribus fatigare non convenit, quoniam hi labores contrariarum rerum efficientes sunt. Labor enim corporis menti est impedimento, mentis autem corpori.*

a Plin. lib. 1. Ep. ad Corn. Tac.
b Lib. 22. tit. 5. p. 2.

SYMBOLVM IV.

AD imperandum scientia opus est, ad parendũ prudentia sufficit naturalis, immo sola interdum ignorantia. In ædificii idea ingenium occupatur, in ipsa fabrica laborat manus. Imperium à cognitione manat, & perspicax est, obedientia rudis ut plurimum, & cœca. Hinc ex Philosophi mente, a *Dominus natura est, qui valet intelligentia prævidere.* Alii aut successione, aut electione, aut vi, in quibus casui locus est potius, quam rationi. Quare inter politica regnandi instrumenta, scientiæ quoque recensendæ. Iustiniano sic visum; b *Imperatoriam Majestatẽ,* inquit, *non solum, armis decoratam, sed etiam legibus oportet esse armatam, ut utrumque tempus & bellorum & pacis recte possit gubernari.*

Hoc nimirum præsens Emblema exhibet sub figurâ tormenti ænei ad quadrantem directi, ut collineet certiùs, qui quadrans legum & justitiæ Symbolum est; hæc enim tam pacem, quam bellum moderari sic debet, ut justum semper ante oculos sit, atque ad

a Arist. l. 1. pol. cap. 1.
b In proœm. Instit.



ad rationis ſcopum per ſapientiæ & prudentiæ medium omnia colliment. Rogatus idcirco Alphonſus Neapolis & Arragoniæ rex, utri plus deberet, armis, an literis, reſpondiſſe fertur: a *Ex libris ſe arma, & armorum jura didiciſſe.*

Sed forte exiſtimet aliquis, hæc literarum ornamenta ipſi Reip. corpori, quod Majeſtatis nomine videtur intelligi, convenire magis, quam Principi, qui publicis diſtentus curis litteris operam navare non poteſt; & ſatis fore ad hoc, ut ſcientiæ effloreſcant, ſi ingenia magna ipſe foveat & afficiat præmiis: quod eundem Iuſtinianum Imperatorem feciſſe meminimus, qui

a Panorm. l. 4.

qui omni destitutus eruditione insignem imperii gloriam consecutus est, doctissimorum virorum operâ, quorum familiaritate est usus. Ego verò tametsi facilè concesserim, eos etiam, qui litteris exculti non sunt, bene quandoque administrare Rempublicam; uti experientia magistra in Rege Ferdinando Catholico, & aliis compluribus didicimus: hoc tamen in iis solùm ingeniis locum habet, quæ longus rerum usus erudiit, aut certè à natura ipsa tanto pollent judicii acumine, ut de unaquaque re facilè ipsa possint absque erroris periculo discernere. a Cæterum, *etsi prudentia quosdam impetus à naturâ sumat, tamen perficienda doctrinâ est*; ut enim bona deligere, & rejicere contraria rectè quis noverit, plurimarum rerum requiritur cognitio, & diuturna exemplorum tam præteritorum, quàm præsentium observatio, quæ absque labore & studio perfectè obtineri haud possunt. Nihil itaque tam necessarium Principi, quàm lux & ornamentum bonarum artium. b *Ca por la mengua de non saber estas cosas* (inquit Alphonsus Rex) *avria por fuerza à meter otro consigo, que lo sopiese. E poderle ya avenir, lo que dixo el Rey Salomon, que el que mete su poridar en poder de otro, fazese su siervo, e quien la sabe guardar, es señor de su corazon, lo que conviene mucho al Rey.* Regis scilicet officium ingenium perspicax, & literis egregiè perpolitum postulat. *Ca sin duda* (addit porro in eadem lege idem Alphonsus Rex) c *tan gran fecho, como este, non lo podria ningun ome cumplir à menos de buen entendemiento, e de gran sabiduria: onde el Rey, que despreciase de aprender los saberes, despreciaria à Dios, de quien vienen todos.* Scientias alias in multis infusas divinitus vidimus, politicam in solo Salomone.

Pro colendis agris regulas certas præscribit agricultura; suas item habet leges ars domandi feras: d *Omni tamen animali faciliùs imperabis, quam homini, ideo sapientissimum esse oportet, qui homines regere velit.* Morum atque ingeniorum in subditis diversitas absq; grandi solertia, studio, & experientia discerni non potest; adeoque e *nullus est, cui sapientia magis conveniat, quàm Principi, cujus doctrina omnibus debet prodesse subditis.* Illa est, quæ Regem fortunatum reddit, quæ Principem coli facit ab omnibus, & metui. Id quod Salomon tunc potissimùm consecutus est, cum admiranda ipsius sapientia orbi innotuit. Nec errem, si dixero, scientiam in Principibus magis quàm potentiam formidari. f *Rex sapiens*, Spiritu Sancto teste, *stabilimentum populi est.* g *Rex* verò *insipiens perdet populum suum.* E quibus rectè conficitur, barbaram omnino fuisse Licinii Imperatoris sententiam, qui scientias pestem publicam, Philosophos vero & Oratores Reip. venenum vocitabat. Nec absurdi minùs

 Gothi,

a Quintil. l. 12. c. 12.
b Lib. 16. t. 5. p. 2.

c Ibid.
d Xenoph.
e Veget.
f Sap. 6. 26.
g Eccl. 10.

Gothi, qui Regis Athalarici Matri dabant vitio, quod filium literis faceret imbui, perinde quasi ea ratione ad negotia publica minus redderetur idoneus. Longe de sapientiæ disciplinis censuit aliter Æneas Sylvius, cum dixit, *eas in hominibus plebeiis argentum esse, in viris nobilibus aurum, in Principibus vero gemmas pretiosas.* Audiens aliquando Alphonsus Neapolitanus Regem nescio quem dixisse, literas haud quaquam decere Principem, illico subjecit: a *Ista vox bovis fuit, non hominis.* Recte idcirco Alphonsus Rex; b *Acucioso debe el Rey ser in aprender los saberes: ca por ellos entender à las cosas de Reyes, y sabrà mejor obrar en ellas.* De Iulio Cæsare memoriæ proditum est; sic eum formari & fingi voluisse à statuariis: globo insistebat terrestri, atque una manu gladium, altera libram tenebat, hoc insuper adjecto lemmate: *Ex utroque Cæsar*; ut significaret nimirum, tam eruditionem, quam arma ad acquirendum & conservandum imperium, magno sibi fuisse adjumento. Tanti literarum studia non fecit Ludovicus XI. Galliæ Rex: hic enim permittere noluit, ut filius Carolus VIII. ad ea se daret, propterea quod in semetipso comperisset, animum per ista sic obstinarum fieri & pertinacem, ut aliorum deinde consilia penitus respuat. Quæ caussa fuit, cur Carolus Rex ad gubernandum postea minus esset idoneus, atque ab omnibus regi se pateretur, non absque insigni honoris sui jactura, & regni totius detrimento. Extrema itaque ea in re, uti in omni alia cavenda censeo. Supina ignorantia contemptum parit & risum. multis item erroribus est exposita; contra, nimia ad studia applicatio abripit animũ, & à gubernandi cura sevocat. Iucunda est admodum & amica illa cum Musis conversatio, quam ægre quis commutet cum molestiis iis & laboribus, qui in danda audientia, in consultationibus instituendis suscipiendi sunt c. Correxit Alphonsus sapiens motum trepidationis in cœlo, at regnum suum emendare non potuit. Orbes cœlestes ingenio suo penetravit, at oblatum sibi imperium & coronam hæreditate partam tueri non noverat. Sultanus Ægyptius fama illius permotus, legatos ad ipsum misit cum amplissimis muneribus; interim in proprio ipsius regno omnes prope Castellæ civitates ab obedientiæ officio descivere. Nempe sic fieri assolet, ut Principes sapientiæ studiis plus æquo dediti, existimationem apud exteros sibi concilient, perdant apud subditos. Illis admirationi est Principum eruditio; his subinde etiam damno, quippe d *Hebetiores quam acutiores, ut plurimum melius Rempublicam administrant.* Animus contemplationi scientiarum nimiopere intentus, in rebus agendis tardior esse solet, atque in decernendo timidior: necesse enim est huic tali multæ occurrant rationes, pugnantes inter

a Panorm. lib. 4.
b Lib. 16. tt. 5. p. 2.

c Mar. hist. Hisp. lib. 14. c. 5.
d Thucyd. l. 13.

inter se & differentes, quæ judicandi libertatem aut adimunt penitus, aut impediunt. Si quæ objecta intueatur oculus ad lucis solaris reflexionem, jam probe & distincte videt, qualia ea sint; at si in radios ipsos solares directe velit intendere, nimia luce perstringitur, ut colores rerum & figuras haud quaquam possit discernere. Ita prorsus ingeniis accidit, quæ sapientiæ & doctrinæ studiis impensius etiam, quam par est, sese dedunt, ad negotia publica pertractanda minus fiunt idonea. Melius tum judicat recta ratio, cum à disputationibus & subtilitatibus scholasticis libera est, & expedita. a Nec immerito sapientissimus Salomon occupationem illam vocat pessimam, quam expertus ipsemet fuerat. b *Sunt enim quædam ex liberalibus scientiis, quas usque ad aliquid discere honestius sit, penitus vero sese illis tradere, atque usque ad extremum persequi velle, valde noxium.* Quare omnino convenit, ut prudentia illum sciendi appetitum, qui in præstantioribus ingeniis esse consuevit vehementior, aliquantum moderetur, quomodo c Agricolæ matrem fecisse legimus, d quæ incensum & flagrantem filii animum coërcuit; quando in prima juventa Philosophiæ studium acrius, ultra quam concessum Romano ac Senatori, haurire videbatur. e *Quemadmodum omnium rerum, sic literarum quoque intemperantia laboramus.* Tam hæc animo officit, quam nimia omnia aliis in rebus nimium corpori exhibent negotium. Sufficiet itaque Principi, artes & scientias degustasse obiter, plus vero eidem proderit cognitio aliqua rerum practica, earum cumprimis, quæ faciant ad curanda tum pacis, tum belli negotia, adeoque ex scientiis seligat, quantum satis est ad collustrandum animum, & judicium formandum, relicta aliis se inferioribus in iis excellendi gloria. f Otium duntaxat fallat isthoc tam laudabili exercitio, uti Helvidium Priscum olim factitasse memorat Tacitus.

§. His ita positis, non semper optimi Principum Magistri censendi sunt ii, qui scientiæ & eruditioni laude magis florent; hi namque ut plurimum successus, atque otii literarii amantiores sunt, ab hominum conversatione alieni, cunctantes, & ad negotia graviora minus apti; sed ii potius, qui rerum politicarum cognitione atque experientia præstent cæteris, quique una cum scientiis artem etiam bene gubernandi Principem edocere valeant.

§. Primus omnium vero instillandus à teneris Principi

a *Et proposui in animo meo quærere, & investigare sapienter de omnibus quæ fiunt sub sole. Hanc occupationem pessimam dedit Deus filiis hominum, ut occuparentur in ea.* Eccl. 1. 13.

b Arist. lib. 8. Polit.

c Tac. in vita Agric.

d *Retinuitque (quod est difficillimum) ex sapientia modum.* Ibid.

e Sen. Epist. 107.

f *Ingenium illustre altioribus studiis juvenis admodum dedit, non ut plerique, ut nomine magnifico otium velaret, sed quo firmior adversus fortuita Rempublicam capesseret.* Tac. l. 4. Hist.

cipi *Timor Domini*, *initium sapientiæ*. Qui adhæret Deo, omnium scientiarum fonti proximus est. Scire humanum ignorantia est potiùs, malitiæ filia, quâ Principes & Respublicæ pessum eunt.

§. Secundo loco necessaria est Principi eloquentia, illa blanda affectuum domina, quæ voluntates hominum suaviter attrahit, ut imperio sese lubentes & sponte subjiciant. *a* Sciebat magnus ille Propheta Moyses, quanti id referret, ideoque cum in Ægyptum mitteretur, ut populo Israëlitico Dux præesset, impeditiorem & tardiorem suam linguam Deo excusavit. Et vero accepit hanc caussam Deus, atque ut animum adderet, adpromisit, quod assistere vellet labiis ejus, & in ore ejus poneret, quæ effari apud Regem Pharaonem ipse deberet. Quid de sua eloquentia sibi non pollicebatur sapientissimus Salomon? b *In conspectu potentium admirabilis ero, & facies Principum mirabuntur me; tacentem me sustinebunt, & loquentem me respicient, & sermocinante me plura, manus ori suo imponent.* Et sanè, si eloquentiæ solius tanta vis est, ut per se ipsa audientium animos mirè capiat, quid fiet demum, si armetur potentia regia, aut purpura vestiatur? Princeps, qui alterius eget opera, ut quæ secum ipse reputat, eloquatur, statua elinguis est potius, quã Principis dignus nomine; *c* quod vitium in Nerone primò omnium animadversum.

§. Historia *d* magistra est veritatis politicæ, & qua melius nemo quisquam Principem instruere poterit, quomodo oporteat regere subditos. In illa siquidem tanquam in lucidissimo speculo elucet experientia gubernationis retrò præteritæ, prudentia antecessorum, e *hominumque multorum mens in unum collecta.* Historia fidissimi consiliarii est instar, qui nunquam non præstò, & ad manum est.

E Iurisprudentia eam solùm partem attingat Princeps, quæ ad gubernandum pertinet, evolvendo scil. leges ac constitutiones sui regni, quas & prudens dictavit ratio, & longus usus approbavit.

In Theologico studio ne multum ponat operæ; quàm enim periculi plenum sit multa scire, atque unà potentem esse, in Iacobo Rege, magno suo malo experta est Anglia. Satis erit Principi, si in fide constans ipse sit, & alias viros sanctos juxtà ac eruditos penes se habeat, qui illam tueri noverint.

§. Astrologiâ denique judiciariâ multi Principes pereunt; est enim cupiditas illa noscendi futura in omnibus; quia namque magnam sibi ex eo pollicentur auctoritatem, si Diis pares habeantur, & quædam supra commu-nem

a *Obsecro Domine, non sum eloquens ab heri & nudiustertius, & ex quo locutus es ad servum tuum, impeditioris & tardioris linguæ sum.* Exod. 4. 10.

b Sap. 8. 12.

c *Primum ex iis, qui rerum potiti essent, Neronem alienæ facundiæ eguisse.* Tac. l. 13. An.

d *Verissimam disciplinam, exercitationemque ad politicas actiones, historiam esse*, Polyb. l. 1.

e Greg. Naz. ad Nic.

nem hominum sortem possint efficere, consectantur artes superstitiosas, & populo invisas: quin immo eo nonnunquam dementiæ procedunt, ut solis caussis secundis asscribant omnia, & providentiam divinam prorsus tollant è medio, in auspicia & sortilegia cuncta referentes. Quo demum fit, ut plus casui & fortunæ, quam prudentiæ & industriæ humanæ tribuentes, in decernendo & agendo remissiores sint; atque Astrologos sæpius, quam Consiliarios in deliberationem adhibeant.

SYMBOLVM V.

Radices *artium amara, fructus vero dulces*: eapropter defugit eas initio Natura nostra, nec ullus ei labor accidit gravior, quam quem in prima elementa impendi necesse est: magnis enim molestiis, & multo sudore ea res juventuti constat. Isthac igitur de caussa, & quia studia assidua deposcunt operam, quod valetudo, & aulæ negotia, atque oblectamenta non sinunt, oportet ut Magistri compenset industria, varia excogitando media, quibus molestias institutionis lusuum puerilium suavitate sic condiat, ut sensim sine sensu, quæ addiscenda sunt, Principis animus imbibat. Exempli caussa, ut legere is discat, hoc artificio utatur licet. Fiant taxilli omnino quatuor & viginti, quibus insculpantur totidem alphabeti literæ, tum colludant aliqui inter se, & qui jactu uno plures expresserit syllabas, aut verbum formaverit integrum, victor præmium auferat; quo victoriolæ & oblectationis genere ille discendi labor longe fiet facilior: plus enim difficultatis habet chartarum lusus, quem tamen mox capiunt pueri. Nunc ut scribere etiam eodem compendio condiscat Princeps, suaserim literas in renui incidi lamina, qua deinde chartæ superimposita ductus illos characterum, quasi sulcos quosdam, manu sequatur & calamo; præcipue verò in iis literis pingendis sese exerceat, è quibus formantur reliquæ; ita fiet, ut dum laminæ artificium suo tribuit ingenio, ac industriæ, paulatim laboribus illis magis incipiat affici.

§. Nec minus necessaria Principi linguarum peritia: nam interprete semper uti velle, aut non nisi in aliam linguam translata legere, res est deceptioni obnoxia, aut certe in caussa, quod de vi sua & energia multum deperdat veritas: ut sileam non posse non esse peracerbum subdito, si ab eo intelligi nequeat, à quo rebus suis afflictis solatium, levamen miseriis, obsequiis remunerationem sperare debet. Movit ea res Iosephum a Patriarcham, ut cum Ægypto præficeretur, ante omnia iis linguis addiscendis, quarum isthic loci vigebat usus, & quas ipse ignorabat, operam impenderet.

a *Linguam quam non noverat, audivit.* Psal. 80. 6.



ret. Quam hoc nomine Augustissimum Imperatorē Romanum Ferdinandum III. amant omnes & suspiciunt, quod linguarum tam gnarus sit, ut cuique proprio, & nativo suo idiomate responsa dare noverit. Verum notitia illa non via præceptorum comparanda est Principi, nam illa memoriam confundunt; sed asciscendi in ejus familiam illustrium virorum filii ab exteris exciti nationibus, quibuscum familiariter conversando, absque magno labore, & quasi aliud agens, paucorum mensium spatio

tantum

tantum proficiet, ut linguis singulorum loqui assuescat.

Porro ut Geographiæ & Cosmographiæ (sine quibus cœca est quodammodo scientia politica) usum quoque aliquem acquirat, operæ pretium erit, vestiri palatii conclavia ejusmodi aulæis & peristromatis, quæ tectorio opere varie elaborata generalem quandam orbis delineationem, hoc est, quatuor mundi partes, & potiores provincias, una cum celebrioribus fluviis, montibus, urbibus aliisque insignioribus locis spectanda exhibeant. Pari artificio lacus etiam disponi poterunt; ut si forte navicula oberrare placuerit, in iis velut in chartis quibusdam nauticis, maris totius situm, portus, insulas videre se existimet. In globis & sphæris mathematicis contempletur ambitum utriusque hemisphærii, motus cœli, accessum discessumque solis, vicissitudines dierum ac noctium; suaviter tamen, & ad motum narratiunculæ duntaxat, aut recreationis, subtili ratiocinandi genere Mathematicorum scholis relicto. E geometricis satis fuerit assecutus, si locorum intervalla, altitudines, & profunditates instrumentis metiri noverit. Discat item, quomodo loca munire oporteat, adeoque animi causa ex argilla, aliave simili materia construat propugnacula, cum suis fossis tam interioribus, quam exterioribus, cum aggeribus, vallis, semilunis, aliisque ad ea tuenda necessariis; sic constructa deinde machinulis bellicis oppugnet rursus & impetat: ut vero istæ munimentorum figuræ & dispositiones firmius in memoria infigantur, similes aliquas in hortis è myrto aliisve herbis artificiose dispositis efformari juverit, prout in Emblemate præsenti licet cernere.

Sed nec illud ignorare decet Principem, quomodo acies instruenda sit; in eum finem milites habeat omnis generis, tam equites, quam pedites è metallo fusos, è quibus exercitum per legiones, cohortes, centurias, vexillationes, turmas ordinet, ad imitationem aciei in tabula aliqua vel libro polemico descriptæ. *a Itaque ludi magna ex parte imitationes esse debent earum rerum, quæ serio postea sunt obeunda.* Atque ea ratione sensim, & absque molestia, artibus iis affici incipiet, & postquam aliqua menti lux oborta fuerit, citius deinde easdem capiet consuetudine cum viris eruditis, qui caussas singularum & effectus exponent, *b* atque iis præsertim, qui in rebus tam pacis, quam belli haud mediocriter versati sunt & exercitati: istarum *c* enim rerum notitia hoc præsenti tempore magis utilis est, addiscitur facilius, & minus animum fatigat.

§. Nec inutiles cuipiam videri

a Arist. Pol. 7. c. 17.

b *Audiens sapiens, sapientior erit: & intelligens, gubernacula possidebit.* Prov. 1. 5.

c *Sapientiam omnium antiquorum exquiret sapiens, & narrationem virorum nominatorum conservabit.* Eccles. 39. 1. & 2.

deri debent istiusmodi exercitationes ad recte educandos Regum ac Principum filios; nam experientia optima rerum omnium magistra satis docet, multa suapte sponte condiscere pueros, quæ magistri institutione non nisi difficulter fuissent assecuti. Multo vero minus existimet aliquis media isthæc tam varia educationi officere potius, quam prodesse. Si ad domandum & corrigendum equum, nunc fræno, nunc habena, nunc pastomide, iisque variis, multis item ad eam rem præceptis est opus, quantam putabimus requiri curam & solertiam ad recte formandum Principem, qui non imperitæ solum plebeculæ, sed ipsis etiam scientiarum Magistris imperare debet? Non naturæ donum est: a *Videtur ars artium, & scientia scientiarum hominem regere, animal tam varium & multiplex:* Nec ullus unquam supremum artis illius fastigium attingere poterit.

§. Sat scio, Princeps Serenissime, virum illum, quo Serenitas Vestra Magistro nunc utitur, ab omnibus iis artibus & scientiis (quæ Monarchiæ hujus nostræ est felicitas) tam probe instructum esse, ut Serenitatem Vestram ad magnam in iisdem perfectionem facili compendio perducturus sit; ista tamen documenta omnino præterire non potui, eo quod propositum mihi sit, non Vestræ solum Serenitati, sed aliis etiam Principibus, qui sunt, aut erunt deinceps, hac mea qualicunque scriptione, si quo modo possim, prodesse.

a S. Gregor. Nazianz. in Apol.

SYMBOLVM VI.

EMblematis hujus artificio cœlestis Sponsus usus est in sacro epithalamio, ut ornamenta virtutum sponsæ suæ exprimeret. a *Venter tuus*, inquit, *sicut acervus tritici, vallatus liliis.* Et uidentur eodem alludere lilia, quæ coronabant columnas b templi Salomonici; ne qua iis deesset perfectio, illa item, quæ septiramum c Tabernaculi candelabrum exornabant. Eadem mihi quoque nunc fuit occasio, ut in præsenti Symbolo sub tritici specie scientias, liliorum verò artes atque literas humaniores, quibus illæ condecorandæ sunt, adumbratas vellem. Nec absque autore & fundamento: nam per d spicas jam pridem discipulos intellexit Procopius, per e lilia verò eloquentiam ipse Sponsus. Et quæso, quid politiores literæ aliud sunt, quàm quædam scientiarum corona? Diadema f Principum eas Cassiodorus appellat. Et quasdam etiam Hebræi

a Cant. 7. 2.

b *Et super capita columnarum opus in modum lilii posuit, perfectumque est opus columnarum.* 3 Reg. 7. 22.

c *Ac lilia ex ipso procedentia.* Ex. 25. 31.

d *Spica nomine, ut ego quidem sentio discipulorum cœtum intellexit.* Procop. in c. 17. Isa.

e *Labia ejus lilia distillantia myrrham primam.* Cantic. 5. 3.

f *Diadema eximium inappretiabilis notitia literarum, per quam dum veterum providentia discitur, regalis dignitas augetur.* Cass. 12. var. 1.



Hebræi sertis floreis solebant redimire. Illud, credo, significant Poëtarum lauri, spiræ & cingula (a Hispani *Roscas de las vecas* vocant) flores item serici diversicolores, laureæ Doctoralis apud eosdem insignia. Animi centrum & meditullium scientiæ occupent, circumferentiæ tamen loco mansuetiores literæ sint. Vnius titia absque ornamento : rum, ignorantiæ quædam cies est : scientiæ enim n velut invicem manibus, l aliter conficiunt circulum, no

a Aloys. Nov. Sch. proph. cap. 5.

b Omnes artes, quæ ad huma tem pertinent, habent quoddam mune vinculum, & quasi cogn quadam inter se continentur. pro Arch.

novem Musæ solent, cum choros ducunt. Quantum creat fastidium sapientia, si morosa nimium sit, & humaniorum literarum atque artium suavitate non aliquantum condiatur? Necessariæ ergo istæ sunt Principi, ut imperandi severitatem temperent, utpote quæ à sua, qua pollent, amœnitate humaniores dici consueverunt. Commune aliquid cum cæteris Princeps præ se ferre debet, & discurrendo de studiis variis comem se præbere & affabilem; neque enim regia dignitas est, quæ percellit animos, sed gravitas nimia & imprudens, quemadmodum oculos non lux solis offendit, sed nimia ejusdem siccitas. Oportet itaque ut liberalioribus artibus scientia politica temperata atq; ornata sit. Neque enim illæ resplendent minus, quam rubini in corona aliqua, adamantes in annulo; atq; adeo haud dedecent Majestatem regiam artes istæ, quę ingenium pariter & manum desiderant: neque quicquam *a* auctoritati derogare poterit, aut curis obesse publicis, si temporis aliquid per vices, & animi caussa iisdem Princeps impertiat. Sic Marcus Antonius Imperator pingendi artem; Maximilianus Secundus sculptoriam; Theobaldus Navarrę Rex Poësin & Musicam adamabant, qua posttema etiam Philippus Quartus modernus Hispaniarum Rex, Serenitatis Vestræ Parens, oblectare animum solet, quoties à curis gravioribus utriusque orbis quies conceditur. In eadem & Spartani juventutem suam exercebant. Quin Plato etiam & Aristoteles exercitia ista collaudant, ut Reip. perquam utilia. Et licet non semper in iisdem conquiescat animus, assumere tamen illa aliquando etiam ratio status suadebit; eo quod populo mire placeat, si videat Principem interdum à curis gravioribus sevocare animum, & non semper in subditorũ servitio cogitatione defixum esse. Quo nomine *b* Drusi deliciæ populo Romano quondam acceptæ fuerunt.

§. Duo solum in ejusmodi artium exercitio & usu advertenda sunt. Vnum est, ut ne palam id fiat, sed intra privatos parietes, ut facere solebat Alexander Severus Imperator, tametsi de canendi peritia, seu voce id fieret, seu instrumentis musicis, nemini quicquam concederet. Facile plerique contemnimus, si cui sceptrum & imperium in manus tradita fuere, eum plectro aut penicillo occupatum videamus. Quod majori etiam dignum nota censemus, si ætate provectiore jam sit, in qua negotia illi publica magis curæ esse debent, quam privatæ istiusmodi oblectationes; præsertim cum ita natura comparati simus, ut minime incusemus Principem temporis male perditi, si nihil omnino agat, aut otiosus sit; demus tamen ei vitio, si istiusmodi artibus sese dedat. Alterum est, ut ne multum temporis

a Nec cuiquam judici grave, aures studiis honestis, & voluptatibus concessis impertire. Tac. l. 14. Annal.

b Nec luxus in juvene adeo displicebat: hoc potius intenderet, diem ædificationibus, noctem conviviis traheret; quam solus, & nullis voluptatibus avocatus, mœstas violentias & malas curas exerceret. Tac. l. 3. Annal.

poris aut operæ in iis ponat Princeps, aut præstare aliis cupiat, alias in vana illa excellentia magis, quam in Republica bene administrata aucupabitur gloriam. Quod Neronem aliquando fecisse meminimus, qui dimissis imperii habenis currum auriga malebat regere, aut mimus in theatro personam agere, quam in orbe Imperatorem. Prudenter sane malo isti ivit obviam Alphonsus Rex in præclaris legum suarum institutis, quando de ejusmodi Principum delectamentis discurrens, sic loquitur: a *E porende el Rey, que no su piese de estas cosas bien usar, segun de suso diximos sin el pecado, e la mal estança, que le ende vernia, seguirle ya, aun de ello gran daño, que envilesceria su fecho, dexando las cosas mayores, y buenas, por las viles.* Eundem abusum, quo fit interdum, quod Principes majori in pretio artes habeant, quam scientiam bene laudabiliterque gubernandi. Mantuanus etiã Poëta eleganter his carpit versibus:

b *Excudent alii spirantia mollius æra,*
Credo equidem vivos ducent de marmore vultus,
Orabunt caussas melius: Cælique meatus
Describent radio, & surgentia sidera dicent.
Tu regere imperio populos Romane memento,
Hæ tibi erunt artes, pacique imponere morem
Parcere subjectis, & debellare superbos.

§. Et tametsi Poësis pars sit Musicę: quod enim in hac pręstat tonus gravis & acutus, hoc in illa efficiunt accentus syllabarum, & consonantes: estque exercitium hoc præ illo longe nobilius, illud quippe manuum est; hoc solius ingenii, illud ad delectandum; hoc delectando ad instruendum. Vt tamen ita sit, non videtur omnino convenire Principi, proprerea quod mira ejus dulcedo nobiliores animi actiones valde impediat; nam ubi semel conceptuum ejusmodi humana mens, velut philomela cantus sui suavitate, capta fuerit, ab iis deinde avelli sese non sinit, atque ita acuit se subtilitatibus Poëticis, ut postea hebescat penitus, & obcœcetur molestiarum duritie & asperitate, quas in regimine subire, necesse est. c *Vile autem exercitium putandum est, & ars, & disciplina; quæcunque corpus, aut animam, aut mentem liberi hominis ad usum, & opera virtutis inutilem reddant.* Vnde porro fit, ut si in gubernando non eam animi voluptatem, quam in pangendis versibus Princeps, reperiat, curam istam præcipuam in postremis habeat, & fugiat omnino, aut committat aliis: quomodo fecit Ioannes Secundus Arragoniæ Rex, qui tempus Poëtices studio inutiliter traducebat, evocando ad se è remotissimis provinciis, qui in eo excellerent; usque dum subditi muneris neglecti impatientes, concitato contra eum tumultu, otioso isti ipsius oblectamento modum ponerent. Nihilominus cum Poësis hoc tempore in aulis & palatiis frequens admodum sit, & valde mansuefaciat atque excolat animos, videtur ignorantiæ

a Lib. 21. tt. 5. p. 2.
b Virg. 6. Æneid.
c Arist. lib. 8. Pol. cap. 2.

rantiæ alicujus notam Princeps omnino effugere non posse, nisi leviter tinctus ea sit, aut aliquam ejus notitiam usumve habeat. Quare aliquid studii ea in re concedi illi poterit; quantum videlicet ad excitandum animum & ingenium acuendum satis fore putabitur. Quo in genere multa etiam præclara poëmata videmus profecta ab iis, qui aut orbis, aut Ecclesię gubernacula tenuerunt, idque non sine universali nationum omnium applausu & approbatione.

§ Sunt præterea inter Principes non pauci, qui artem distillatoriam factitent; quod exercitium etsi perhonestum sit, utpote in quo multi admirandi naturæ effectus, & secreta sese prodant: præstat tamen ab ea abstinere prorsus Principes, eo quod *a* curiositas facili negotio inde ad Alchimiam adjiciat animum, aut saltem sub illius colore cupiditas deinde periculum faciat consolidandi argenti vivi, & auri atque argenti conficiendi. Qua in re tempus omnium pretiosissimum male & inutiliter perditur, & consumuntur thesauri præsentes pro incertis & indubiis. Mera dementia est, & quæ non nisi morte curari potest, unum ex alio experimentum sumere, nec advertere tamen, meliorem lapidem Philosophicum inveniri non posse, quam bonam & prudentem œconomiam. De hac nimirum & utili negotiatione, non de scientia Chymica intelligi debet illud Salomonicum: b *Quid sapientia locupletius, quæ operatur omnia? Si autem sensus operatur: quis horum, quæ sunt, magis quam illa est artifex?* Hujusmodi commerciis cum incolis regionum Tharsis & Ophir Rex ipse Salomon ingentes congessit thesauros, ad quos advehendos numquam sane instruxisset tot & tantas classes, tot ac tantis expositas in mari periculis, si in catinis easdem parare potuisset. Cum vero de rebus omnibus copiose ipse *c* disputaverit, habueritque scientiam à Deo infusam & inditam, absque dubio illud etiam secretum, si quomodo potuisset fieri, fuisset assecutus, & reipsa usurpasset. Nec vero credibile est Deum id unquam permissurum: desinerent enim omnia gentium commercia ad quæ conservanda nihil æque conducit, ac moneta aliqua communis omnibus, è pretioso & raro metallo conflata.

a *In supervacaneis rebus noli scrutari multipliciter*, Eccl. 3. 24.

b Sap. c. 8. 5. & 6.

c *Et disputavit super lignis à cedro quæ est in Libano, usque ad hyssopum, quæ egreditur de pariete.* 3 Reg. 4. 33.

SYMBOLVM VII.

Nascuntur una nobiscum affectus; ratio vero non nisi multis post annis subsequitur quando illi jam imperium habent in voluntatem & hæc iis paret ut dominis, specie boni inaniter delusa, donec ratio, instauratis temporis successu & experientia viribus, suum agnoscat dominandi jus, quod illi à natura concessum, & affectuũ tyrannidi obsistere inci-



incipiat. Et solet hoc lumen in Principibus fere exoriri tardius, eo quod affectus in iis ob consuetas aulæ delitias potentiores sint: cumque ii, qui Principum adhærent lateribus, gratiam quoq; eorundem plerumque aucupentur, eaque voluntatis beneficio potius, quam rationis potiri se posse sciant. Hinc omnes adulandi utuntur artificio, atque illam quidem sibi reddere benevolam, huic vero caliginem offundere satagunt. Habeat igitur Princeps perspectas artes istas, atque armet se in affectus suos proprios non solum, sed & in eos omnes, qui iisdem ad occupandum ipsius animum abuti voluerint.

5. Magna hic passim incuria in componendis Principum animis. Herbas inutiles

& infrugiferas, quæ frugibus immiscentur, radicitus cum tempore evellimus; & succrescere sinimus affectus pravos ac passiones, quæ rationi bella movent. Curando Principum corpori Galeni complures præsto sunt, animo sæpe vix unus Epictetus: neque tamen minores pati infirmitates is solet, quam corpus, quin tanto graviores, quanto hoc ille præstantior. Si vultus illi esset aspectabilis oculis, in quo malarum affectionum intemperies sese posset prodere, multorum sane doleremus vices, quos febrilis ille appetituum æstus sic misere depascitur; interim quia aspectum fugiunt, felices eos arbitramur. a *Neque frustra præstantissimus sapientia firmare solitus est; si recludantur tyrannorum mentes, posse aspici laniatus & ictus; quando, ut corpora verberibus, ita sævitia, libidine, malis consultis animus dilaceretur.* Pro! quantis non ejusmodi animus jactatur perturbationum tempestatibus! lux omnis, mens & ratio illi eripitur, ut longe aliter, ac revera sunt in se, appareant omnia. Hinc tanta judiciorum & opinionum varietas; hinc oppido pauci suis recte momentis ponderant singula, sed pro luminis accessu vel recessu diversimode æstimant. Nempe cum affectibus perinde se res habet, ac cum tubis opticis, qui una ex parte objectorum augent magnitudinem, ex altera minuunt. Eædem plane crystalli sunt, res visæ omnino eædem: hoc tamen discrimen est, quod incidentes in unam partem species, & radii visuales à centro ad circumferentiam deriventur, unde magis sese diffundunt & multiplicant; ex altera contra è circumferentia colliguntur ad centrum, ac proinde res visas haud paullo minores offerunt. Tantum inter utrumque videndi modum interest. b Eodem prorsus tempore (tametsi in regnis diversis) in coronam regiam, & successionem paternam convertebant oculos, Infans Iacobus Iacobi Secundi Arragoniæ Regis filius, & Infans Alphonsus filius Dionysii Regis Lusitaniæ. Sed ecce quam dispari ratione ac modo: prior ille, inviro etiam Patre, ultro oblatam respuit; alter contra pietatis jura, vi & armis eam Patri de capite detrahere aggressus est. Vnus curas ingentes, & regnandi pericula secum expendens, mundo valere jusso, vitam monasticam, tranquillam magis & feliciorem, præ aulica elegit; alter vitam absque imperio acerbam duxit atque inutilem, & dominandi libidinem naturæ juri antetulit. Vnus in coronæ circumferentiam, quæ aspectu jucunda in flores desinit, intendebat oculos; alter punctum potius considerabat, & centrum, è quo laborum & curarum ducuntur lineæ.

c §. *Omnia* quidem *ejus, quod speciem boni præfert, gratia omnes agunt*; at quia in ejus agnitione fallimur, hinc error. Omnis nostra potentia, quantumvis magna, nobis videtur exigua; aliena contra, grandis admodum & ampla. Nostra non agnoscimus vitia; aliorum facile

a Tacit. l. 6. Annal.

b Mar. hist. Hispa. l. 15. c. 16.
c Arist. l. 1. Polit.

facile cernimus. Defectus alieni gigantum videntur similes: nostri vix pumilionum instar nobis apparent. Quin vitia ipsa virtutum colore dextre tegimus: ambitio est, & animi excelsitatem interpretamur; crudelitatem, justitiam; profusionem, liberalitatem; temeritatem, fortudinem esse volumus. a *Pauci scilicet prudentia honesta à deterioribus, utilia ab noxiis discernunt.* Ita fallimur, si per illam tubi partem, ubi affectus & passiones obstant, res contueamur. Sola beneficia duplici illo modo, qui auget pariter & minuit, consideranda sunt. Ea quæ accipimus, grandia nobis semper videri debent; quæ in alios conferimus, exigua. b Ita Rex Henricus Quartus consueverat; immo beneficiorum collatorum in alios ne meminisse quidem solebat; contra, quæ ipse accepisset, è memoria effluere nunquam sinebat, in id unice intentus, ut gratiam, quasi debitum esset, quam primum exsolveret. Ne sibi imaginetur Princeps, beneficium, quod largitur, mancipii velut notam esse in eo, qui illud accipit. Non ego eam munificentiam dixerim, sed tyrannidem potius, & quendam quasi mercatum, quo voluntates, haud secus ac mancipia servilia in Guineæ littoribus, gratiarum pretio Princeps mercaretur. Qui dat beneficium, existimare non debet, obligationem se imponere. Is qui accipit, obstrictum se credat. Princeps Deum potius imitetur, c *qui dat omnibus affluenter, & non improperat.*

a Tacit. lib. 4. Annal.
b Mar. hist. Hisp. l. 22. 15.
c Iac. 1. 5.

§. In suscipiendis, gerendisque bellis; in pace concilianda & conservanda; in injuriis tam illatis, quam acceptis; iisdem semper rectæ rationis utatur perspiciliis, per quæ æqualiter, sine fuco & fallaciis singula videat. Neminem illa in rerum æstimatione indifferentia & justitia magis decet ac Principem, qui in regno suo præstare id debet, quod examen in trutina, proindeque de rebus omnibus recte sincereque judicet, oportet; ut sua regno constet æquitas, cujus bilances nunquam in æquilibrio consistent, si affectui aut passionibus locus sit, aut ad rectæ rationis trutinam non omnia ponderentur. Eam ob rem singularis Magistrorum cura requiritur atque industria, qui Principes mentem probe instruant, istos voluntatum errores, & persuasionum vanitatem detegendo, ut à passionibus liber & expeditus sincerum de quaque re judicium ferre valeat. Etenim si cum animis nostris consideraverimus tot imperia collapsa, tot status immutatos, tot Reges ac Principes de vita pariter ac regno exturbatos, primam fere originem fuisse deprehendemus, quod affectus obedientiam abjecerint, & rationi, cui lege naturæ subjecti sunt, parere noluerint. Nec ulla Reipublicæ capitalior pestis est, quam appetitus indomiti, aut fines isti particulares, quos sibi quisque pro libitu statuit.

§. Non illud ego nunc contendo, ut affectus illi tollantur penitus aut exscindantur in Principe: absque illis enim ad

ad omnes actiones generosiores prorsus esset inidoneus, cum natura non frustra amorem, iram, spem, metum, aliasque passiones similes nobis indiderit, quæ etsi virtutes non sint, sunt tamen illarum comites & media, sine quibus illæ nec acquiri recte, nec exerceri possunt. Abusum solum earundem & inordinationem improbo; isthæc corrigenda sunt, ut Princeps in actionibus suis non affectibus ducatur, sed è prudenti politica omnia moderetur. a *Regum est ita vivere, ut non modo homini, sed ne cupiditati servias.* Carolus V. si quando iræ & indignationi indulgere aliquid vellet, privatim, & ab hominum remotus arbitrio id faciebat, non in publico, quando personam & majestatem Imperatoris sustinebat. Nempe tunc Princeps ideam Gubernatoris agit potius, quam hominem: Gubernatoris, inquam, aliorum magis quam sui ipsius. Nihil tunc ex affectu statuendum; sed ad rationis regulam & normam expendenda omnia. Non ex ingenio proprio, sed arte. Mores Principis politici magis sint oportet, quam naturales. Ejus consilia è corde Reipublicæ potius proficisci debent, quam suo ipsius proprio. Homines privati commodis & utilitatibus suis omnia metiri solent; Principes bonum publicum præ oculis habere necesse est. In privato si passiones dissimulet, minus candidi & aperti pectoris putatur indicium; in Principibus etiam ratio status id quandoq; exigit. Nullius affectus signa tum dedit Tiberius, cum Piso post sublatum è vivis ejus jussu Germanicum, sese illi prætulit. Id quod deinde Pisonem solicitum habuit: b *Nullo* enim *magis exterritus est, quam quod Tiberium sine miseratione, sine ira obstinatum, clausumque vidit, ne quo affectu perrumperetur.* Qui pluribus imperat, cum pluribus variare affectus debet; aut quantum fieri potest, immunem sese ab iis ostendere. c Illud denique conetur Princeps, ut una eademque hora, pro occasionum varietate, severum & benignum; justum & clementem; liberalem & parcum se exhibeat: d *Nam tempori aptari decet.* Qua in re Tiberius excellens fuit, cujus mentem haud facile quisquam dispicere potuit, e *adeo vertit & miscuit ira & clementia signa.* Bonus Princeps sibi dominatur, & servit populo. Quod si naturales animi impetus aut frangere, aut dissimulare neglexerit, eundem semper tenebit in agendo modum: quo fiet, ut facile quivis visurus sit, quo consiliis suis collimet, contra præcipuam Politicæ regulam, quæ vel ideo suadet variare agendi rationem, ut ne mens Principis omnibus innotescat. Nec sane periculo vacat, si naturam & affectus Principis alii penetrent: nulla enim via facilior ad occupandum ipsius animum, quem expedit liberum servare semper & clausum aliis, si quidem recte imperio præesse desideret. Vbi Ministri Prin-

a M. Tull. in Orat. pro Syll.

b Tacit. l. 3. Annal.

c *Istuc est sapere, qui, ubicumque opus sit, animum possis flectere.* Terent.

d Sen. in Med.

e Tacit. l. 3. Annal.

Principis inclinationem semel perspexerint, mox idem adulari, & eosdem præ se ferre affectus incipiunt. Si qua in re Princeps obstinet animum, idem etiam ipsi faciunt, ut jam non nisi penes obstinatos imperium sit. Quod si aliquando è re fore videbitur, ut Princeps populi affectum plausumve captet, ita se potius gerat, ut ea, quæ populus fugit & amplectitur, naturali instinctu ipse fugere & amplecti videatur.

S. Porro inter affectus & passiones Aristoteles etiam Verecundiam numerat, quam negat virutibus moralibus accensendam, eo quod sit infamiæ metus, adeoque videatur cadere non posse in virum bonum & constantem, qui cum ex præscripto rectæ rationis agere omnia soleat, non est quod de ulla re verecundetur. S. Ambrosio tamen a virtus est quæ actionibus modum ponit. Quod intelligendum puto de Verecundia illa ingenua & liberali, quæ animo honestiori fræni instar est, ne quid turpe aut indecorum admittat: estque optimæ indolis indicium, & argumentum haud leve, superesse adhuc in ejusmodi animo quædam virtutum semina, etsi nondum satis alte radicata. Aristotelem vero loqui crediderim de Erubescentia alia vitiosa, & immoderata, quæ virtutibus noxia est. haud secus ac ros lenior segetes fovet ac recreat; ast ubi pruinæ in modum cadit, adurit easdem ac destruit. Nulla virtus exerceri libere potest, ubi hæc passio invaluerit, neque ulla res Principibus magis perniciosa est, eo vel maxime, quod virtutis gerat speciem, perinde quasi candidioris sit animi (cum fracti & abjecti potius esse videatur) si negare, contradicere, reprehendere, castigare Princeps erubescat. Nimium in sua amplitudine hi tales se constringunt, umbras quodammodo metuunt, & quod caput est, aliorum sese reddunt mancipia, qui dominari debuerant. Illud vero quam indecorum, quod frontem ipsorum verecundię color occupet, quo adulatores, mendaces, facinorosos suffundi oporteret, quodque sui ipsorum obliti ab aliis regi se sinant ac decipi? Quicquid alii petūt, offerunt ultro & largiuntur, nihil pensi habentes, quid exigant merita, solis victi precibus. In sententias aliorum & consilia, etsi minime probata, lubentes abeunt. hoc solo nomine, quod contradicere ipsi non audeant, malintque victi videri, quam vicisse alios. Id quod gravissimorum malorum in Rep. seminarium est. b Nam *quorundam parum idonea est verecundia rebus civilibus, quæ firmam frontem desiderant.* Principibus itaque omni ope enitendum, ut hanc verecundiæ passionem, & pudorem naturalem moderentur fortitudine & constantia, firmando non animum solum, sed ipsum etiam exteriorem vultum contra adulationes, mendacia, fraudes & malitiam; ut ea corrigere & emendare, integritatem vero regiam in dictis & factis

a *Pulchra virtus est verecundia, & suavis gratia, quæ non solum in factis, sed etiam in ipsis spectatur sermonibus, ne modum prætergrediaris loquendi, ne quid indecorum sermo resonet tuus.* S. Ambr.

b Senec.

sartam tectam tueri valeant. Quod quia Ioannes Secundus, & Henricus Quartus, ambo Reges, facere prætermiserunt; quid mirum, tam authoritatem, quam coronam ipsorum in tantum adducta fuisse discrimen? Verum in passione hac curanda, singulari cautione opus est: etsi enim alia vitia veluti spinæ radicitus extirpanda sint, hoc tamen amputandum est potius, ut id resecetur solum, quod superfluum est; relinquatur vero illa Verecundiæ pars, quæ virtutum est custos, moresque & actiones hominum componit: nam absque hoc fræno indomitus plane erit Principis animus, & nisi ad indecentiam atque infamiam subinde advertat oculos, passionum suarum sequetur impetum, accedente præsertim potentia, & præceps ruet. a *Si vix artibus honestis retinetur pudor*; quid fiet, si illum omnino exuerimus? Tiberius certe b *postremo in scelera simul ac dedecora prorupit, postquam remoto pudore & metu, suo tantum ingenio utebatur.* Hac de caussa Plato dixit, Iovem aliquando, cum generis humani ruinam metueret, Mercurium ablegasse in terras, ut Iustitiam & Verecundiam inter homines partiretur, quibus sese ab interitu vindicarent.

5. Atque huic passioni, de qua nunc agimus, haud multum absimilis est, nec minus exitiosus Principibus affectus ille, quem commiserationis vulgo solemus dicere. Exitiosus inquam, qui ubi in animo prævaluerit, nec ratio, nec justitia recte suum faciunt officium; dum enim plus æquo verentur, ne cui aut reprehendendo, aut castigando ægre faciant, subditorum delictis medicinam adhibere negligunt, & multa impune abire sinunt. Obsurdescunt ad populi clamores, nec eos movent damna publica, interim tanguntur misericordia trium aut quatuor hominum, à quibus ista proficiscuntur. In delictis alienis confusos se sentiunt, atque adeo, ut ne sibi aliorum caussa sit malè; connivere malunt potius, aut impunitatem concedere, quam in illa animadvertere. Iudicii imbecillitas hæc est, & prudentiæ defectus cum tempore corrigendus; eadem tamen moderatione adhibita, qua de Verecundia ante dictum est: ut scilicet ea solum commiserationis pars resecetur, quæ sic languere facit animum, & ita effœminat, ut fortiter & constanter agere nequeat; retento tamen misericordiæ affectu Principum proprio, c ubi recta ratio absque jactura tranquillitatis publicæ ita suaserit. Vterque iste tam Verecundiæ, quam Commiserationis affectus domari possunt ac corrigi actibus quibusdam contrariis, qui nimiam illam cordis teneritudinem, mentisque imbecillitatem paulatim tollant, atque ad fortiora corroborent animum, serviles istiusmodi metus ei eximendo. Quod si subinde Princeps conabitur (etsi in rebus minimis) animum firmum & constantem retinere, suæ item dignitatis & officii habere rationem, facile idem postea in rebus

a Tacit. lib. 14. Annal.
b Tacit. l. 6. Annal.

c *Principatus enim est proprium misereri.* S. Chrys.

rebus majoribus præstare poterit. Plurimum sane refert, si vel semel generose ea in re vincat sese ipse, & timeri se atque suspici ab aliis faciat.

§. Restant duæ aliæ passiones, juventuti nimium quantum noxiæ; Metus & Obstinatio animi. Metum dico, quando Princeps omnia pertimescit, & sibi ipse in omnibus diffidens, nec loqui audet quicquam, nec agere. Nihil unquam recte à se agi putat, veretur prodire in publicum, & successum magis amat ac solitudinem. Isthuc plerumque ex educatione muliebri, quæ à consortio hominum solet esse alienior, uti & ex defectu experientiæ nascitur, cujus etiam solius beneficio malum illud curari potest, si assuefiat nimirum Princeps ad audientiam præstandam tam subditis quam exteris, si sæpe foras in publicum, & in lucem producatur, ut homines & alia nosse discat, qualia ipsa in se sunt, non quomodo ea aut imaginatio depinxit, aut is, quo magistro & moderatore utitur. Ad Principis conclave liber semper pateat accessus Viris Illustribus ac Nobilibus, qui Patri ejus à cubiculis sunt; aliis item aulicis fortitudinis, ingenii & experientiæ laude præstantibus. Qui mos in Hispania observatus fuit, usque ad tempora Philippi Secundi Regis; qui molitionibus Caroli filii factus cautior, illam aliorum communicationem & accessum liberum restrinxit omnino ac sustulit: atque ita dum unum declinare voluit incommodum, in aliud incidit æque Principibus noxium, quale est, nimium sese ab hominum alloquio abstrahere: hoc enim dum faciunt Principes, facile postmodum fit, ut certæ alicui personæ affectu peculiari & favore ipsi adhærescant.

§. Obstinatio denique partim ex metu, partim ex ignavia quadam naturali nascitur; quando nimirum Princeps nihil omnino agere vult, sed contra institutionem præfracte obfirmat animum. Curari vero debet illa mentis segnities flammis & stimulis gloriæ; quemadmodum calcaribus equorum vitia solent corrigi: paulatim itaque ducendus in viam Princeps, & laudandi progressus, quos fecerit, tametsi sub initium laudes istæ supra meritum etiam sint, & ad solam speciem.

SYMBOLUM VIII.

IN Monocerote mire solers fuit natura ac provida. Inter ipsos oculos Iræ arma defixit. Prorsus necessum est, ut oculum utrumque intentum habeas in eam passionem, quæ tam imperiose actionibus & motibus animi dominatur. Eadem flamma, qua succenditur, lumen illi eripit. Ab insania & furore non nisi temporis brevitate differt. Nec homo iratus idem est qui antea; per iram enim quasi extra se ponitur. a *Non desiderat fortitudo adver-*

a Cicero.



Advocatam iram. a *Quid* enim *stultius est, quam hanc ab iracundia petere præsidium, rem stabilem ab incerta, fidelem ab infida, sanam ab ægra?* Ad triumphandos hostes nihil opus levitate iracundiæ. Nec fortitudo est, quæ absque ratione commoveri se sinit. Verbo, nullum vitium magis Principem dedecet, quam istud: irasci enim contemptum supponit, aut acceptam injuriam. Nullum item muneri & officio ejus sic adversatur: nihil enim æque tenebras offundit judicio, quod clarissimum semper esse debet in eo, qui aliis imperat. Princeps qui ira, & stomacho leviter exardescit, cordis sui potestatem tradit irritanti, & arbitrio illius se subjicit. Si absque offen-

a Seneca.

offensione ne plica quidem in pallio regio disturbari posset à quopiam; quid erit denique, si animum illius quis conturbet?

§. Enimvero ira tinea quædam est, quam patit, & nutrit ipsa purpura. Pompa superbiam gignit, superbia iram. Et potentiæ quasi proprium est, nolle pati. Nimis quam delicatus est Principum sensus. Speculum, quod facillime maculam contrahit. Cælum, quod vapore tenui cito obnubilatur, & jacit fulmina. Vitium quod animos magnos plerumque generosos & impatientes occupat; perinde ac mare, quantumvis vastum sit & potens, levissimo tamen ventorum flatu gravissimos patitur motus ac tempestates. Illud solum interest, quod hæ in animis Principum longe diuturniores sint, quam in ipso mari; præsertim ubi honor læsus fuerit, quem existimant absque vindicta recuperari non posse. Deus bone! quantillum erat; *a* Sanctium Navarræ Regem, pugna ad Alarcum habita, non salutato prius Rege Alphonso hujus nominis Tertio, domum repetere? hic tamen ea re offensus sic fuit, ut inurbanitatis istius oblivisci nunquam potuerit, nec conquiescere, donec regno illum exuisset. Principum ira pulveri tormentario similis est, qui simul atque ignem concipit, mox vires suas exserit. Nuntium mortis *b* eam appellat Spiritus sanctus, ut vel hoc nomine eam frænare & cohibere par sit. Turpe est eum, qui aliis mandata dat, huic passioni succumbere. Meminerint Principes, ideo sceptri loco nihil sibi in manus tradi, quo lædere quenquam possint: quod si aliquando gladius strictus Regibus præferri solet, id justitiæ, non vindictæ insigne est, & aliena tunc quidem portatur manu, ut noverint inter & executionem mandatum debere intercedere. E Principibus pendet salus publica, quæ facile in discrimen veniet, si Consiliario tam præcipiti, qualis est ira usi fuerint. Ecquis manus ejus effugit? nam fulminis instar est, quando suprema potestas eam impellit. *c Eporque la ira del Rey* (ut ait in suis legibus Alphonsus Rex) *es mas fuerte, è mas dannosa, que la de los otros Omes, porque la puedo mas ayna complir porende debe ser mas apercebido, quando la oviere en saberse sofrir.* Si Principes ira nonnunquam inflammati sese ipsi contuerentur oculis, speciem utique cernerent indignam tanta Majestate; cujus tranquillitas, & suavis tam verborum, quam actionum concentus, allicere magis debet, quam terrere; amorem conciliare potius, quam formidinem.

§ Cohibeat itaque Princeps iræ impetum; quod si id non possit, sustineat saltem furorem, & executionem ad tempus differat; nam uti dixit *d* idem Alphonsus Rex, *Debe el Rey sofrirse en la sanna, fasta que sea pasada, è quando lo fiziere seguirsele à gran prò, ca podra escoger la verdad, è fazer*

a Mar. Hist. lib. 11. cap. 18.
b Indignatio Regis, nuntii mortis. Prov. 16. 14.
c Lib. 10. tt. 5. p. 2.
d Idem ibid.

con derecho, lo que hiziere. Theodosius Imperator in semetipso expertus id fuit; quare lege etiam cavit, ut sententiæ capitales ante, quam triginta dies abiissent, executioni ne mandarentur. Quod decretum prius *a* Tiberius fecerat, sed ad solos decem dies, etsi Senatui nollet facere potestatem, sententiam semel latam revocandi. Recte illud quidem, si ideo factum fuisset, ut gratiæ locus esset, aut de caussa cognosci denuo posset; verum *b* Tiberius homo crudelis & ferox, tantum indulgere non voluit. Augusto item Cæsari suasit Athenodorus, ne quid iratus decerneret prius, quam viginti quatuor Alphabeti Græci literas ex ordine recensuisset.

§. Cum itaque ira furor brevis sit, maturitati deliberationis directe oppositus, nullum illi aptius remedium est, quam prudens consultatio animi; ne scilicet cum executione præcipitet Princeps, donec consilio rem omnem expenderit. Non immerito contemptum se putabat *c* Assuerus Rex, quando Regina Vasthi ab ipso vocata venire renuit; & tametsi id graviter acceperit, ulcisci tamen noluit, antequam regni sui proceres in consilium adhibuisset.

§. De accepta injuria multum cum aliis colloqui, iram magis succendit; unde & Pythagoræ fuit monitum: *Ignem gladio ne fodito:* agitatio enim flammam magis suscitat: neque efficacius pro ira remedium est, quam silentium & solitudo: seipsa sensim consumitur & interit. Quin immo blandissima sæpe verba frigidæ instar sunt, quam fabri ferrarii fornacibus affundunt, ita magis magisque inflammant.

§. Hæc porro in auribus sedem habet, aut certe per eas quasi fores advigilat: *d* has ergo muniat Princeps, ne sinistros rumores facile hauriant, qui animum irritare possint. Hinc factum reor, quod statua Iovis Cretensis auribus careret; nam iis, qui cum imperio sunt, damni plus adferunt sæpe, quam emolumenti. Ego necessarias eas judico Principibus, si circumspectæ sint, & cum prudentia consilium capiant, neque ad primos quosque rumusculos commoveri se sinant. Tunc ira laudabilis est, quando eam ratio suscitat, & lenit prudentia. Vbi hæc ira *e* non est, justitia esse non potest. Tolerantia nimia peccandi licentiam dat, & obedientiam audacem facit. Omnia tolerare æquo animo & pati, aut ignorantia est, aut servitus, hominis de se parum sentientis. Iram fovere, ut offensioni fiat satis, aut exemplum statuatur de injuria in authoritatem regiam admissa, non vitii, sed virtutis est, idque lenitati, & mansuetudini nil quicquam dero-

a *Idque vitæ spatium damnatis prorogaretur, sed non Senatui libertas ad pœnitendum erat*, Tac. l. 3. Ann.

b *Neque Tiberius interjectu temporis mitigabatur.* Tac. lib. 3. Ann.

c *Quæ renuit, & ad Regis imperium, quod per Eunuchos mandaverat, venire contempsit. Vnde iratus Rex, & nimio furore succensus, interrogavit sapientes qui ex more regio semper ei aderant.* Esth. 1, 12.

d *Sit omnis homo velox ad audiendum, tardus autem ad loquendum, & tardus ad iram.* Iac. 1. 19.

e *Nunc irasci convenit justitiæ caussa.* Stob. ser. 20.

derogat. Ecquis magis mitis & mansuetus, quam *a* David, vir secundum *b* cor Dei, tam lenis in vindicando, tam in ira moderatus; ut cum Saulem infensissimum sibi hostem in sua teneret potestate, satis habuerit oram *c* chlamydis illi præcidere; cujus facti adhuc illum pœnituit postea. Et tamen quanta severitate injuriam ultus est, qua Rex Hanon legatos ejus affecerat? Miserat eos David ad consolandum Regem de obitu Patris sui, ille vero sinistre suspicatus, ad explorandum regni statum potius venisse, barbis semirasis, & vestibus indecore decurtatis eos abs se dimisit. Non tulit hanc injuriam David, homo cætera mitissimus: sed bello illum adorsus, omnes regni civitates, quas occupavit, funditus evertit; incolas vero earundem (ut cum Scriptura hoc dicam) *d adducens serravit, & circumegit super eos ferrata carpenta: divisitque cultris, & traduxit in typo laterum.* Immanitas quædam, atq; iræ immoderatio cuipiam ista videri possent, qui forte nesciret, injuriarum vulnera interdum curanda sic esse, ut ne cicatrices quidem maneant reliquæ. Ferro & igni interminatus est civitatibus & & provinciis quibusdam *e* Artaxerxes, ni cuidam suo decreto essent obsequentes, daturus alias tam hominibus, quam animantibus brutis puniti contemptus & inobedientiæ severissimum exemplū. Iustissimus Deus isthanc politicam nos docuit, quando extremo cum rigore, salva tamen misericordia, à Syrorum *f* exercitu pœnas sumpsit, eo quod se Deum montium blaspheme vocitassent. Suprema Principum authoritas & potestas pars est Reipublicæ, adeoque offensas & injurias acceptas dissimulare semper non possunt.

§. Illa porro ita in Principibus laudabilis, & Reipubl. perutilis, quam suadet ratio, quæque gloriæ stimulis incitata, ad ardua & sublimiora impellit animum, etenim sine illa nihil egregium, nihil magnum moliri quis potest, nedum ad exitum perducere. Illa, illa est, quæ generosioribus spiritibus cor pascit, & supra se erigit ad contemnendas & spernendas difficultates. Cotem virtutis eam appellavere Academici, & virtutum comitem Plutarchus vocat.

§. Maximè vero sub Principatus initium ita deponere debet Princeps, & oblivisci injuriarum antea illatarum; uti fecit *g* Rex Sanctius, cognomento Fortis, cum per successionē Castellæ regnū indeptus esset. Cum imperio Naturam velut immutat Princeps; quidni

C 6

a *Memento Domine David, & omnis mansuetudinis ejus.* Ps. 131. 1.

b *Inveni David filium Iesse, virum secundum cor meum.* Act. 13. 22.

c *Surrexit ergo David, & præcidit oram chlamydis Saul silenter. Post hæc percussit cor suum David, eo quod abscidisset oram chlamydis Saul.* 1 Reg. 24. 5. & 6. 1. Paral. 19.

d Reg. 12. 31.

e *Vt non solum hominibus; sed etiam bestiis in via sit in sempiternum, pro exemplo contemptus & inobedientiæ*, Esth. 16. 24.

f *Quia dixerunt Syri, Deus montium est Dominus, non est Deus vallium: dabo omnem hanc multitudinem grandem in manu tua, & scietis, quia ego sum Dominus.* 3 Reg. 20. 28.

g Mar. hist. Hisp. lib. 14. c. 10.

ni ergo immutet affectus etiam & passiones? Abuteretur sane dominatu, qui vindictam de eo sumeret, qui jam subditum se agnoscit. Illud offenso sit satis, quod in eum nactus sit imperium, qui prius læserat. Nobiliorem vindicandi rationem Fortunæ largiri non potest. Ita secum reputabat Ludovicus XII. Galliæ Rex, quare suadentibus nonnullis, ut ultum iret injurias, quas id temporis accepisset, cum Ducis Aurelianensis solum titulo gauderet, respondisse fertur: *Regem Franciæ non decet ulcisci injurias Aurelianensis Ducis.*

§. Offensas privatas in personam, non dignitatem admissas extrema sua potentia ne vindicet Princeps: etsi enim una ab alia videatur secerni non posse, expedit tamen non raro illas distinguere, ne Majestas exosa fiat, aut nimium formidabilis. Eo tendebat *a* Tiberii responsum, cum diceret. Si Piso nihil peccasset aliud quam quod de morte Germanici, & suo luctu lætatus esset, privatas inimicitias ulcisci se velle, non Principis. E contrario vindicare non debet, ut privatus, injurias, quæ aut muneri ejus, aut statui publico irrogantur: ita ut passione abreptus, de sua existimatione aut honore actum putet, nisi confestim ultionem paret, præsertim quando in aliud differre tempus magis expedit; etenim ira Principum non motus animi esse debet, sed utilitatis publicæ. Hanc præ oculis habuit *b* Rex Ferdinandus Catholicus, cum Rex Granatæ tributum nollet pendere, contra ac ejus majores fuerant soliti; atque una insolentius renuntiaret, jam pridem eos decessisse, in suis autem officinis monetariis non aurum aut argentum elaborari, sed enses fabricari & lanceas. Dissimulavit tamen ad tempus libertatem istam & arrogantiam Ferdinandus Rex, & inducias cum illo pactus est, differendo vindictam, usque dum in statu quietiori res essent; qua in re bono publico *c* magis quam affectui suo consuluit.

§. Nec minoris prudentiæ est iram tunc dissimulare, cum præsumi merito potest, fore aliquando tempus, quando nocebit eam ostendisse. Ea de caussa Rex Catholicus Ferdinandus, tametsi Primoribus regni graviter offensus esset, quando tamen abdicato Castellæ regno, se recepit in Aragoniam, prudenter admodum istam animi indignationem, & acceptas injurias taciturnitate celavit, atque adeo amicum & benevolum omnibus sese in suo discessu exhibuit, tanquam jam tunc præsentiret, denuo se regno isti aliquando præficiendum, uti revera postea accidit.

§. Generosa mens injurias vultu tegit, neque iracundiæ impetu

a *Nam si legatus officii terminos, obsequium erga imperatorem exuit, ejusdemque morte, & luctu meo lætatus est, odero; seponamque a domo mea, & privatas inimicitias, non principis, ulciscar.* Tac. lib. 2. Annal.

b Mar. hist. Hisp. l. 24. cap. 16. Anton. Nibriss. Dec. lib. 7. cap. 9.

c *Fatuus statim indicat iram suam; qui autem dissimulat injuriam, callidus est.* Proverb. 12. 16.

impetu abolere eas satagit, sed egregiis facinoribus potius, optimo sane, & vere heroico vindicandi genere. *a* Cum Rex Ferdinandus, cognomento Sanctus, Hispalim obsideret, Vir quidam nobili loco natus exprobrabat Garsiæ Peresio de Vargas, quod scuto undulato, contra ac familiæ isti liceret, uteretur. Dissimulavit ille tum quidem hoc dictum, donec Triana vi tentanda esset. Ibi inter primos adeo strenue dimicavit, ut scutum infixis missilibus telis undique coopertum è pugna referret. Quare ad suum reversus æmulum, qui loco tum sibi caverat, & scutum ostentans sic eum allocutus est: *Non absque caussa tu quidem hoc scutum nostra abjudicasti familia, qui illud tantis objicimus periculis; tibi vero præ aliis deberi, quis neget, qui tanto studio illæsum illud servas?* Solent plerumque calumniarum magis esse patientes ii, qui ab isto maledicendi genere alieniores sunt; neque minor virtus est, istam triumphare passionem, quam hostem.

§ Iram Principis accendere, haud minus periculosæ plenum opus est aleæ, quam ignem cuniculis, aut tormento portis insititio (petardam vulgo dicunt) subjicere; & licet in favorem proprium id fiat, prudentiæ tamen est illam moderari, præsertim si contra potentiores ea sit: ejusmodi enim iræ redundant plerumque in caput illius, qui primus auctor & incentor extitit. *b* Hæc caussa fuit, cur Mauri Toletani tantopere laborarint, ut placárent iratum Regis Alphonsi Sexti animum, contra Archiepiscopum Toletanum & Reginam; propterea quod hi absque illius mandato Mosqueam iis eripuissent. Ex quo duo eruo documenta: Vnum est, debere Ministros, quando officii ratio postulat, quam blandissime fieri potest, ea proponere Principi, quæ ei aut fastidium creare possunt, aut bilem commovere: *c* facile enim accidit, ut animus furore correptus in eum deinde desæviat, qui rem enarrando exposuit, quamtumvis omni culpa is vacet, aut optimo zelo id fecerit. Alterum est, ut dextrè conentur non moderari solum Principum iram, sed tegere etiam & occultare. Seraphini isti (amoris Ministri) quos coram Deo assistere viderat Isaias, *d duabus alis velabant faciem ejus, & duabus velabant pedes ejus*; ne videlicet noxa alicujus rei ira ex oculis emicante, sic perterrefierent, ut montibus mallent opprimi, quam iratum Dei vindicis e vultum intueri.

Vbi vero iracundiæ calor deferbuit, jam dolent etiam Principes, & indignantur, si quos aut iræ suæ testes, aut executionis habuere spectatores; utrumque enim istud à regia dignitate alienum est. Et propter hoc Deus ipse uxorem Lothi *f* in statuam salis convertit.

a Mar. hist. Hisp. l. 13. c. 7.
b Mar. hist. Hisp. lib. 9. cap. 17.

b *Cuncta tamen ad Imperatorem in melius relata.* Corn. Tacit. lib. 4. Annal.

c Isa. cap. 6. 2.

d *Cadite super nos, & abscondite nos à facie sedentis super thronum, & ab ira Agni.* Apoc. 6. 16.

e *Respiciensque uxor ejus post se, versa est in statuam salis.* Gen. 19. 26.

ad omnes actiones generosiores prorsus esset inidoneus, cum natura non frustra amorem, iram, spem, metum, aliasque passiones similes nobis indiderit, quæ etsi virrutes non sint, sunt tamen illarum comites & media, sine quibus illæ nec acquiri recte, nec exerceri possunt. Abusum solum earundem & inordinationem improbo; isthæc corrigenda sunt, ut Princeps in actionibus suis non affectibus ducatur, sed è prudenti politica omnia moderetur. a *Regum est ita vivere, ut non modo homini, sed ne cupiditati servias.* Carolus V. si quando iræ & indignationi indulgere aliquid vellet, privatim, & ab hominum remotus arbitrio id faciebat, non in publico, quando personam & majestatem Imperatoris sustinebat. Nempe tunc Princeps ideam Gubernatoris agit potius, quam hominem: Gubernatoris, inquam, aliorum magis quam sui ipsius. Nihil tunc ex affectu statuendum; sed ad rationis regulam & normam expendenda omnia. Non ex ingenio proprio, sed arte. Mores Principis politici magis sint oportet, quam naturales. Ejus consilia è corde Reipublicæ potius proficisci debent, quam suo ipsius proprio. Homines privati commodis & utilitatibus suis omnia metiri solent; Principes bonum publicum præ oculis habere necesse est. In privato si passiones dissimulet, minus candidi & aperti pectoris putatur indicium; in Principibus etiam ratio status id quandoq; exigit. Nullius affectus signa tum dedit Tiberius, cum Piso post sublatum è vivis ejus jussu Germanicum, sese illi prætulit. Id quod deinde Pisonem solicitum habuit: b *Nullo* enim *magis exterritus est, quam quod Tiberium sine miseratione, sine ira obstinatum, clausumque vidit, ne quo affectu perrumperetur.* Qui pluribus imperat, cum pluribus variare affectus debet; aut quantum fieri potest, immunem sese ab iis ostendere. c Illud denique conetur Princeps, ut una eademque hora, pro occasionum varietate, severum & benignum; justum & clementem; liberalem & parcum se exhibeat: d *Nam tempori aptari decet.* Qua in re Tiberius excellens fuit, cujus mentem haud facile quisquam dispicere potuit, e *adeo vertit & miscuit ira & clementia signa.* Bonus Princeps sibi dominatur, & servit populo. Quod si naturales animi impetus aut frangere, aut dissimulare neglexerit, eundem semper tenebit in agendo modum: quo fiet, ut facile quivis visurus sit, quo consiliis suis collimet, contra præcipuam Politicæ regulam, quæ vel ideo suadet variare agendi rationem, ut ne mens Principis omnibus innotescat. Nec sane periculo vacat, si naturam & affectus Principis alii penetrent: nulla enim via facilior ad occupandum ipsius animum, quem expedit liberum servare semper & clausum aliis, si quidem recte imperio præesse desideret. Ubi Ministri Prin-

a M. Tull. in Orat. pro Syll.

b Tacit. l. 3. Annal.

c *Istuc est sapere, qui, ubicumque opus sit, animum possis flectere.* Terent.

d Sen. in Med.

e Tacit. l. 3. Annal.

Principis inclinationem semel perspexerint, mox idem adulari, & eosdem præ se ferre affectus incipiunt. Si qua in re Princeps obstinet animum, idem etiam ipsi faciunt, ut jam non nisi penes obstinatos imperium sit. Quod si aliquando è re fore videbitur, ut Princeps populi affectum plausumve captet, ita se potius gerat, ut ea, quæ populus fugit & amplectitur, naturali instinctu ipse fugere & amplecti videatur.

5. Porro inter affectus & passiones Aristoteles etiam Verecundiam numerat, quam negat virtutibus moralibus accensendam, eo quod sit infamiæ metus, adeoque videatur cadere non posse in virum bonum & constantem, qui cum ex præscripto rectæ rationis agere omnia soleat, non est quod de ulla re verecundetur. S. Ambrosio tamen *a* virtus est quæ actionibus modum ponit. Quod intelligendum puto de Verecundia illa ingenua & liberali, quæ animo honestiori fræni instar est, ne quid turpe aut indecorum admittat: estque optimæ indolis indicium, & argumentum haud leve, superesse adhuc in ejusmodi animo quædam virtutum semina, etsi nondum satis alte radicata. Aristotelem vero loqui crediderim de Erubescentia alia vitiosa, & immoderata, quæ virtutibus noxia est. haud secus ac ros lenior segetes fovet ac recreat; ast ubi pruinæ in modum cadit, adurit easdem ac destruit. Nulla virtus exerceri libere potest, ubi hæc passio invaluerit, neque ulla res Principibus magis perniciosa est, eo vel maxime, quod virtutis gerat speciem, perinde quasi candidioris sit animi (cum fracti & abjecti potius esse videatur) si negare, contradicere, reprehendere, castigare Princeps erubescat. Nimium in sua amplitudine hi tales se constringunt, umbras quodammodo metuunt, & quod caput est, aliorum sese reddunt mancipia, qui dominari debuerant. Illud vero quam indecorum, quod frontem ipsorum verecundię color occupet, quo adulatores, mendaces, facinorosos suffundi oporteret, quodque sui ipsorum obliti ab aliis regi se sinant ac decipi? Quicquid alii petūt, offerunt ultro & largiuntur, nihil pensi habentes, quid exigant merita, solis victi precibus. In sententias aliorum & consilia, etsi minime probata, lubentes abeunt. hoc solo nomine, quod contradicere ipsi non audeant, malintque victi videri, quam vicisse alios. Id quod gravissimorum malorum in Rep. seminarium est. *b* Nam *quorundam parum idonea est verecundia rebus civilibus, quæ firmam frontem desiderant.* Principibus itaque omni ope enitendum, ut hanc verecundiæ passionem, & pudorem naturalem moderentur fortitudine & constantia, firmando non animum solum, sed ipsum etiam exteriorem vultum contra adulationes, mendacia, fraudes & malitiam; ut ea corrigere & emendare, integritatem vero regiam in dictis & factis

 sartam

a *Pulchra virtus est verecundia, & suavis gratia, quæ non solum in factis, sed etiam in ipsis spectatur sermonibus, ne modum prætergrediaris loquendi, ne quid indecorum sermo resonet tuus.* S. Ambr.

b Senec.

sartam tectam tueri valeant. Quod quia Ioannes Secundus, & Henricus Quartus, ambo Reges, facere prætermiserunt; quid mirum, tam authoritatem, quam coronam ipsorum in tantum adducta fuisse discrimen? Verum in passione hac curanda, singulari cautione opus est: etsi enim alia vitia veluti spinæ radicitus extirpanda sint, hoc tamen amputandum est potius, ut id resecetur solum, quod superfluum est; relinquatur vero illa Verecundiæ pars, quæ virtutum est custos, moresque & actiones hominum componit: nam absque hoc fræno indomitus plane erit Principis animus, & nisi ad indecentiam atque infamiam subinde advertat oculos, passionum suarum sequetur impetum; accedente præsertim potentia, & præceps ruet. a *Si vix artibus honestis retinetur pudor*; quid fiet, si illum omnino exuerimus? Tiberius certe b *postremo in scelera simul ac dedecora prorupit, postquam remoto pudore & metu, suo tantum ingenio utebatur*. Hac de caussa Plato dixit, Iovem aliquando, cum generis humani ruinam metueret, Mercurium ablegasse in terras, ut Iustitiam & Verecundiam inter homines partiretur, quibus sese ab interitu vindicarent.

§. Atque huic passioni, de qua nunc agimus, haud multum absimilis est, nec minus exitiosus Principibus affectus ille, quem commiserationis vulgo solemus dicere. Exitiosus inquam, qui ubi in animo prævaluerit, nec ratio, nec justitia recte suum faciunt officium; dum enim plus æquo verentur, ne cui aut reprehendendo, aut castigando ægre faciant, subditorum delictis medicinam adhibere negligunt, & multa impune abire sinunt. Obsurdescunt ad populi clamores, nec eos movent damna publica, interim tanguntur misericordia trium aut quatuor hominum, à quibus ista proficiscuntur. In delictis alienis confusos se sentiunt, atque adeo, ut ne sibi aliorum caussa sit malè; connivere malunt potius, aut impunitatem concedere, quam in illa animadvertere. Iudicii imbecillitas hæc est, & prudentiæ defectus cum tempore corrigendus; eadem tamen moderatione adhibita, qua de Verecundia ante dictum est: ut scilicet ea solum commiserationis pars resecetur, quæ sic languere facit animum, & ita effœminat, ut fortiter & constanter agere nequeat; retento tamen misericordiæ affectu Principum proprio, c ubi recta ratio absque jactura tranquillitatis publicæ ita suaserit. Vterque iste tam Verecundiæ, quam Commiserationis affectus domari possunt ac corrigi actibus quibusdam contrariis, qui nimiam illam cordis teneritudinem, mentisque imbecillitatem paulatim tollant, atque ad fortiora corroborent animum, serviles istiusmodi metus ei eximendo. Quod si subinde Princeps conabitur (etsi in rebus minimis) animum firmum & constantem retinere, suæ item dignitatis & officii habere rationem, facile idem postea in rebus

a Tacit. lib. 14. Annal.
b Tacit. l. 6. Annal.

c *Principatus enim est proprium misereri.* S. Chrys.

rebus majoribus præstare poterit. Plurimum sane refert, si vel semel generose ea in re vincat sese ipse, & timeri se atque suspici ab aliis faciat.

§. Restant duæ aliæ passiones, juventuti nimium quantum noxiæ; Metus & Obstinatio animi. Metum dico, quando Princeps omnia pertimescit, & sibi ipse in omnibus diffidens, nec loqui audet quicquam, nec agere. Nihil unquam recte à se agi putat, veretur prodire in publicum, & successum magis amat ac solitudinem. Isthuc plerumque ex educatione muliebri, quæ à consortio hominum solet esse alienior, uti & ex defectu experientiæ nascitur, cujus etiam solius beneficio malum illud curari potest, si assuefiat nimirum Princeps ad audientiam præstandam tam subditis quam exteris, si sæpe foras in publicum, & in lucem producatur, ut homines & alia nosse discat, qualia ipsa in se sunt, non quomodo ea aut imaginatio depinxit, aut is, quo magistro & moderatore utitur. Ad Principis conclave liber semper pateat accessus Viris Illustribus ac Nobilibus, qui Patri ejus à cubiculis sunt; aliis item aulicis fortitudinis, ingenii & experientiæ laude præstantibus. Qui mos in Hispania observatus fuit, usque ad tempora Philippi Secundi Regis; qui molitionibus Caroli filii factus cautior, illam aliorum communicationem & accessum liberum restrinxit omnino ac sustulit: atque ita dum unum declinare voluit incommodum, in aliud incidit æque Principibus noxium, quale est, nimium sese ab hominum alloquio abstrahere: hoc enim dum faciunt Principes, facile postmodum fit, ut certæ alicui personæ affectu peculiari & favore ipsi adhærescant.

§. Obstinatio denique partim ex metu, partim ex ignavia quadam naturali nascitur; quando nimirum Princeps nihil omnino agere vult, sed contra institutionem præfracte obfirmat animum. Curari vero debet illa mentis segnities flammis & stimulis gloriæ; quemadmodum calcaribus equorum vitia solent corrigi: paulatim itaque ducendus in viam Princeps, & laudandi progressus, quos fecerit, tametsi sub initium laudes istæ supra meritum etiam sint, & ad solam speciem.

SYMBOLVM VIII.

IN Monocerote mire solers fuit natura ac provida. Inter ipsos oculos Iræ arma defixit. Prorsus necessum est, ut oculum utrumque intentum habeas in eam passionem, quæ tam imperiose actionibus & motibus animi dominatur. Eadem flamma, qua succenditur, lumen illi eripit. Ab insania & furore non nisi temporis brevitate differt. Nec homo iratus idem est qui antea; per iram enim quasi extra se ponitur. a *Non desiderat fortitudo adver-*

a Cicero.



Advocatam iram. a *Quid* enim *stultius est, quam hanc ab iracundia petere præsidium, rem stabilem ab incerta, fidelem ab infida, sanam ab ægra?* Ad triumphandos hostes nihil opus levitate iracundiæ. Nec fortitudo est, quæ absque ratione commoveri se finit. Verbo, nullum vitium magis Principem dedecet, quam istud: irasci enim contemptum supponit, aut acceptam injuriam. Nullum item muneri & officio ejus sic adversatur: nihil enim æque tenebras offundit judicio, quod clarissimum semper esse debet in eo, qui aliis imperat. Princeps qui ira, & stomacho leviter exardescit, cordis sui potestatem tradit irritanti, & arbitrio illius se subjicit. Si absque offen-

a Seneca.

offensione ne plica quidem in pallio regio disturbari posset à quopiam; quid erit denique, si animum illius quis conturbet?

§. Enimvero ira tinea quædam est, quam parit, & nutrit ipsa purpura. Pompa superbiam gignit, superbia iram. Et potentiæ quasi proprium est, nolle pati. Nimis quam delicatus est Principum sensus. Speculum, quod facillime maculam contrahit. Cælum, quod vapore tenui cito obnubilatur, & jacit fulmina. Vitium quod animos magnos plerumque generosos & impatientes occupat; perinde ac mare, quantumvis vastum sit & potens, levissimo tamen ventorum flatu gravissimos patitur motus ac tempestates. Illud solum interest, quod hæ in animis Principum longe diuturniores sint, quam in ipso mari; præsertim ubi honor læsus fuerit, quem existimant absque vindicta recuperari non posse. Deus bone! quantillum erat; *a* Sanctium Navarræ Regem, pugna ad Alarcum habita, non salutato prius Rege Alphonso hujus nominis Tertio, domum repetere? hic tamen ea re offensus sic fuit, ut inurbanitatis istius oblivisci nunquam potuerit, nec conquiescere, donec regno illum exuisset. Principum ira pulveri tormentario similis est, qui simul atque ignem concipit, mox vires suas exserit. Nuntium mortis *b* eam appellat Spiritus sanctus, ut vel hoc nomine eam frænare & cohibere par sit. Turpe est eum, qui aliis mandata dat, huic passioni succumbere. Meminerint Principes, ideo sceptri loco nihil sibi in manus tradi, quo lædere quenquam possint: quod si aliquando gladius strictus Regibus præferri solet, id justitiæ, non vindictæ insigne est, & aliena tunc quidem portatur manu, ut noverint inter & executionem mandatum debere intercedere. E Principibus pendet salus publica, quæ facile in discrimen veniet, si Consiliario tam præcipiti, qualis est ira usi fuerint. Ecquis manus ejus effugit? nam fulminis instar est, quando suprema potestas eam impellit. *c* *Eporque la ira del Rey* (ut ait in suis legibus Alphonsus Rex) *es mas fuerte, è mas dannosa, que la de los otros Omes, porque la puedo mas ayna complir porende debe ser mas apercebido, quando la oviere en saberſa sofrir.* Si Principes ira nonnunquam inflammati sese ipsi contuerentur oculis, speciem utique cernerent indignam tanta Majestate; cujus tranquillitas, & suavis tam verborum, quam actionum concentus, allicere magis debet, quam terrere; amorem conciliare potius, quam formidinem.

§ Cohibeat itaque Princeps iræ impetum; quod si id non possit, sustineat saltem furorem, & executionem ad tempus differat; nam uti dixit *d* idem Alphonsus Rex, *Debe el Rey sofrirse en la sanna, fasta que sea pasada, è quando lo fiziere seguirsele à gran pro, ca podra escoger la verdad, è fazer*

a Mar. Hist. lib. 11. cap. 18.
b *Indignatio Regis, nuntii mortis.* Prov. 16, 14.

c Lib. 10. tt. 5. p. 2.
d Idem ibid.

con derecho, lo que fiziere. Theodosius Imperator in semetipso expertus id fuit; quare lege etiam cavit, ut sententiæ capitales ante, quam triginta dies abiissent, executioni ne mandarentur. Quod decretum prius *a* Tiberius fecerat, sed ad solos decem dies, etsi Senatui nollet facere potestatem, sententiam semel latam revocandi. Recte illud quidem, si ideo factum fuisset, ut gratiæ locus esset, aut de caussa cognosci denuo posset; verum *b* Tiberius homo crudelis & ferox, tantum indulgere non voluit. Augusto item Cæsari suasit Athenodorus, ne quid iratus decerneret prius, quam viginti quatuor Alphabeti Græci literas ex ordine recensuisset.

§. Cum itaque ira furor brevis sit, maturitati deliberationis directe oppositus, nullum illi aptius remedium est, quam prudens consultatio animi; ne scilicet cum executione præcipitet Princeps, donec consilio rem omnem expenderit. Non immerito contemptum se putabat *c* Assuerus Rex, quando Regina Vasthi ab ipso vocata venire renuit; & tametsi id graviter acceperit, ulcisci tamen noluit, antequam regni sui proceres in consilium adhibuisset.

§. De accepta injuria multum cum aliis colloqui, iram magis succendit; unde & Pythagoræ fuit monitum: *Ignem gladio ne fodito:* agitatio enim flammam magis suscitat: neque efficacius pro ira remedium est, quam silentium & solitudo: seipsa sensim consumitur & interit. Quin immo blandissima sæpe verba frigidæ instar sunt, quam fabri ferrarii fornacibus affundunt, ita magis magisque inflammant.

§. Hæc porro in auribus sedem habet, aut certe per eas quasi fores advigilat: *d* has ergo muniat Princeps, ne sinistros rumores facile hauriant, qui animum irritare possint. Hinc factum reor, quod statua Iovis Cretensis auribus caret; nam iis, qui cum imperio sunt, damni plus adferunt sæpe, quam emolumenti. Ego necessarias eas judico Principibus, si circumspectæ sint, & cum prudentia consilium capiant, neque ad primos quosque rumusculos commoveri se sinant. Tunc ira laudabilis est, quando eam ratio suscitat, & lenit prudentia. Vbi hæc ira *e* non est, justitia esse non potest. Tolerantia nimia peccandi licentiam dat, & obedientiam audacem facit. Omnia tolerare æquo animo & pati, aut ignorantia est, aut servitus, hominis de se parum sentientis. Iram fovere, ut offensioni fiat satis, aut exemplum statuatur de injuria in authoritatem regiam admissa, non vitii, sed virtutis est, idque lenitati, & mansuetudini nil quicquam dero-

a *Idque vitæ spatium damnatis prorogaretur, sed non Senatui libertas ad pœnitendum erat,* Tac. l. 3. Ann.

b *Neque Tiberius interjectu temporis mitigabatur.* Tac. lib. 3. Ann.

c *Quæ renuit, & ad Regis imperium, quod per Eunuchos mandaverat, venire contempsit. Vnde iratus Rex, & nimio furore succensus, interrogavit sapientes qui ex more regio semper ei aderant.* Esth. 1. 12.

d *Sit omnis homo velox ad audiendum, tardus autem ad loquendum, & tardus ad iram.* Iac. 1. 19.

e *Nunc irasci convenit justitiæ caussa.* Stob. ser. 20.

derogat. Ecquis magis mitis & mansuetus, quam *a* David, vir secundum *b* cor Dei, tam lenis in vindicando, tam in ira moderatus; ut cum Saulem infensissimum sibi hostem in sua teneret potestate, satis habuerit oram *c* chlamydis illi præcidere; cujus facti adhuc illum pœnituit postea. Et tamen quanta severitate injuriam ultus est, qua Rex Hanon legatos ejus affecerat? Miserat eos David ad consolandum Regem de obitu Patris sui, ille vero sinistre suspicatus, ad explorandum regni statum potius venisse, barbis semirasis, & vestibus indecore decurtatis eos abs se dimisit. Non tulit hanc injuriam David, homo cætera mitissimus: sed bello illum adorsus, omnes regni civitates, quas occupavit, funditus evertit; incolas vero earundem (ut cum Scriptura hoc dicam) *d* *adducens serravit, & circumegit super eos ferrata carpenta: divisitque cultris, & traduxit in typo laterum.* Immanitas quædam, atq; iræ immoderatio cuipiam ista videri possent, qui forte nesciret, injuriarum vulnera interdum curanda sic esse, ut ne cicatrices quidem maneant reliquæ. Ferro & igni interminatus est civitatibus & & provinciis quibusdam *e* Artaxerxes, ni cuidam suo decreto essent obsequentes, daturus alias tam hominibus, quam animantibus brutis puniti contemptus & inobedientiæ severissimum exemplū. Iustissimus Deus isthanc politicam nos docuit, quando extremo cum rigore, salva tamen misericordia, à Syrorum *f* exercitu pœnas sumpsit, eo quod se Deum montium blaspheme vocitassent. Suprema Principum authoritas & potestas pars est Reipublicæ, adeoque offensas & injurias acceptas dissimulare semper non possunt.

§. Illa porro ira in Principibus laudabilis, & Reipubl. perutilis, quam suadet ratio, quæque gloriæ stimulis incitata, ad ardua & sublimiora impellit animum, etenim sine illa nihil egregium, nihil magnum moliri quis potest, nedum ad exitum perducere. Illa, illa est, quæ generosioribus spiritibus cor pascit, & supra se erigit ad contemnendas & spernendas difficultates. Cotem virtutis eam appellavere Academici, & virtutum comitem Plutarchus vocat.

§. Maximè vero sub Principatus initium ita deponere debet Princeps, & oblivisci injuriarum antea illatarum; uti fecit *g* Rex Sanctius, cognomento Fortis, cum per successionē Castellæ regnū indeptus esset. Cum imperio Naturam velut immutat Princeps; quid-

a *Memento Domine David, & omnis mansuetudinis ejus.* Ps. 131.1.

b *Inveni David filium Iesse, virum secundum cor meum.* Act.13.22.

c *Surrexit ergo David, & præcidit oram chlamydis Saul silenter. Post hæc percussit cor suum David, eo quod abscidisset oram chlamydis Saul.* 1 Reg. 24. 5. & 6. 1. Paral. 19.

d Reg. 12. 31.

e *Vt non solum hominibus; sed etiam bestiis in via sit in sempiternum, pro exemplo contemptus & inobedientiæ,* Esth. 16. 24.

f *Quia dixerunt Syri, Deus montium est Dominus, non est Deus vallium: dabo omnem hanc multitudinem grandem in manu tua, & scietis, quia ego sum Dominus.* 3 Reg. 20. 28.

g Mar. hist. Hisp. lib. 14. c. 19.

ni ergo immutet affectus etiam & passiones? Abuteretur sane dominatu, qui vindictam de eo sumeret, qui jam subditum se agnoscit. Illud offenso sit satis, quod in eum nactus sit imperium, qui prius læserat. Nobiliorem vindicandi rationem Fortunæ largiri non potest. Ita secum reputabat Ludovicus XII. Galliæ Rex, quare suadentibus nonnullis, ut ultum iret injurias, quas id temporis accepisset, cum Ducis Aurelianensis solum titulo gauderet, respondisse fertur: *Regem Franciæ non decet ulcisci injurias Aurelianensis Ducis.*

§. Offensas privatas in personam, non dignitatem admissas extrema sua potentia ne vindicet Princeps: etsi enim una ab alia videatur secerni non posse, expedit tamen non raro illas distinguere, ne Majestas exosa fiat, aut nimium formidabilis. Eo tendebat *a* Tiberii responsum, cum diceret. Si Piso nihil peccasset aliud quam quod de morte Germanici, & suo luctu lætatus esset, privatas inimicitias ulcisci se velle, non Principis. E contrario vindicare non debet, ut privatus, injurias, quæ aut muneri ejus, aut statui publico irrogantur: ita ut passione abreptus, de sua existimatione aut honore actum putet, nisi confestim ultionem paret, præsertim quando in aliud differre tempus magis expedit; etenim ira Principum non motus animi esse debet, sed utilitatis publicæ. Hanc præ oculis habuit *b* Rex Ferdinandus Catholicus, cum Rex Granatæ tributum nollet pendere, contra ac ejus majores fuerant soliti; atque una insolentius renuntiaret, jam pridem eos decessisse, in suis autem officinis monetariis non aurum aut argentum elaborari, sed enses fabricari & lanceas. Dissimulavit tamen ad tempus libertatem istam & arrogantiam Ferdinandus Rex, & inducias cum illo pactus est, differendo vindictam, usque dum in statu quietiori res essent; qua in re bono publico *c* magis quam affectui suo consuluit.

§. Nec minoris prudentiæ est iram tunc dissimulare, cum præsumi merito potest, fore aliquando tempus, quando nocebit eam ostendisse. Ea de caussa Rex Catholicus Ferdinandus, tametsi Primoribus regni graviter offensus esset, quando tamen abdicato Castellæ regno, se recepit in Aragoniam, prudenter admodum istam animi indignationem, & acceptas injurias taciturnitate celavit, atque adeo amicum & benevolum omnibus sese in suo discessu exhibuit, tanquam jam tunc præsentiret, denuo se regno isti aliquando præficiendum, uti revera postea accidit.

§. Generosa mens injurias vultu tegit, neque iracundiæ impetu

a *Nam si legatus officii terminos, obsequium erga imperatorem exuit, ejusdemque morte, & luctu meo lætatus est, odero; seponamque a domo mea, & privatas inimicitias, non principis, ulciscar.* Tac. lib. 2. Annal.

b Mar. hist. Hisp. l. 24. cap. 16. Anton. Nibriss. Dec. lib. 7. cap. 9.

c *Fatuus statim indicat iram suam; qui autem dissimulat injuriam, callidus est.* Proverb. 12. 16.

impetu abolere eas satagit, sed egregiis facinoribus potius, optimo sane, & vere heroico vindicandi genere. *a* Cum Rex Ferdinandus, cognomento Sanctus, Hispalim obsideret, Vir quidam nobili loco natus exprobrabat Garsiæ Peresio de Vargas, quod scuto undulato, contra ac familiæ isti liceret, uteretur. Dissimulavit ille tum quidem hoc dictum, donec Triana vi tentanda esset. Ibi inter primos adeo strenue dimicavit, ut scutum infixis missilibus telis undique coopertum è pugna referret. Quare ad suum reversus æmulum, qui loco tum sibi caverat, & scutum ostentans sic eum allocutus est: *Non absque caussa tu quidem hoc scutum nostra abjudicasti familia, qui illud tantis objicimus periculis; tibi vero præ aliis deberi, quis neget, qui tanto studio illæsum illud servas?* Solent plerumque calumniarum magis esse patientes ii, qui ab isto maledicendi genere alieniores sunt; neque minor virtus est, istam triumphare passionem, quam hostem.

§ Iram Principis accendere, haud minus periculosæ plenum opus est aleæ, quam ignem cuniculis, aut tormento portis insititio (petardam vulgo dicunt) subjicere; & licet in favorem proprium id fiat, prudentiæ tamen est illam moderari, præsertim si contra potentiores ea sit: ejusmodi enim iræ redundant plerumque in caput illius, qui primus auctor & incentor extitit. *b* Hæc caussa fuit, cur Mauri Toletani tantopere laborarint, ut placarent iratum Regis Alphonsi Sexti animum, contra Archiepiscopum Toletanum & Reginam; propterea quod hi absque illius mandato Mosqueam iis eripuissent. Ex quo duo eruo documenta: Vnum est, debere Ministros, quando officii ratio postulat, quam blandissime fieri potest, ea proponere Principi, quæ ei aut fastidium creare possunt, aut bilem commovere: *c* facile enim accidit, ut animus furore correptus in eum deinde desæviat, qui rem enarrando exposuit, quamtumvis omni culpa is vacet, aut optimo zelo id fecerit. Alterum est, ut dextrè conentur non moderari solum Principum iram, sed tegere etiam & occultare. Seraphini isti (amoris Ministri) quos coram Deo assistere viderat Isaias, *d duabus alis velabant faciem ejus, & duabus velabant pedes ejus*; ne videlicet noxa alicujus rei ira ex oculis emicante, sic perterrefierent, ut montibus mallent opprimi, quam iratum Dei vindicis *e* vultum intueri.

Vbi vero iracundiæ calor deferbuit, jam dolent etiam Principes, & indignantur, si quos aut iræ suæ testes, aut executionis habuere spectatores; utrumque enim istud à regia dignitate alienum est. Et propter hoc Deus ipse uxorem Lothi *f* in statuam salis convertit.

a Mar. hist. Hisp. l. 13. c. 7.
b Mar. hist. Hisp. lib. 9. cap. 17.

b *Cuncta tamen ad Imperatorem in melius relata.* Corn. Tacit. lib. 4. Annal.
c Isa. cap. 6. 2.
d *Cadite super nos, & abscondite nos à facie sedentis super thronum, & ab ira Agni.* Apoc. 6. 16.
e *Respiciensque uxor ejus post se, versa est in statuam salis.* Gen. 19. 26.

SYMBOLVM IX.



CVm proprio ſuo damno trophęis & gloriæ Herculis ſeſe opponit invidia. Si prę-acutam ejus clavam morſibus impetat, quid efficit aliud, quam ut proprias cruentet fauces? Nimirum ſuiipſius vindex eſt. Ferro nihil videtur ſimilius, quod à ſanguine, quem fundit, rubiginem trahit, & ab eadem poſt exeditur. Alia omnia vitia, ab alia boni ſpecie, aut delectatione ortum habent; hoc contra ex dolore interiori, & boni alieni odio naſcitur. Vitia alia

alia pœna ultrix à tergo sequitur; huic etiam præire ea solet. Invidia prius in propria sævit a viscera, quam in honorem proximi. Vmbra virtutis est: hujus lucem fugiat necesse est, quisquis illam evitare voluerit. Quod noctua Solis radios suis captet oculis, illud est, quod aliarum avium odium suscitat & invidiam: si intra noctis tenebras, & sua se abderet latibula, nullum illi à reliquis esset periculum. Inter æquales æmulationi haud facile locus, fortuna unius assurgente, alterius crescit invidia. b *Insita mortalibus natura, recentem aliorum felicitatem ægris oculis introspicere modumque fortunæ à nullis magis exigere, quam quos in æquo videre.* In felici c lolio invidia similis est, quod tum primum prehendit segetem, quando ea altior est, & in fructus maturuit. Famam itaque, dignitates, & officia honoratiora defugiat quisquis invidiæ tela experiri non vult. d *Ex mediocritate fortunæ pauciora pericula sunt.* Regulus in tanta Neronis sævitia agebat securus, e *quia nova generis claritudine, neque invidiosis opibus erat.* Attamen indignus esset hic metus generoso pectore. Quod alii nobis invideant; excellentiæ nostræ præ iis signum. At nullos sentire æmulos, non optima nota. Melius sane est, invidiam pati, quam æquis animis tolerari ab omnibus. Invidia virtutis stimulus est, perinde enim ut rosa spinam conservat, sic virtutem invidia. Facile illa negligeretur, si obtrectatores deessent & lividi. Multos æmulatio evexit supra alios, multos invidia fortunatos reddidit. Æmulatio Carthaginis Romanam auxit gloriam, uti & famam Caroli V. Imperatoris, illa Francisci Galliarum Regis. Ecclesiæ Romanæ, immo & universæ Sixtum Quintum invidia peperit, prima fortunæ ejusdem origo. Nihil hic melius, quam ista flocci pendere, & conniti semper altius; donec invidum oculi deficiant, ut aspectu ultra sequi non possit. Terræ umbra ad imum usque è cælestibus orbem elementis citimum pertinet, & lunæ splendorem inficit; altioribus Planetis nihil officit. Vis solis, si vehementior sit, nebulas dispellit & dissipat. Æmulatio locum non habet, ubi magna est inæqualitas, atque adeo hoc unicum illi remedium est. Quo citius quis conscenderit altius, eo minus invidiæ erit expositus. Fumum non efficit ignis, qui incenditur subito. Interea, dum colluctantur quasi inter se merita, nascitur invidia, & contra eum arma sumit, qui supra cæteros extollitur. Superbia & aliorum præ se contemptus, illa sunt, quæ in successu prospero invidiam conciliant, miscent odia. Modestia contra illam reprimit: Nemo enim ei invidet ut felici, qui seipsum pro tali non æstimat. f Hac de caussa Saul, postquam in regem unctus fuit, mox in domum suam se recepit; atque ut palam faceret, non efferri se dignitate regia, sceptro tantis-

per

a *Putredo ossium, invidia.* Prov. 14. 30.

b Tacit. lib. 2. hist.

c *Cum autem crevisset herba, & fructum fecisset, tunc apparuerunt & zizania.* Matt. c. 13. 26.

d Tacit. lib. 14. Annal.

e Idem ibid.

f 1 Reg. 10. & 11.

per sepoſito, aratro admovit manum.

§. Aliud item remedium eſt, non domi Fortunam ſuam ampliorem facere, ſed foris apud exteros: nam qui alium humili loco natum ante novit, nunc autem in altiori dignitatis gradu collocari videt, facile hanc illi felicitatem invidet. Per oculos *a* magis, quam per aures malum iſtud ſeſe in animum inſinuat. Multi clariſſimi Viri, ut aliorum fugerent invidiam, ſublimiores honorum gradus maluerunt effugere. Tarquinius Conſul, ut invidiæ ſeſe ſubduceret oculis, ultro voluntarium elegit exilium. Valerius Publius tectis propriis flammam injecit, quorum amplitudo invidiam illi pepererat. Fabius *b* Conſulatu ſe abdicavit, ſic inquiens: *Iam ſpero, Fabiorum gentem invidia infeſtare deſinet.* Hos tamen ego deceptos exiſtimo, propterea quod illud ipſum ſit vindictam concedere potius, aut ulteriorem anſam præbere invidiæ; quæ ubi ſemel perſequi aliquem inſtiterit, ante non deſinit, quam eum ad extremam detruſerit miſeriam. Sol umbras non jacit, quam diu in ſupremo cæli conſiſtit vertice; at quando declinat, & nobis propior fit, tum creſcunt illæ, & porriguntur longius. Sic prorſus invidia eum majori impellit impetu, qui in ruinam pronus jam eſt, aut labi incipit: & quoniam illa plerumque non niſi puſillanimes occupat, ſemper in metu eſt, ne rurſum in pedes ſeſe is erigat. Etiam poſtquam leonibus objectus fuiſſet Daniel, nondum tamen ſatis tutus videbatur Dario Regi ab iis, qui favorem ei regium invidebant; adeoque hominum invidiam metuens magis, quam belluarum immanitatem, lapidem, quo lacum leonum obſtruxerat, *c obſignavit annulo ſuo, & annulo optimatum ſuorum, ne quid fieret contra Danielem.*

Interdum ad declinandam invidiam, ejuſque incommoda, conſultum erit in eandem Fortunæ navim eos admittere, quorum timeri poterat æmulatio. Ita *d* remora, quæ deforis navi adhæreſcens, curſum ejus ſiſtit; recepta intro, vires perdit.

§. Invidia non ſemper proceras arrodit cedros; nonnunquam in humilibus ſpinis, quas natura ipſa odiſſe quodammodo videtur, ſuos fatigat dentes, & cruentat labra, uſque adeo ut miſerias etiam aliorum & calamitates abſque livore & indignatione intueri nequeat: ſive hoc eo accidat, quod ejus malitia amens prorſus ſit; ſive quia ferre non ſuſtinet animi robur & conſtantiam illius, qui iſta patitur, aut illuſtrem famam, quæ ex fortunæ injuriis naſci ſolet. Habet præſentis libri Autor quamplurima, ob quæ vicem ejus merito aliquis doleat; nihil vero, aut pauca certe, cur in invidia eſſe poſſit apud alios: eſt tamen, qui has illi curas, labores

a *Vt effugiamus nomen invidiæ, quod verbum ductum eſt, à nimis intuendo fortunam alterius.* Cic. in Tuſc.

b *Non enim poterimus ulla eſſe in invidia ſpoliati opibus, & illa Senatoria poteſtate.* Cic. ad Att.

c Dan. 6. 17.

d *Peculiariter miratum, quomodo adhærens tenuiſſet, nec idem polleret in navigium receptus.* Plin. l. 23. c. 1.

res & fatigationes assiduas, non æstimatas satis, aut remuneratas invideat. Et sane videtur fatalis hæc adversus eum æmulatio. A se ipsa oritur absque culpa & sæpe ea etiam illi affingit, quæ auditione prius ipse ab aliis accipit, quam vel imaginari sibi potuisset. Sed tamen tantum abest, ut animus ejus tam candidus suęque obligationis memor turbari istis se sinat, ut invidiam illam & indignationē amet potiùs; quippe quibus se veluti stimulis quibusdam incitari,& ad ulteriora impelli quotidie sentiat.

§. Principes itaque,qui gradu & dignitate tanto sublimiores sunt aliis, hoc agant potissimum, ut superent invidiam. Cui tantum non fuerit animi, quomodo animi habebit satis, ut Princeps sit? Velle autem aut beneficiis, aut rigore illam vincere, hominis esset plane imprudentis. Monstra omnia domuit Hercules, contra hoc nec robur profuit, nec beneficium. Nullius certe gratia plebs obtrectare desinit: quicquid enim præstiteris, debitū credit; quin majora semper sibi pollicetur, quam accipiat. Obtrectationes extinguere non debent in Principe gloriæ studium : nec ulla res in susceptis negotiis ejus terrere animum. Canes lunam allatrant; sed hæc latratus illos facile despicit,& institutum iter insistit. a *Ars prima regni est, posse invidiam pati.*

§.Nec valde nociva est Monarchiis invidia:enimvero virtutem plerumq; magis accendit,& illustriorem reddit:præsertim si Princeps justus sit & constans, nec facile calumniis fidem adhibeat. In Rebuspublicis tamen, ubi singuli partis rationem obtinent, & passionum suarum desideria opitulantibus consanguineis & amicis possunt exequi, perquam periculosa est : concitat enim discordias, & clandestinas conspirationes ; unde postea bella nascuntur civilia, ex his vero dominiorum immutationes. Illa est, quæ superioribus sæculis Hannibalē aliosque illustres heroës profligavit; hoc nostro vero in dubium etiam vocare potuit insignem fidelitatem Angeli Baduerii Clarissimi Veneti,quem merito gloriam & ornamentū Reipublicę istius dixeris. Vir fuit profectò boni publici tam amans & studiosus,ut ejectus etiam in exilium, & injusta æmulorum persecutione oppressus,in omnibus tamen conservationi & saluti patriæ mire studuerit.

§. Optimum invidiæ remedium in Rebuspublicis est communis omnium ęqualitas, ut scilicet omnis pompa & ostentatio prohibeatur : nihil enim sic æmulationem excitat ac divitiarum splendor & amplitudo. Ea de caussa tantam adhibuit operam Respublica Romana, ut superfluis conviviorum sumptibus modum poneret; agros item, aliasque possessiones sic divideret, ut vires & facultates civium æquales essent.

§. Invidia haudquaquam decet principes, tanto cæteris sublimiores, tum quia inferioris vitium est adversus majores; tum etiam, quia exigua gloria sit oportet, quæ inclarescere aliter non potest, nisi obscuret alias. Pyramides in

a Seneca.

Ægypto

Ægypto inter septem *a* orbis miracula censebantur, eo quod incidentem lucem ab omni latere sic exciperent, ut nullam in corpora vicina umbram jacerent: Imbecillitatis signum est illius laborare penuria, quod aliis invidemus. Sed nihil magis indignum principe, quam si ipse præstantiæ & prudentiæ suorum Ministrorum invideat; hi enim ejus quodammodo partes sunt ac membra; neque vero caput pedibus invidet quod robore polleant ad sustentandum corpus; aut brachiis, quod laborent; in eo gloriatur potius, quod ab instrumentis talibus instructum sit. Amor tamen proprius interdum in caussa est, ut sicut Principes potestate præstant aliis, ita etiam donis tam animi, quam corporis iisdem cupiant excellere. Etiam fama carminum *b* Lucani Neronem affligebat inter tot ac tantos honores, quibus fruebatur Quare caveant sedulo, qui cum Principibus agunt, ne cum iisdem de scientiæ aut ingenii laude videantur velle contendere, quod si casus aliquando ita tulerit, cedant potius, & palmam iisdem ultro deferant. Vtrumque non prudentia solum est, sed reverentia etiam Principibus debita. In illo Dei palatio, quod vidit Ezechiel, coram astabant *c* Cherubini, (scientiæ & sapientiæ spiritus) insigni cum modestia manus alis suis cooperientes. Illud ego optarem, ut Princeps invideret cultui & venerationi, quam quidam nimis etiam ambitiose deposcunt, hoc nomine, quod apud eum gratia plus valeant, & illi chariores sint, atque adeo ut hos suos favores nimios aliquantum moderetur. Verum nescio quo pacto gratia illa & favor fascinent animum Principis, & invidiam exoculent. Saul *d* non rectis oculis aspiciebat Davidem, cum præclara ipsius facinora etiam in obsequium suum gesta, præ suis tamen celebrari conspiceret. Contra Assuerus *e* Rex facile ferre poterat Amanum, quem singulari affectu prosequebatur, ut Regem coli ab omnibus & suspici.

§. Nulla invidia plus habet periculi, quam quæ est inter viros Nobiles; curandum itaque, ut honores & munera non videantur familiis certis esse hæreditaria, sed ab una transferantur ad alias, ita quidem, ut locupletiores occupentur in officiis, quæ pompam aliquam & sumptus postulant; pauperiores vero in iis, per quę ad lautiorem redire fortunam, & nobilitatis suæ splendorem tueri valeant.

§. Æmulatio aliqua gloriosa, illa nimirum, quæ non virtuti, aut alienæ invidet excellentiæ, sed ea destitui se dolet, & egregiis experimentis qua fortitudinis, qua ingenii ad eam aspirare contendit, illa, inquam,

a *Pyramides in Ægypto, quarum in suo statu se umbra consumens, ultra constructionis spatia nulla parte respicitur.* Cassiodor. l. 6. var. epist. 16.

b *Lucanum propria caussa accendebant, quod famam carminum ejus premebat Nero.* Tac. l. 15. Annal.

c *Apparuit in Cherubin similitudo manus hominis subtus pennas eorum.* Ezech. 10. 8.

d *Non rectis ergo oculis Saul aspiciebat David à die illa.* 1 Reg. c. 18. 9.

e *Cunctique servi Regis, qui in foribus palatii versabantur, flectebant genua, & adorabant Aman.* Esth. 3. 2.

inquam, meretur laudem: neque enim vitium censeri debet, sed scintilla quædam virtutis, quæ ex animo nobili & generoso eminet. Gloria, quam Miltiadi victoria contra Persas peperit, ita accendit Themistoclis animum, ut quicquid in eo esset vitii, flammæ illæ illico absumerent; ipse vero in alium mutatus hominem, & quasi extra se positus, Athenas perambularet, ac diceret: a Nec *Miltiadis trophæis se è somno excitari*. Quamdiu Vitellius habuit æmulos, à vitiis sese abstinuit; at simul ac illi defuere, *tum ipse exercitusque sævitia, libidine, raptu in extremos mores proruperunt*. Talis est æmulatio, quam Respublicæ fovere debent propositis præmiis, erectis trophæis ac statuis; anima enim est & spiritus, quibus illæ conservantur, & magis indies efflorescunt. Atque hanc caussam esse puto, cur Respublica Helvetica tam parum laboret suos fines ulterius extendere, & cur ex eadem tam rari viri illustriores prodeant, tametsi alias Natura virtutem & animi robur iis minime denegarit: nam præcipuum eorum institutum est, servare inter omnes & in omnibus æqualitatem: quo casu cessat omnis æmulatio, atque adeo virtutes egregiæ & militares veluti ardentes prunæ sub cineribus sopiuntur.

§. Verum quamvis illa inter Ministros æmulatio utilis videatur, non omni tamen vacat periculo. *Populus* enim, b *qui neminem sine æmulo sinit*, variè affectus est; unde dum isti uni, illi alteri plausum dant, contentio inter utrosque oritur, & partium studio concitantur tumultus ac seditiones. Accedit, quod ambitionis ardor, & cupiditas efferendi se supra alios ad fraudes, artesq; illicitas impellere soleat, & quæ honesta primũ erat ęmulatio, in odium tandem atque invidiam degeneret. Offensus olim Metellus, quod in Hispania Citeriore Pompejo successor nominaretur, & glorię Pompejanæ invidia stimulatus, milites exautoravit, robur exercitus imminuit, & provisionem omnem incuriosus neglexit. Quod & Pompejus postea fecit, cum rescisceret Marcum Popiliũ Consulem sibi succenturiandum; & ne forte triumphatis Numantinis gloriam is adipisceretur, antequam abiret officio, pacem cum iis fecit, Romano nomini admodum probrosam. Hoc nostro tempore Grolla in hostis potestatem concessit, non alia de caussa, quam quod inter Tribunos militares, qui subsidio mittebantur, de prærogativa esset contentio. Nihil æque perniciosum Principibus, nihil magis remedio indiget. Neque hic ullo modo dissimulandum, sed puniendus non is solum, qui culpæ plus habet, sed & qui innocentior videri potest. Ille, quia caussam dedit; hic vero, quia non cessit juri suo, & occasionem rei bene gerendæ elabi passus est. Qui rigor, si cui videatur nimius, utilitate boni publici, & exempli facile excusari poterit. Nulla magna resolutio absque aliqua permixtione injuriæ. Prius ad obsequium Principis oculos reflectere debet subditus, quam ad existimationem pro-

a Tac. lib. 2. Histor.
b Tac. lib. 14. Annal.

propriam; postea satisfactionem postulet pro accepta injuria, & obsequium putet Principi præstitum, quod illam tantisper tolerarit. Insignis animi fortitudo est in tali casu patientem esse: debet enim generosus animus Regis obsequium suis anteferre passionibus, & *a privata odia publicis utilitatibus remittere.* Aristides & Themistocles capitali diffidebant odio, cum tamen ambo mitterentur una legati, & urbis portam attigissent, dixisse fertur Aristides. *Vis Themistocles, tantisper hic seponamus privatas nostras simultates, repetituri eas postea, ubi egressi iterum fuerimus?* *b* Idem fecit Henricus Gusmanius Dux Assidoniæ, qui etsi alias Roderico Pontio Marchioni Gaditano ex privatis contentionibus consensus esset, boni tamen publici amore eidem opitulatum ivit, cum Alhamæ à Mauris obsidione premeretur. Sed quia haud paullo facilius est, ea prævertere incommoda, quam corrigere postea, cavendum erit Principi, ne duos pari autoritate eidem muneri Ministros præficiat, nam *c arduum eodem loci potentiam & concordiam esse.* Tiberius sane, cum alium destinare deberet in Asiam æqualis cum illo dignitatis, qui tum provinciam illam administrabat, periculosum id fore ratus. M. Alerum *delegit è pratoriis, ne consulari obtinente Asiam, æmulatio inter pares, & ex eo impedimentum oriretur.*

a Tacit. lib. 1. Annal.
b Mar. hist. Hisp. lib. 25. cap. 1.
c Tacit. lib. 4. Annal.

SYMBOLUM X.

FAlco è vinculis emissus, nolas è pedibus appensas rostro dissolvere conatur, quippe libertati suæ noxias; siquidem tinnitus ille & clangor vocis instar est, quæ vel levissimo excitata motu Venatorem protinus advocat, atque adeo in caussa est, ut miser retrahatur in vincula, tametsi in penitissimas sese sylvas abdiderit. Heu! quam multis malo fuit, virtutum & rerum cum laude gestarum rumor! quam multos fama in invidiam adduxit, & durissimam iterum servire fecit servitutem! *a Nec minus periculum ex magna* seu bona *fama, quam ex mala.* Nunquam Miltiades vitam infelix amisisset in carcere, si fortis illius animus in tenebris delituisset incognitus, aut si spiritus suos altiores moderatus sufficere sibi putasset aliorum Atheniensium civium æquare fortunam. Crevit victoriarum plausus, cumque invidiæ oculi tam splendentes famæ radios ferre haud possent, à Republica illa in suspicionem vocari cœpit, quod æstimationem & gratiam mereri debuerat. Veriti nimirum sunt, ne suis tandem cervicibus jugum cogerentur admittere, quod ille hostibus imponebat; plusque futurum & incertum infidelitatis periculum formidarunt à Miltiade, quam præsens illud & longe gravius,

a Tacit. in vita Agric.



gravius, quod imminebat ab iis, qui aperte & palam civitatis ruinam ac perniciem moliebantur. Suspicio rationem in consilium non adhibet, nec finit istiusmodi metus res suis ponderare momentis; aut se à gratitudine debita corrigi. Maluit Respublica illa unius civis, licet de se optime meriti, carceres & infamiam, quam alios omnes in continuis suspicionibus vivere. [a] Carthaginenses Saphoni Hispaniæ administrationem abrogarunt, specie quidem, Reipublicæ in patriæ procurandæ; re tamen vera, quia potentiam ejus, auctoritatemque amplius ferre non sustinebant. Pari modo & Hano-

a Mar. Hist. Hisp. l.2. c.1.

Hanonem, ejus in Provincia successorem, tot tantisque navigationibus celebrem mulctarunt exilio, nulla justiore de caussa, quam quod ingenio & industria plus valeret, ac liberæ civitati tutum putarent. Viderant eum inter homines primum manu leonem tractare, & cicurare, & metuere cœperunt, ne & ipsos tandem subjugaret, qui ferarum immanitatem domuisset. Ita videlicet obsequia & egregia facinora remunerari solent Respublicæ. Nemo civium suum reputat honorem aut beneficium, quod in universam confertur communitatem, offensam tamen ejusdem & suspicionem omnes ad se arbitrantur pertinere. Si præmio afficiendus aliquis, vix pauculi suffragantur; contra ut reum faciant, nemo non satagit. Qui inter alios eminet, is jam in periculo est: nam zelus, quem habet, boni publici, aliorum accusat inertiam; prudentia aliorum inscitiam detegit. Hinc ista in obsequio Principum à parendi studio pericula; hinc virtus & industria, perinde ac vitia, odio sunt. Salustius Crispus *a cui vigor animi ingentibus negotiis par suberat, eo magis ut invidiam amoliretur, somnium & inertiam ostentabat.* Sed illud pessimum, offendi quandoque Principem, si à vigilante Ministro excitetur, quem somno secum indulgere ipse potius cuperet. Eapropter uti hypocrisis quædam est, quæ virtutes fingit, & dissimulat vitia: ita alia nunc opus, quæ robur ac celsitudinem animi dissimulet; & famam compescat. Agricola certe invidiæ metu suam tantopere occultare studuit, ut qui tantam in illo animi demissionem & modestiam cernerent, nisi aliunde de fama ejus inaudiissent, eam ex primo viri aspectu nequaquã potuissent *b* augurari. Sensit cum tempore incommodum hoc Germanicus: sed ferre maluit, quam corrigere, quando, nationibus multis debellatis, trophæum erexit quidem, nomen tamen suum ob famæ periculum eidem *c* inscribere noluit. Sanctus item Ioannes tacito suo nomine refert insignem illum favorem sibi à Christo Servatore in suprema cœna exhibitum, quæ si humana politica non fuit, prudentem tamen fuisse *d* modestiam non negarim. Sola etiam somnia de eminentia propria invidiam inter fratres suscitant. Capitis discrimen prope Iosephus adiit, dum ingenue magis, quam prudenter percensuit somniũ de spicarum manipulis, qui suo inter alios erecto se inclinaverant: nam vel excellentiæ umbra, immo solum posse excellere, invidiam habet sollicitam. Gloria tam ob virtutes proprias, quam aliorum

a Tacit. lib. 5. Annal.

b *Viso, aspectoque Agricola quærerent famam, pauci interpretarentur.* Tacit. in vita Agric.

c *Debellatis inter Rhenum, Albimque nationibus exercitum Tiberii Cæsaris ea monimenta Marti, & Iovi, & Augusto sacravisse, de se nihil addidit metu invidiæ, an ratus conscientiam facti satis esse.* Tacit. lib. 2. Annal.

d *Erat ergo recumbens unus ex discipulis ejus in sinu Iesu, quem diligebat Iesus.* Ioan. 13. 23.

tum *a* vitia, in periculo est. Vitium non æque in hominibus timetur, quia servos eos reddit; ac virtus, quia dominos efficit; Dominium quippe habet ab ipsa Natura sibi concessum in alios; quod tamen nolunt Respublicæ penes unum solum esse, sed æqualiter inter omnes dispertitum malunt.

Enimvero virtus, velut voluntaria quædam animorum tyrannis, non minus in eos habet virium, quam vis ipsa & coactio: & quidem ad accendendam Reipublicæ æmulationem, perinde omnino est, sive ad obediendum uni alicui impellat ratio, sive vis adigat: quin prior illa tyrannis quo justior, eo periculosior est, & minus illi resistitur Atque hæc ipsa res Ostracismo, seu exilio tessulato, ut Latini vocant, caussam dedit, quo Aristides inter alios mulctatus fuit; cui vitio datum, quod vir bonus & justus communi omnium suffragio haberetur. Amicus virtuti maxime periculosus est populi favor: illius quippe plausus atque admurmuratio haud secus, ac delictum castigari solet, uti in *b* Galeriano videre licuit. *c Breves* itaque *& infaustos*, semper fuisse *populi Romani amores*, etiam Germanicus experimento didicit. Nec Principes, nec Respublicæ valde cupiunt, ut Ministros habeant admodum excellentes, sed ut tractandis negotiis ii pares sint. Et hanc fuisse caussam ait Tacitus, cur Poppæus Sabinus annos quatuor & viginti provinciarum præcipuarum procurationem obtinuerit, *d nullam* scilicet *ob eximiam artem, sed quod par negotiis, neque supra erat.* Magna ergo prudentia est, nosse suam occultare famam, atque adeo omnem ingenii, fortitudinis aut excellentiæ cavere ostentationem, & altiores cogitationes quasi sub cineribus abdere; tametsi fateor animo generoso difficile sit, intra pectoris angustias flammam cohibere, quæ undique emicat, & novam indies appetit materiam, quo magis accendatur, & luceat. Sed persuadere id nobis possunt Illustrium Heroum exempla, qui à Dictatura ad Stivam aliquando reversi sunt, uti & eorum, quos portæ Romanæ capere haud potuêre; sed ingressi sunt triumphantes per dejecta urbis mœnia, trophæis inclyti, quique post devictas nationes receperunt sese in viles & humiles casas, ubi subinde revisit ad eos Respublica.

Nec sane tam cito eos in lucem denuo produxisset, nisi eos vidisset tam gloriæ esse fugitantes: umbræ enim illa similis est, quæ insequentem fugit, sequitur fugientem. Major illius fama est & opinio, qui plus eam celare contendit. Rubellius Plautus mereri imperium eo nomine videbatur, quia vivebat *a* occul-

a Agricola simul suis virtutibus, simul vitiis aliorum in ipsam gloriam praeceps agebatur. Tac. in vita Agric.

b Nihil ausus, sed nomen insigne & decora ipsi juventa, rumore vulgi celebrabantur. Tac. lib. 4. hist.

c Tacit. lib. 2. Annal.

d Tac. lib. 6. Annal.

a occultior. At non ita in Monarchiis, ubi ascenditur altius, quia semel ascendi cœptum est. Viros fortes & animosos Princeps in pretio habet; Respublicæ timent potius. Ille præmiis & muneribus eos ad majora incitat; hæ sua ingratitudine eosdem deprimunt. Nec timor solum est, quo suæ metuunt libertati; sed titulus etiam, quem invidiæ prætexunt & æmulationi. Favor omnium & applausus, si uni soli civi fiant, suspecta haberi solent & invidiam conciliant. Quod raro in Principibus evenit, apud quos subditi gloria non facile in invidiam adducitur: quin si quid laude dignum ab eo gestum fuerit, illud sibi vendicant, tanquam à suo profectam imperio. Animadversum hoc in Othone Imperatore *b gloriam in se trahente, tanquam & ipse felix bello, & suis ducibus, & suis exercitibus Rempublicam auxisset.* Debent itaque Ministri prudentiores felices rerum successus tribuere Principi; facti cautiores exemplo Silii: qui malam propterea à Tiberio iniit gratiam, quod gloriaretur, se legiones continuisse in officio; adeoque dictitare soleret, Tiberium nemini alteri, quam sibi debere imperium: *c Destrui* nimirum *per hæc fortunam suam Cæsar, imparemque tanto merito rebatur.* Nec alia de caussa Vespasiano Antonius Primus displicuit, quam quod esset *d nimius commemorandis, quæ ipse meruisset.* Prudentior longe Agricola, qui *e nunquam in suam famam gestis exultavit, ad auctorem & ducem, ut Minister fortunam referebat. Ita virtute in obsequendo, verecundia in prædicando, extra invidiam, nec extra gloriam erat.* Illustre ea in re exemplum dedit omnibus belli ducibus Ioabus; qui quoties urbem aliquam ad deditionem compulisset, Davidem Regem admonebat ante, ut novas adduceret copias, adeoque ipsius auspiciis tribueretur *f* deditio. Habuerunt hanc præ aliis laudem Germani veteres, apud quos *g Principem suum defendere, tueri, sua quoque fortia facta gloria ejus assignare, præcipuum sacramentum erat.*

5. Istis de caussis securior erit de præmio, qui Principi, quam qui Reipublicæ aliqua præstitit obsequia, & facilius illius, quam hujus demerebitur *h* gratiam. Minus quoque periculi est, si in illum delinquat aliquis, quam in istam: multitudo enim nec dissimulat, nec veniam largitur, nec misericordia commove-

a Omnium ore Rubellius Plautus celebratur, cui nobilitas per matrem ex Iulia familia, ipse placita majorum colebat habitu severo, casta & secreta domo, quantoque metu occultior, tanto plus famæ adeptus. Tac. lib. 14. Annal.

b Tacit. lib. 1. hist.

c Tacit. lib. 1. Annal.

d Tacit. ibid.

e Tacit. in vita Agric.

f Nunc igitur congrega reliquam partem populi, & obside civitatem, & cape eam: ne cum vastata à me fuerit urbs, nomini meo ascribatur victoria 2. Reg. 12. 28.

g Tac. lib. de Germ.

h Tarda sunt, quæ in commune expostulantur, privatam gratiam statim mereare, statim recipias. Tacit. lib. 1. Annal.

movetur. Æque ad audendum prompta, sive cum periculo tentandum aliquid sit, sive injuste: quia enim seu metus, seu culpa ad multos pertinet, facile sibi persuadent singuli periculum illud non suo imminere capiti, nec sibi istam inurendam *a* infamiam. Communitas frontem non habet, quæ possit erubescere; quemadmodum Princeps, qui sibi cum primis, tum deinde suæ ac posterorum famæ non immerito metuit. Principi omnes fere adulari solent, ea illi proponendo ante oculos, quæ ad gloriam faciunt: in Rebuspublicis b *paucis decus publicum curæ, plures tuta differunt*. Princeps curare hoc debet, ut subditis suis faciat satis; in communitate cessat cura ista & solicitudo: quicquid enim illa molitur aut agit, communi omnium consilio fit, adeoque ad omnes pertinere creditur. Atque hinc fieri arbitror, quod Respublicæ (non de iis nunc loquor, quæ Regibus pares sunt) in fide pactorum tuenda plerumque haud satis constantes sint & fidæ: nam illud solum pro justo habent, quod ad earundem conservationem, amplitudinem, & libertatem, quam profitentur, videtur conducere; qua in re admodum illæ superstitiosæ sunt. Veram se colere libertatem autumant, & plurima tyrannorum idola servili submissione venerantur. Nemo non imperare se credit, & omnes obediunt. Contra dominatum unius, tanquam venenum aliquod, omnes theriaca sese muniunt, & multorum imperium avide ac securi hauriunt. Tyrannidem exterorum reformidant; illam domi suæ natam non agnoscunt. Multus ubique de libertate sermo, & nusquam ea reperitur. Imaginatione omnes, reapse nemo eam possidet. Instituant nunc comparationem confœderatæ Belgarum Provinciæ inter libertatẽ, qua fruiti sunt quondam, & istam præsentem, & expendant diligenter, utra ex his major sit; num item eam olim experti sint servitutem, ea perpessi damna, & tributorum exactiones, quas nunc experiuntur & sentiunt. Cogitent quarumdam Rerum publicarum Subditi, vel ipsi etiam Magistratus; qui in alios habent imperium, ullusne Tyrannus esse potuerit, qui duriori eos servitute opprimeret, quam iidem illi, quos sibi ipsi tuendæ libertatis constituerunt Patronos, cum nullus omnino sit, qui ea sincere fruatur, aut cui in actionibus suis libero esse liceat. Omnes suspitionum suarum miserrima mancipia sunt. Sui ipsius Tyrannus est ejusmodi Magistratus, & vere de iis dici potest, quod c *magis sine Domino vivant, quam in libertate*, quanto enim magis è servitutis vinculis sese conantur eximere, tanto magis iisdem sese *d* illaqueant.

D SYM-

a *Ita trepidi, & utrinque anxii coëunt; nemo privatim, expedito consilio, inter multos, societate culpa tutior.* Tac. lib. 2. Hist.

b Tac. lib. 12. Ann.

c Tacit. lib. 2. Annal.

d *Sed dum veritati consulitur, libertas corrumpebatur.* Tacit. lib. 1. Annal.

SYMBOLVM XI.



Lingua instrumentum est, quo sensa sua mens exprimit. Nam aut illius beneficio sese explicat, aut calami, qui velut lingua quædam muta alterius vicem subit, interdum, & verba efformat in charta, quæ voce oporteret eloqui. Ex utraque porro animi cujusque dotes & magnitudinem licebit conjicere: a *In lingua enim sapientia dignoscitur, & sensus, & scientia, & doctrina in verbo sensati.* Quamobrem Alphonsus Rex dictus Sapiens, dum suis persequitur legibus, qualem in sermone se gerere, quave

a Eccl. 4, 29.

quave moderatione in loquendo Princeps uti debeat; sic ait inter cætera : a *Ca el mucho fablar faze en vilescer las palabras, fazele descubrir las poridades, e si el no fuere ome de gran seso, por las sus palabras entenderàn los omes la mengua, que à del. Ca bien asi como el cantar quebrado se conoze por su sueno, otro si el seso del ome es conozido por la palabra.* Et sane videtur Alphonsus Rex comparationem istam ex his Persii carminibus mutuatus :

b —— *Sonat vitium, percussa maligne (delta limo.*
Respondet viridi non cocta fi-

c *Oratio vultus animi est, si circumtonsa est, si fucata & manufacta, ostendit illum non esse sincerum, & habere aliquid fracti.* Ad quod declarandum alio nobiliori, magisque accommodato Emblemate uti placuit; Campana scilicet, quæ Principis Symbolum est; illa siquidem suspensa ex editiori urbis loco omnes civium actiones gubernat ac dirigit; & si vel metallum probatum non sit, vel aliud lateat vitium, è sono d illico dignosci potest. Ad eundem fere modum Princeps universale quoddam suorum subditorum horologium est, tanquam qui è motu verborum ipsius magnam partem dependeant; per ista aut existimationem sibi apud illos conciliat, aut deperdit : nemo enim quisquam est, quin è Principis sermone de ejusdem natura, ingenio & affectibus augurari velit : Nullum est verbum, quod non studiosissime captent audientes. e Manent alta mente reposta singula, quæ narrata dein aliis multorum subjacent examini, & à variis varie explicari solent. Addo illa etiam, quæ in secessu & non cogitanti forsan excidunt, profunda censeri, & mysteriorum plena, nec casu solum dicta, aut fortuito. Eapropter decet omnino, ne mentem illa præveniant, sed e ut præmeditata sint, & non nisi prævia temporis, loci, personarum consideratione proferantur. Nam

—— *Nescit vox missa reverti*,

f Vt ait Horatius; cui suffragatur Alphonsus Rex. g *E porende todo Ome, e mayormente el Rey, se debe mucho guardar en su palabra, de manera, que sea acatada, e pensada, ante que la diga, ca despues, que sale de la boca, no puede Ome fazer, que no sea dicha.* Vnde gravissima oriri possunt incommoda; Regum enim h verba præcipua sunt gubernandi instrumenta. *Mors & vita in manu linguæ*: honor & ignorantia: prosperitas & ruina subditorũ. Ideo Callisthenem monebat Aristoteles, cum eum ad Alexandrum Magnum mitteret, ut pauca cum eo colloqueretur, & non nisi de iis, quæ placere eidem possent; eo quod res plena esset periculi, cum eo agere, qui in lingua

a Lib. 5. tt. 2. p. 2.
b Pers.
c Seneca Epistol. 115.
d *Vas fictile ictu & sono, homo sermone probatur.* Melliss. serm. 48. tom. 5. bibl.

e *A facie verbi parturit fatuus, tanquam gemitus partus infantis.* Eccl. 19. 11.
f Hor.
g Lib. 1. tit. 4. p. 2.
h *Et sermo illius potestate plenus est.* Eccl. 8. 4.

sua vitæ necisque circumferret potestatem. Nullum ex ore Principi exit verbum, quod non singularem habeat emphasin. Si de negotiis loquatur, mandata sunt: si de delictis, sententiæ decretoriæ: si de promissis, obligationes. Per istiusmodi verba aut recta incedit via, aut ab eadem deflectit obedientia. Videant itaq; Principes, quomodo utantur hoc linguæ instrumento, quā Natura non mero utique casu dentibus ceu firmo quodam muro seclusit & circumsepsit. Neque minus ad domandam linguam, quam ad equū coërcendum fræno *a* opus est. Modicum quidem corporis membrum est; sed gubernaculo simile, in cujus motu totius navigii salus aut interitus vertitur. Lingua in lubrico sita est, facillime labitur, nisi firmet prudentia. Hinc illa Davidis Prophetæ petitio: *b Pone Domine custodiam ori meo, & ostium circumstantiæ labiis meis.*

§. Quod si eo etiam sese demittat Princeps, ut cum quovis familiarius colloquatur, id existimationem ejus, atque autoritatem prorsus prostituit, aliaq; accersit incommoda, nisi tamen forte notitiæ alicujus capiendæ caussa id fieret. Quisquis enim negotia pertractanda habet, Principem aliquem cuperet apprime prudentem, & de rebus suis instructum quam optime: quod fere est impossibile, eo quod *c* Princeps sua scientia cuncta complecti nequeat, & si forsan minus apte ad propositum responderit, negotiorum minus capax judicabitur, aut incuriosus. Præterquam quod nunquam fere dotes ac talenta Principis tanta esse deprehendantur, quanta est existimatio, quæ de iis à plerisque solet concipi. Et propter ejusmodi pericula malebant olim Romani Imperatores per codicillos secū agi, atq; ipsi postea in scripto responsa dabant; tum ut tempus mature deliberandi suppeteret, tum etiam, quia calamus minus periculi conjunctum habet, quam lingua. Hęc siquidem responsum diu differre commode non potest, potest autē calamus. Sejanus, quantumvis *d* Tiberio gratiosus, scripto tamen eum adibat. Quædam nihilominus sunt negotia, quæ oretenus tractare præstat, quam scriptione, tunc præsertim, quando haud satis videtur tutum in aliorum relinquere manibus scripturam, quæ perpetuum quoddam est testimonium, & pluribus obnoxium explicationibus, quam verba ore prolata; quæ sicuti celerrime transeunt, nec tenaciter hærent in memoria, ita ad dandam actionem certam minus idonea sunt. Cæterum sive hoc, sive isto modo respondeat Princeps, illud semper tenendum, *e multum brevi sermoni inesse prudentiæ*, & vel hoc nomine eum Principis decere majestatem; unde & *f Imperatoriam veritatem* vocat

a *Aurum tuum & argentum confla, & verbis tuis facito stateram, & frænos ori tuo rectos.* Eccl. 18, 29.

b Psal. 140. 3.

c Tac. l. 3. Ann.

d *Componit ad Cæsarem codicillos: moris quippe tum erat, quamquam præsentem, scripto adire.* Tacit. lib. 4. Ann.

e Sophocl.

f Tac. l. 1. hist.

cat Tacitus. Enimvero lingua utendum, ut gladio, hoc est, ita ut ne apertum pectus ferienti exponas; qui totum aperit animum, periculo sese objicit. Discursus breviores efficaciores sunt, & multa in recessu habent animo ponderanda. Nihil æque regii muneris est, ac pauca loqui, & multa audire. Nec minus convenit nosse tacere, quam nosse loqui. In hoc homines habemus Magistros; in illo ipsum Deum, qui semper silentium nos docet in suis mysteriis. Ad divinitatem accedit propius, qui tacere didicit. a *Stultus quoque si tacuerit, sapiens reputabitur, & si compresserit labia sua, intelligens.* b *In ore fatuorum cor illorum: & in corde sapientium os illorum.* Illud prudentiæ est, neutra ex parte transgredi limites, utrumque enim periculosum.

——— *Vt diversa sibi, vicinaque culpa est*, (lens.
c *Multa loquens, & cuncta si-*

Tunc loqui convenit, cum silentium aut Principi aut veritati præjudicat. Majestas solo etiam nutu sese abunde explicat. Silentium mutũ opportuno tempore magna in Principibus facundia est; & significantius animi sensa solet exprimere sola morũ gravitas & modestia, quã ipsa verba: quod si his aliquando utendum, sincera sint oportet, cum regia quadã in sentiendo libertate.

d *Liberi sensi in simplici parole.*

Etenim cum exaggerationibus nimiis, cum juramentis & testimoniis non necessariis fidem aut amittunt omnino, aut certe suspectam faciunt. Gravia ergo sint absque fastidio, gratiosa absque sollicitudine, constantia sine asperitate, communia denique absque vulgaritate. Quin & apud Deũ plus ponderis ac momenti habere videntur e verba apte composita.

§. Verum tamen nulla alia in re prudentiori linguæ & calami moderatione opus est, atque in promissis, in quibus Principes aut ex innata quadam animi generositate, aut ad intentos fines facilius assequendos, aut ad evitanda pericula, consueverunt esse liberaliores; sed dum fidem liberare postea nequeunt, perit autoritas, & aliorum sibi accersunt inimicitias, adeo ut satius f fuisset nunquã ita largiter polliceri. E promissis non fideliter exsolutis plura exorta sunt bella quam ex illatis injuriis: in his siquidem non æque semper locum habet utilitas, atque in illis, & Principes plerumque magis proprio moventur commodo, quam acceptis injuriis. Polliceri prolixe, & promissa non solvere, superior contumeliam interpretatur; inter æquales injustitia; apud inferiorem tyrannis censetur. Ne ergo præceps sit lingua ad pollicendum, antequam certo constet g præstarĩ posse quod promittitur.

a Prov. c. 17.
b Eccl. 21. 29.
c Auson.
d Tasso.

e *Non parcam ei, & verbis potentibus & ad deprecandum compositis.* Iob. 41. 3.

f *Multo melius est, non vovere, quam post votum promissa non reddere.* Eccl. c. 5. 4.

g *Noli citatus esse in lingua tua; & inutilis, & remissus in operibus tuis.* Eccl. 4. 34.

§. Sed & in comminationibus lingua limites facile transiliit; nam iracundiæ calor celerrime illam commovet; cum vero vindicta deinde passioni animi par esse non possit, necesse est prudentiæ, immo & potestatis supremæ auctoritatem haud parum imminui. Consultius ergo fuerit, dissimulare tantisper offensas, ut satisfactionis effectus ante expendi queant, quam illam Princeps comminetur. Qui minis utitur prius, quam manibus, iis solis ulcisci se cogitat, aut hostem commonefacere. Nulla comminatio gravior, quam mutum silentium. Ignes cuniculis subjectos, sed jam displosos, nemo amplius metuit; qui autem sub aggeribus adhuc abditi delitescunt, semper magis formidabiles sunt: nam effectus imaginationis longe solent esse majores, quam sensuum.

§. Obmurmuratio plurimum invidiæ & jactantiæ propriæ admixtum habet, & solius ferme Inferioris est adversus Superiorem, atque adeo indigna omnino Principe, à cujus labiis nullius cujuspiam honori periculum creari debet. Si vitia grassari videat, ea puniat oportet; si defectus alios leviores, aut corripiat, aut dissimulet.

§. Laus virtutis, rerum bene gestarum & obsequiorum, pars quædam est præmii, & ad ulteriorem sui ipsius æmulationem laudatum exstimulat; quin & aliis quoque calcar admovet. Collaudare tamen promiscue subditos, periculo non caret: cum enim judicium illorum varium sit atque incertum, illa vero laus sententia quædam quasi definitiva, deprehendi cum tempore poterit, temere prorsus hanc illis datam fuisse laudem, interim honoris tuendi gratia Princeps id, quod semel approbavit, revocare facile non audebit. Magna igitur prudentia, tum hac ipsa de caussa, tum ut ne invidiæ occasionem det aliis, in personis laudandis opus habet; quod & S. Spiritus est oraculum: a *Ante mortem ne laudes hominem quenquam.* Propria fuit Stoicorum præceptio, neminem temere ornandum laudibus, eo quod nulla pene res omnino certo affirmari possit, & nos quoque in iis, quæ laude videntur digna, falsa sæpe opinione deludamur.

a Eccl. 11. 30.

SYMBOLUM XII.

COr humanum sapiens architectrix natura in intimum pectus abdidit; ne tamen propterea forte, quod occultũ & sine testibus sit, contra rationis præscriptum quippiam ageret, una homini indidit nativum illũ colorem, aut flammam sanguineam, qua Verecundia frontẽ succenderet, & reum cor faceret, si qua in re abiret ab honesto, sentiretur aliter, ac lingua loqueretur, cujus utriusque idem semper deberet esse motus, & mutua in omnibus consensio. At signum



gnum illud, quod à prima ſtatim pueritia ſeſe prodit, ſenſim obducit malitia. Quam ob rem, cum minime ignorarent Romani, quanti momenti eſſet veritas, ad ſtabiliendas in Republica hominum ſocietates & commercia mutua, adeoque nihil magis cuperent, quam ut Verecundia ab ea deſciſcendi inter mortales ſarta tecta ſervaretur, ſuſpendebant è parvulorum collo cor aureum, (quod Bullam dicebant) hieroglyphicum, Auſonio teſte, à Pythagora inventum, ad ſignificandam ingenuitatem, quam in ſermone profiteri debent homines; & ſinceritatem veritatis, geſtando in pectore detectum quaſi & apertum cor, genuinum veritatis illius Symbolum. Atque hoc ipſum eſt,

quod communiter indicare volumus, cum de homine verace dicimus, eum cor suum in manibus gerere. Idem & sacerdotes Ægyptii per Sapphirum innuebant, quem locabant in pectore Principum ad eandem veritatem symbolice repræsentandam: quemadmodum & Ministri justitiæ aliquam ejusdem effigiem gestare consueverant. Neque tamen ideo cuipiam videri debet, si Princeps tam simplex & apertus fuerit veritatis cultor; deceptionibus forte & fraudibus per hoc ansam dari: nam contra potius nihil illa efficacius ad dolos istos cavendos, & procul arcendum mendacium, quod in veritatis frontem liberis intueri oculis nunquam audet. Eodem, opinor, & Pythagoræ pertinebat monitum, ut ne aversus à sole quis loqueretur; quo quidem significare voluit, nihil dicendum unquam, quod à vero alienum sit: nam qui sibi non temperat à mendacio, ferre non sustinet lucidissimos veritatis radios, duplici nomine per solem adumbratæ; tum quod solus & unicus ille sit, tum quod tenebras dissipet, & fuget umbras, restituendo rebus omnibus veram lucem, & nativos suos colores, uti Emblema præsens exhibet; in quo simul ac supra Horizontem fax ista ascendit, mox noctis diffugiunt tenebræ, & obscura sylvarum latibula repetunt nocturnæ aves, quæ alias ea absente, & noctis — *per amica silentia* suas tantisp er captabant prædas, dum volucres aliæ quieti indulgerent, & somno. Quam confunditur nocta: si casu aliquo in Solis conspectum veniat! In clarissima ejus luce hic illic offendit, & sese implicat: excœcat eam omnino splendor iste, omnesque illius eludit artes. Vllusne esse potest ingenio tam versuto aut vafro, quem in præsentia ingenui Principis, & cui sincera veritas maxime cordi est, nõ illico fraus omnis atq; astutia destituat?

--- a *Magni præsentia veri*, ait ille. Nulla tam potens vis est, quæ candidioris animi consilia penetret, si candori isti prudentiæ quidam quasi recessus non defuerint. Quicquamne mundi hujus oculis magis patens atque apertum, quicquamne lucidius, magisve umbris ac tenebris oppositum, quam Sol? Et tamen, si quis in ejusdem radios aciem velit intendere, abyssos quasi deprehendet, nescio quas & lucis obscuritates, quæ sic obfuscant, & hebetant oculos, ut quid viderint, edicere ipsi nequeant. Haud aliter ad candorem veritatis occœcatur malitia, & suis evertitur fundamentis, nec jam viam aut modum reperit, quo artibus suis porro fallat. Dignissima Principe victoria, fraudes & technas ingenuitate, veritate mendacium triumphare. Mentiri servorum est; atq; adeo generosum Principis animum *b* haudquaquam decet; cui vel maxime danda opera, ut Deo, qui ipsa est Veritas, quam simillimus sit. *c Onde los Reyes* (ait

a Virgilius.

b *Non decent stultum verba composita, nec Principem labium mendax.* Prov. 1.

c Lib. 3. tt. 4. p. 2.

(ait de illa Alphonsus Rex sæpe laudatus) *que tieuen su lugar en la tierra, a quien pertenesce de la guardar mucho, deben parar mientes, que no sean contra ella diziendo palabras mentirosas.* Et paullo infra in eadem lege aliam ejus rei adfert rationem: a *E de mas, quando el mintiesse en sus palabras, no le creerian los Omes, que le oyesen, maguer dixesse verdad, e tomarian en decarrera para mentir.* Expertus hoc fuit b Tiberius, qui *ad vana, & toties irrisa revolutus, de reddenda Republica, utque consules, seu quis alius regimen susciperet, vero quoque & honesto fidem demsit.*

§. Quanto Monarchiæ sunt grandiores, tanto vanitati & mendaciis c magis expositæ sunt. Fortunæ benignioris radii obtrectationum contra se nebulas facile attrahunt. In magnis imperiis omnia in sinistram trahuntur partem, & calumniis sunt obnoxia. Quod vis aperta nequit efficere, sæpe calumnia molitur, aut cuniculis occultis, aut insertis etiam cuneis, qua in re forti animo opus habet, qui aliis imperat; ut ne cursum suum immutet, aut importunis calumniantium vocibus ab eodem retardari se sinat. Nunquam non eminuit constantia ista, & firmitas animi in Hispaniæ Regibus, quibus quasi proprium semper fuit, invidiam & æmulorum obtrectationes despicere; quo uno prope artificio plurimæ istiusmodi dispulsæ sunt nebulæ, quas sicut imperii majestas excitat, ita easdem vi veritatis vicissim discutit, haud secus ac vapores Solis calor attenuat. Quam infames libellos, quam manifesta mendacia, quæ figmenta, quas calumnias contra Hispaniæ Monarchiã sparserunt sæpe malevoli! Neq; tamen æmulatio ista ullã aspergere potuit maculam administrationi tam justæ regnorum, quæ in Europa possidet, quod palam illa sit, & in oculis omnium. Inter alia, ut novis artibus, & confictis mendaciis dominatio ejus magis invisa redderetur, adeoq; provinciæ rebelles ad reconciliationem minus adjicerent animos, autor nescio quis nomine Chapensis cujusdam Episcopi librum divulgavit, in quo multis persequitur, quam inhumaniter & male ab Hispana gente tractati fuerint Indiarum populi. Atq; ut ea mendacia facilius fidem invenirent, primum in ipsa Hispania sparsus fuit liber iste, tanquam Hispali typis editus, & in alias deinde linguas translatus est. Ingeniosa sane inventio, & acuta malitia, magisque noxia, quam forte credi possit: quippe quæ in sinceris quibusdam animis plurimum operata est mali; etsi prudentiores pleriq; mox fraudem agnoverint, siquidem ista omnia satis confutat insignis Religionis zelus & justitia; quam Hispana Natio ubivis terrarum constantissime semper exercet ac tuetur, nec sibi ipsa in solis Indiis dissimilis est. Illud tamen non diffiteor, sub primam Americæ invasionem quædam non omnino probanda accidisse; sed

a Tacit. Ibid.
b Idem lib. 4. Annal.

c *Cuncta magnis imperiis objectari solita.* Tac. l. 4. An.

eorum duntaxat vitio, qui cum orbem hunc cognitum animi sui amplitudini nimis etiã angustum crederent, ausi fuere permissu magis sui Regis, quã jussu, aut electione, suam alibi experiri Fortunam, & novas hactenus incognitas inquirere regiones, ubi populos offendêre barbaros, idolorum cultui superstitiose deditos, ipsis etiam feris immaniores, qui ferino more humana carne vitã propagabant, quorum inhumanitas, præterquam vi & extremo rigore, domari non potuit. Attamen mox incommodis istis provisum de remedio à Regibus Catholicis; hi namque eas in oras certos cum potestate ablegarunt commissarios, qui in eos, quos deliquisse deprehenderent, severe animadverterent, & justitiæ apud Indos integritatem tuerentur; multa deinde paterne ordinarunt, quæ pro eorundem facerent conservatione: inter quæ illud non in postremis numerandum, quod eos à gravissimis eximi voluerint laboribus, quibus tum in metalli-fodinis, tum aliis in rebus exercebantur quotidie, antequam regiones istæ detegerentur. Miserunt præterea viros Apostolicos, qui fidei Christianæ mysteria eos studio maximo edocerent; quin & propriis suis ac Regiis sumptibus fundarunt Episcopatus, erexerunt templa, & sustentarunt religiosas familias, in Ecclesiæ istius recens plantatæ utilitatem & gratiam: ita quidem, ut ab eo tempore, quo provinciæ tam vastæ in Hispanorum concessere potestatem, etiam in novorum Dominorum absentia, nihil tamen eorum, quæ regii sunt muneris, desiderari ipsi passi sint. Quo in genere imperii hujus procuratio, & Ministrorum vigilantia, ipsius etiã Solis, Lunæ, stellarumque in hæc inferiora dominium & operationes superare quodam modo videri possunt: quoties enim vel per solas pauculas horas, ut quotidie accidit, Solis hujus præsentia uni subtrahitur Hemisphærio, perturbatur & confunditur alterum, dum malitia nocturnis sese vestit & contegit tenebris, ac sub caliginis istius, velut larva, homicidia, furta, adulteria, aliaq; nefaria admittit flagitia; quibus omnibus incommodis providentia Solis cavere satis non potest; esto, supra mundi horizontem nocturno etiam tempore crepusculi spargat aliquid, aut muneris sui partes Lunæ tanquam Vice-Reginæ, ac Stellis veluti Ministris suis interim deferat, iisque radiorum suorum auctoritatẽ communicet. Ex hoc itaque nostro orbe moderantur pariter alterum Hispaniæ Reges in Iustitia, in Pace, in Religione, cum eadem omnino felicitate politica, qua Castellæ regna fruuntur & gaudent. Ne tamẽ his suis artibus triumphent æmuli, & hostes Monarchiæ Hispanicæ; atq; ut omnes istius libri calumniæ penitus elidantur, faciamus omnia ista mala, quæ confinxit malitia, Indos perpessos esse, & componamus cum iis, quæ hac nostra memoria in bellis variis tam contra Genuam, quam in Germania, Burgundia, & Lotharingia reipsa experti sumus, & luce clarius ap-

pa-

parebit, mendacium illud ad horum veritatem neutiquam accedere. Quæ unquam crudelia tormenta contra Innocentiam à Tyrannis fuere excogitata, quæ his nostris temporibus usurpari non vidimus, non jam adversus gentes inhumanas ac barbaras, sed Nationes cultas, civiles ac fideles; nec hostiles eas semper, sed contra seipsas etiam; nulla habita ratione aut propinqui sanguinis, aut pietatis in patriam. Quoties vidimus ipsas auxiliares copias in eum, à quo submissæ fuerant, arma sua convertere? Magis cruenta defensio fuit, quam aperta læsio. Nihil inter protectionẽ intererat, & spoliationem; nihil inter amicitiam, & hostilitatẽ. Non illustribus ædificiis, non locis sacris à ferro & flammis parcitum. Intra breve tempus pagos innumeros, castella, urbes suis vidimus sepeliri cineribus, & provincias undique refertas incolis in desertissimas verti solitudines. Nec tamen illa humani sanguinis sitis expleri aut satiari potuit. Nihil tunc novum, in hominum pectoribus, perinde ac arborum truncis, sclopetorum atque ensium vim experiri, non in ipso pugnæ ardore solum, sed postea etiam, quam primus Martis furor desævisset. Iucundissimum oculis erat spectaculum, deformes morientium vultus, & trementes artus contueri. Quoties dissecti hominum ventres præsepiorum fuere loco? Nonnunquam (horrendum dictu!) intra ipsa Matrum viscera latentes adhuc, & permisti cum avena & paleis tenelli fœtus equis cesserunt in pabulum. Cum vitæ ipsius jactura experimentum sumebatur, quantum aquæ humanum caperet corpus, aut quamdiu absque alimento vitam producere quis possit. Virgines Deo dicatæ fuerunt violatæ; constupratæ honestiores filiæ; Matronarum pudicitiæ illata vis, in ipso parentum & maritorum conspectu. Mulieres, æque ac aliæ prædæ & spolia, aut pretio venibant, aut vaccis commutabantur & equis, ad usus minus honestos atque illicitos. Agricolæ juncti curribus, equorum instar vehere cogebantur onera, atque ut reconditas opes proderent, è pedibus, imo & verendis (sine pudore loqui) pendulos in ardentes fornaces sic demittebant. Ante parentum oculos misere trucidabant liberos, ut paternus amor in alieno charissimorũ pignorum operaretur dolore, quod non poterat proprius. In nemoribus & sylvis, quæ latibula feris præbent, hominibus locus non dabatur, quo sese tuto abstruderent; nam canibus venaticis eos pervestigabant, & vestigiorum indicio producebant in lucem. Non profundi lacus à tam ingeniosa cupiditate & rapina securi erant; uncis & retibus inde extracta sæpe sunt utensilia. Nec demortuorum ossibus quietis manere licuit, tumuli eversi, & marmora, ut scrutarentur, quid sub iis lateret abditum. Nulla ars magica est aut diabolica, qua usi non fuerint, ut aurum atq; argentum è latebris eruerent. Sævitia & cupiditate multæ ho-

nominum myriades periere, non animi vilitate; quemadmodum Indi, quorum extirpationem divina permisit justitia, eo quod tot sæculis contra conditorem suum rebelles extitissent. Non ego isthæc recenseo, ut ullam incusem Nationem, scio enim plerasque fere omnes in barbara isthac atque inhumana tragœdia suas egisse partes: sed solum, ut à calumnia gentem Hispanam vindicem. Mitissimus etiam animus, & formatus optimè, aliquando in periculo est, ne extra limites abeat. Imbecillæ naturæ nostræ vitium est, quod nulla actio tam bruta sit, qua se contaminare non possit, si Religionis aut Iustitiæ fræno careat.

SYMBOLVM XIII.

Absentiam Solis supplet Luna, dum nocti præsidet. E variis illius motibus, augmento & decremento rerum harumce inferiorum vigor & conservatio dependet, & tametsi tanto pulchrior illa sit, quanto hæ obscuræ magis, & de se imbecilliores, utpote quæ esse suum ab illius luce hauriant; nemo tamen est, qui vel ea de caussa, vel propter alia innumera ejus beneficia magnopere ad eam advertat, ne tum quidem, cum lumine plenam sese exhibet. Quod si vero interdum terræ interjectu Eclipsin patiatur, & corporis sui non jam illustrati à Sole, ut paullo ante spectantibus sese offerebat, sed opaci & obscuri, pandat defectus, omnium illico notatur & observatur oculis; quin longe etiam ante, quam eveniat, prævertit curiositas, & omnes illius passus gradatim & minutatim in numerato habet. Quid Principes aliud sunt, quam Planetæ quidam terrestres & Lunæ, in quas divinus ille justitiæ sol suos diffundit radios pro terreno regimine? *a* nam si astra illa rebus dominantur? hi animis imperant. Hanc causam fuisse reor, cur Persarum Reges ementitis quibusdam radiis Solis & Lunæ formam imitarentur, ut nimirum astris haberentur suppares. Inter eosdem Rex Sapor *b* ad Constantium Imperatorem scribens, Solis & Lunæ Fratrem sese nuncupabat. Splendescit inter reliquos homines Principum dignitas, tanquam qui in sublimioribus potentiæ & imperii orbibus constituti, adeoque omnium censuris sunt expositi. Colossi sunt, qui à decoro deflectere nequeunt, quin mox in aliorum id incurrat oculos. Videant itaque diligenter, quid agant: eos enim universus hic mundus attentus observat; & licet, quæ facta ab iis bene, non notet interdum, ad errores tamen advertere animum nullo unquam tempore desinet.

Centum oculis, & auribus longe pluribus advigilat curiositas, ut in secretissima Principum cogitata penetret.

Lapidis

a Chryf. ferm. 120.

b *Rex Regum Sapor, particeps siderum & frater Solis & Lunæ, Constantio fratri meo salutem.* Amm. Marcel. l. 7.



Lapidis illius apud Zachariam [a] videntur ſimiles, ſupra quem ſeptem erant oculi. Nempe *qui magno imperio præditi, in excelſo ætatem agant, eorumque facta cuncti mortales novere: ita maxima fortuna, minima licentia eſt.* Manus Principis menſura eſt concentus illius muſici, quem bona & prudens gubernatio efficit; qua in menſura ſi caſu aliquo æquabilitatem non ſervet, vocum oritur confuſio, & turbatur harmonia in aliis: omnes enim illius ſequuntur motum. Vnde porro fit, quod ſtatus plerumque Principibus ſuis cupiant eſſe conſimiles, flagitioſis

[a] *Super lapidem unum ſeptem oculi ſunt.* Zach. 3. 9.

gitiosis tamen citius, quam probis: cum enim vitia illorum perquam sollicite attendere soleant subditi, infixa hærent animis, & facile ea postea æmulatur adulatio. a *Vitiosi* quippe *Principes non solum vitia concipiunt ipsi, sed ea infundunt in civitatem, plusque exemplo, quam peccato nocent.* Et experientia ipsa docet; malos mores plus communiter adferre nocumenti, quam prosint etiam optimi: nam ea est naturæ nostræ perversa inclinatio, ut vitia potius, quam virtutes imitari studeat. Quantæ, & quam eximiæ erant illæ, quæ in Alexandro Magno eminebant! Imperator tamen Caracalla nihil ad se, suosque mores transferre conatus est, præter hoc unicum, quod caput in latus sinistrum inflecteret. Tametsi vero quædam Principis vitia soli ipsi, alia etiam Reipublicæ mala sint, quemadmodum in Vitellio & Othone observatum à Tacito; quorum b prior *ventre & gula sibi ipsi hostis; Otho luxu, sævitia, audacia Reipublicæ exitiosior ducebatur:* nullum tamen est, quod propter exemplum non gravissime noceat subditis. c *Flexibiles quamcunque in partem ducimur à Principibus, atque ut ita dicam, sequaces sumus.* Haud multum absimiles roris illis in visione d Ezechielis Propheticâ, quæ Cherubinorum motum examussim, & in omnibus sequebantur. *Ea conditio Principum; ut quicquid faciant, præcipere videantur.* e Existimant fere subditi, gratum se obsequium præstare Principi, si flagitia illius imitentur, cumque ea voluntati dominentur, facile sibi persuadet adulatio, hac demum via sese illa potituram. Ita *validior in dies Tigellinus, & malas artes, quibus pollebat, gratiores ratus si Principem (*Neronem*)* f *societate scelerum obstringeret.* Qua ratione ordo perturbatur Reipublicæ, & virtus confunditur.

Talem igitur Princeps ducat vitam; tales sint ipsius mores, ut ad virtutem, ad honestatem exemplo omnes provocent; quod documentum Rex Alphonsus, cognomento Sapiens, Principibus dedit: g *E otro sapara mantener bien su pueblo, dandole buenos exemplos de si mismos, mostrandoles los errores, para que fagan bien: ca no podria el conoscer à Dios, nin lo sabria temer, nin amar, nin otro, si bien guardar su corazon, nin sus palabras, nin sus obras (segun diximos de suso en las otras leyes,) nin bien mantener su pueblo, si el costumbres, e maneras buenas non oviesse.* Nam si vitia virtutis lucernam extinguant in Principe, qui facem prælucere omnibus debet, & securiores commonstrare navigationis vias, in saxa & scopulos Reipublicæ navim impellet; neque enim fieri potest, ut gubernatio succedat recte, ubi Princeps in

a Cic. de Leg.
b Tacit. lib. 2. Histor.
c Plin. in Paneg.
d *Cum ambularent Cherubim, ibant pariter & rota juxta ea, & cum elevarent Cherubim alas suas, ut exaltarentur de terra, non residebant rotæ, sed & ipsæ juxta erant.* Ezech. 10. 16.

e Quintil.
f Tacit. lib. 14. Annal.
g Lib. 6. tit. 5. p. 2.

in flagitia sese pronum effuderit. *Ca el vicio* (verba sunt ejusdem *a* Alphonsi Regis) *hà en si tal natura, que quanto el Ome mas lo usa, tanto mas lo ama, e desto le vienen grandes males, e mengua el seso, e la fortaleza del corazon, e por fuerza a de dexar los fechos, quel convienen de fazer por sabor de los otros, en que halla el vicio.* Facile leges contemnit ac despicit populus, si videat non observari ab eo, qui earundem est anima. Quare sicut eclipses Lunæ terræ obsunt, ita peccata Principis pessundant regnum: illorum enim pœnas à Deo immissas plerumque luere debent etiam subditi, quia exemplum secuti eorundem sese scelerum faciunt quoque participes; uti sub Ieroboamo *b* Rege à populo Israëlitico factum Scriptura memorat.

Vna sola umbra impurioris delicti, quæ Regis Roderici famam obscuravit, multis sæculis Hispaniæ libertatem tenebris oppressam tenuit. Quamobrem excusari aliquo modo poterit barbarus ille *c* Mexicanorum mos, qui quoties Regem aliquem novum inaugurarent, jusjurandum ab illo postulabant, quod justitiam esset administraturus; non oppressurus subditos; futurus in bello fortis ac strenuus, curaturus denique, ut Sol cursum suum ac splendorem retineret, nubes largirentur pluvias, fluvii manarent aquis, & terra ubertim suos proferret fructus. Etenim Regi sanctoSol ipse obedientiam præstat; ut Iosüe quondam expertus est, in præmium virtutis, & tellus fœcundiores edit partus, ut grata quodammodo sit pro administrata in populum justitia. Illud ipsum est, quod Homerus his versibus indicat:

d *Sicut percelebris Regis, qui*
numina curat,
In multisque probisque viris
jura aqua ministrat,
Ipsa illi tellus nigricans, prompta atque benigna
Fert fruges, segetesque, & pomis arbor onusta est,
Proveniunt pecudes, & suppeditat mare pisces;
Ob rectum imperium populi
sors totâ beata est.

§. e *Annus bonus, non tam de bonis fructibus, quam de juste regnantibus existimandus.* Estque ea ut plurimum vulgi opinio, malorum suorum & prosperitatum caussam esse eos, qui cũ imperio sunt; quin fortuita ipsa sæpe ad culpam trahit Principis, uti populus Romanus ea Tiberio tribuebat.

§. *f* Ne in animum suum inducat Princeps, tum demum vitia sua minus notatũ iri, si ea impune permittat aliis, aut cum populo communia faciat; id quod de Witiza memoriæ proditum est: etsi enim vitæ licentiam ament subditi, at non autorem; quæ caussa fuit, cur factum morte luerit postea, homo ob deterrimos suos mores omnibus inuisus. Quod in aliis vix turpe ac vitiosum notare

a Lib. 5. tit. 3. p. 2.
b *Propter peccata Ieroboam, qui peccavit, & peccare fecit Israël,* 3. Reg. 14. 16.
c Pop. Gamar.

d Hom. Vlys. *e* Boëtius.
f Tacit. l. 4. Annal.

re plerumque solemus, hoc in nobis fere commune ac proprium ipsi non agnoscimus. In nobis ipsis facile quemcunque dissimulamus defectum, in speculo tamen, in quo vultum nostrum contuemur, ne atomum quidem ferre possumus. Ejusmodi speculum Princeps est, in quo sese contemplantur subditi, nec quicquam iis molestius, quam si vitiis deturpatum videant. Nihilo propterea minus infamis erat Nero; quod *a ratus dedecus amoliri, si plures fœdasset.*

§. Non securos se arbitrentur Principes, si in secreto rei bene prudenterque gestæ conscii sibi sint: quoties enim plebs ipsa actiones eorundem non omnino assequitur, discutere eas curiose incipit, & in deteriorem semper partem interpretatur: quare non sufficit, quod ipsi perperam non agant, sed opus est etiam, ut ne media, quibus utuntur, speciem mali habeant. Et quomodo rem ullam secretam habebit is, qui suam ipsius Majestatem, & comitatum aulicum à se abdicare non potest, nec solus quicquam agere; cujus libertas tot compedes secum trahit, & catenas aureas, quarum strepitum nemo non percipit? Hoc Summo Sacerdoti significabant tintinnabula illa aurea, quæ ex ima ejus veste circum dependebant, ut nimirum fieret memor, omnes suos gressus auribus *b* omnium esse expositos. Quotquot custodes sunt sive domi, sive foris extra palatium, quotquot Principi intra secretiora assistunt conclavia, totidem exploratores sunt eorum, quæ facit, aut dicit; immo & quæ animo cogitat, attenti ad omnes illius gestus, ad oris vultusque conformationem & motum, quibus cor sese prodit: ita semper oculos suos *c* in ejus manibus defixos habent. Quod si vitium aliquod notent in Principe, tametsi dissimulare illud se fingant, prodere tamen gestiunt, ut aut prudentiores & intimi, aut zelosi etiam habeantur. Hic unus alium intuetur, & palam eloqui non ausi, nihil loquendo, loquuntur maxime. Ebullit atque æstuat secretum intra præcordia præ ferventi manifestandi desiderio, donec tandem supereffluat. Linguas ipsas per aures volitare diceres. Hic accepto silentii sacramento revelat illi, iste vicissim alicui alteri; quo fit, ut dum nemo illud ignorat, sciant omnes: adeo quasi in momento obtrectatio è cubiculis secretioribus migrat in culinas, inde in plateas, & compita publica. Quid porro mirum, si hoc inter domesticos accidat, cum à seipsis etiam satis securi Principes non sint, quantumvis vitia sua & tyrannides secreta habere cupiant: nam vel conscientia propria reos eos agit, uti Tiberio contigit, quem *non fortuna, non solitudines protegebant, quin tormenta pectoris, suasque ipse pœnas fateretur.*

§. Ve-

a Tacit. lib. 14. Annal.

b Et cinxit illum tintinnabulis aureis plurimis in gyro, dare sonitum in incessu suo. Eccl. 45. 10.

c Oculi servorum in manibus dominorum suorum. Psal. 122. 2.

§. Veruntamen ne animo cadant Principes, si forte industria sua ac diligentia non videantur satisfacere omnibus; pares enim omnibus esse non possunt, neque unquam continget, ut passio, invidia, & multiplex populi judicium in ejus laudibus rite consentiant, multo minus, ut Natura hæc nostra tam imbecilla absque defectu & erroribus in omnibus operetur. Ecquis magis solers ac sollicitus in Mundo hoc illustrando, quis perfectus magis, ac ille mundi oculus, & Princeps lucis, Sol inquam, qui ipsum esse, colorem & pulchritudinem rebus universis tribuit? Et tamen nescio quas in eo maculas & obscuritates deprehendit curiositas, nil obstantibus lucidissimis ejus radiis.

§. Atque ista Principis sollicitudo, ut vitæ suæ rationes juste laudabiliterque instituat, ad vitam etiam actionesque Ministrorum, qui personam ejus sustinent, extendi debet; siquidem ad has non minus, quam ad illas rite moderandas Deus hominesque eum obligatum censent. Non lunæ defectus est is, quem in Eclipsi illa patitur, sed terræ, quæ illam inter & Solem umbram suam interjicit; nihilo tamen minus, nemo quisquam est, qui defectionem illam Lunæ non tribuat; eaque unica sufficit ad offuscandos ejus radios, & creanda rebus hisce inferioribus damna tot, atque incommoda. Principis vitia in pravam ejus voluntatem referimus; at Ministris scelerum impunitatem concedere, animi quædam censetur vilitas. Peccata propria aliquam merentur excusationem, ob affectuum & passionum vehementiam: sed si per indulgentiam permittantur in aliis, nullus excusationi est locus. Nil prohibet Principi vitioso bonos esse Ministros: si tamen connivere cum iis incipiat, & hi, & ille flagitiosi erunt. Hinc nonnunquam accidit, quod Principis minime boni bona tamen sit gubernatio, dummodo ipse caveat, ne alii suum sequantur exemplum: rigor enim ille non finit, ut adulatio factum imitari audeat, neque locum dat naturali illi voluntatis inclinationi, qua quisque Principibus similium actionum studio se conformare desiderat. Esto pro se ipse sit malus, pro Republica tamen bonus erit. Omnem Ministris indulgere libertatem, est imperii abjicere habenas, sine quibus nullus etiam equus recte secureque incedit.

§. Mali Principes æque sunt curatu difficiles, ac pulmones affecti male; ex eo capite, quod remedia iis applicari nequeant: hæc namque in audiendo consistunt, at ipsi audire renuunt; consistunt in videndo, at ipsi videre non sustinent, neque ut audiant a vel videant alii, aut certe illud ipsum non sinunt domestici proprii ac Ministri, qui Principum vitiis applaudunt potius: & quemadmodum

a *Qui dicunt videntibus, Nolite videre: & aspicientibus, Nolite aspicere nobis ea quæ recta sunt; loquimini nobis placentia.* Isa. 30. 10.

dum antiqui olim ære & cymbalis omnia personabant, dum luna a laboraret; ita isti animum Principis modulis musicis, aliisque oblectamentis demulcere satagunt, in eo præcipue elaborantes, ut aures semper habeat occupatas, ne aut murmur obtrectationis, aut veritatis voces, quæ dolos detegunt, ad eas penetrare possint; & demum, ut ea ratione, dum Princeps juxta ac illi iisdem se immergunt vitiis, nemo reperiatur, qui eos reprehēdat & corrigat.

a Igitur æris sono, tibiarum, cornuumque concentu strepere prout splendidior, obscuriorve, lætari aut mœrere. Tac. lib. 6. Annal.

SYMBOLVM XIV.

NVllum prope instrumentum est, quod artis opera se solo cum omni perfectione elaboret. Quod præstare non potuit malleus, lima perficit. Textrinæ defectus tonsoriæ corrigunt forfices (icon præsentis Emblematis) & panno nitorem addunt ac elegantiam. Aliena censura proprios componit mores. Maculis pleni essent, nisi eas detonderet lingua. Quos lex ipsa in officio continere aut emendare nequit, solus sæpe coërcet obtrectationis metus, quæ stimulus quidam est virtutis, & frænum, ne à recto tramite ea deviet. Obtrectationes in auribus obsequentibus prudentis Principis inaures b sunt aureæ, & fulgentissimi quidam uniones (ut dixit Salomon) qui mire exornant illum & perficiunt. Nullus capitalior vitii hostis est, quam censura. Longe hæc efficacior, quam cohortatio & doctrina: cohortatio enim famam & gloriam in futurum proponit; censura, quod turpe est & indecorum, mox accusat, & castigat illico infamiæ divulgatione. Illa incitat, ut agamus recte; hæc, ut ne operemur male, & facilius sese abstinet animus ab eo, quod ignominiam adjunctam habet, quàm suscipiat id, quod arduum est & honestum. Merito itaque constitutus est honor in opinione aliena, ut scilicet in metu simus, cumque actiones nostræ ab aliorum dependeant judicio, omnibus satisfacere studeamus. Tametsi vero obtrectatio in se mala sit, bona tamen est pro Republica, quia nulla alia supra Magistratum aut Principem major potestas & vis est. Quid potentia non auderet, si obtrectatio non obsisteret? in quos illa non laberetur errores, si hæc non esset? Consiliarii optimi sunt obtrectationes, siquidem è damnorum experientia nasci solent. Eas si audirent Principes, multa dubio procul succederent rectius. Satyras, & libellos probare omnino non ausim: nam plerumque aut veritatis excedunt limites, aut scandala, tumultus ac seditiones concitant; aliquid tamen indulgeri ea in re ob effectus tam bonos forte expedit. Libertatis in Republica

b Inauris aurea, & margaritum fulgens, qui arguit sapientem, & aurem obedientem. Prov. 25. 12.



publica signum est obtrectatio; in ea enim, quam tyrannis oppressam jam tenet, neutiquam permittitur. a *Rara temporum felicitas, ubi sentire, quæ velis, & quæ sentias, dicere licet*. Iniquum prorsus esset, si qui imperat, subditorum labiis claustra vellet injicere & prohibere, ne querantur unquam, aut murmurent, sub duro servitutis jugo. Sine eos murmurare, sine obloqui, dum præcipere nos sinunt ajebat Sixtus V. Pontifex, cum nonnemo ad ipsum referret, quod male de eo nonnulli per urbem loquerentur. Obtrectationibus omnino non tangi, non moveri; hoc demum esset omnem

a Tacit. lib. 1. hist.

omnem honoris existimationem abjecisse, quo nihil pejus in Principe, si quidem eo venerit, ut jam infamia voluptati illi sit: veruntamen sic iis afficiatur, ut discat inde aliquid, non ut eas ulciscatur. Qui isthæc leviora dissimulare *a* nescierit, quomodo majora poterit? Non minoris virtutis fuit in forti illo Heroë Consalvo de Corduba querimonias tolerare exercitus, & oblocutiones ad Litim fluvium, quam in periculo tam evidenti intrepidum consistere. Quis licentiam populi, libertatemque reprimat? Frustra sunt Principes *b qui præsenti potentia credunt extingui posse etiam sequentis ævi memoriam*, quive existimant tantam esse suam majestatem, ut actiones etiam malas ea honestare queat. *c Non ope humana, non largitionibus, aut Deûm placamentis*, Neronis *decedebat infamia, quin jussum incendium crederetur*. Illud adulatio cavere potest, ne ad Principis aures penetret obtrectatio; ut vero nemo omnino sit, qui obtrectet, nunquam efficiet. Princeps, qui omnem de actionibus suis sermonem prohibet, suspectas eas facit; cumque prona semper sit in deterius vulgi persuasio, palam pro malis haberi solent. Minus exaggerantur ea, quæ non curantur magnopere. Prohibuerat Vitellius, ne quis de rebus male à se gestis per urbem loqueretur, hinc *d plures, si liceret, alias narraturi, quia vetabantur, atrociora vulgabant*. Per laudes atque obtrectationes ita transeundum Principi, ut illis non titilletur, non succumbat istis. Si laudibus capiatur, iisque aures det, omnes eidem adulando animi occupandi periculum facient. Quod si obtrectationibus conturbetur, absistet à rebus arduis & gloriosis, & in gubernando socors fiet. Suis inaniter extolli laudibus, judicii levitas est: quacunque etiam re offendi hominum est privatorum; multa dissimulare, Principum; nihil ignoscere, tyrannorum. Norant hoc optime magni illi Imperatores Theodosius, Arcadius & Honorius, quando Ruffino Præfecto Prætorio dabant in mandatis, ne populi contra se obtrectationes illico pœnis castigarent; *e quoniam*, ajebant, *si id ex levitate processerit, contemnendum est: si ex insania, miseratione dignissimum: si ab injuria, remittendum*. Cum Carolo V. Imperatori aliquando Barcinone versanti accusatio adversus nonnullos, qui sinistre de ejus actionibus locuti fuerant, offerretur in scripto, ut de sententia ferenda cum illo deliberaretur, porrigenti indignatus, mox chartam in vicinum focum, cui tum forte astabat, injecit, & flammis tradidit. Ad officium Principis pertinet, intelligere omnia; velle tamen verba *f* singula vocare ad examen,

a Magnarum rerum curas non dissimulaturos, qui animum etiam levissimis adverterent. Tacit. lib. 13. Annal.

b Idem lib. 4. Annal.

c Idem lib. 13. Annal.

d Tac. l. 3. Histor.

e L. unica. C. si quis imperat. maledix.

f Omnia scire, non omnia exequi. Tacit. in vita Agr.

men, indignum est magnanimo pectore. In Republica Romana sola *a facta arguebantur, dicta impune erant. b Vana à sceleſtis, dicta à maleficiis differunt.* Spinosa nimis corona esset, si re quacunque lædi se crederet. Aut omnino non offendit, aut leviter certe ea injuria, quam is, contra quem fieri putatur, pro injuria non agnoscit. Nimia est in Principe facilitas, & exigua sui æstimatio, ad quosvis commoveri rumores. Conscientia mala stimulare solet animum ad sumendas de eo pœnas, qui obtrectat; pura atque integra mens, contemnit ista. Si verum est, quod in Principe carpitur, emendatione eluat; si falsum, seipso evanescet. *c Namque spreta exoleſcunt; si irascare, agnita videntur.* Exuri jusserat Senatus Romanus Cremucii annales; sed quia eos ipse occulerat, accensa magis est, & vulgata legendi cupiditas; quomodo & libellis infamatoriis Vejenti accidit; *d conquisitis, lectitatisque, donec cum periculo parabantur, mox licentia habendi, oblivionem attulit.* Curiositas judicibus non paret, nec pœnas metuit. Quod vetatur maxime, in id maxime connititur. Prohibitione augescit Satyricorum æstimatio operum, & *e punitis judiciis gliscit autoritas. f Neque aliud externi Reges, aut qui eadem sævitia usi sunt, nisi dedecus sibi, atque illis gloriam peperere.* Nunc sicut perutile est Principi, scire quid alii loquantur male; ita haud parum nocet, faciles obtrectatoribus præbere aures: quia namque lubentes credimus, quod accusatur in aliis; proclive est fieri, ut Princeps aut decipiatur, aut inique aliquid statuat, aut erret in ferendo judicio. Est ea res periculi plenissima, in aulis præsertim, ubi invidia, & præmiorum, favoris ac gratiæ Principum prensatio calumniam acuunt, & solent aulici locustis illis in Apocalypsi esse similes, habentes facies hominis, dentes autem leonis, quibus honoris spicas g corrodunt & depascunt. Gladio *h* acuto linguas eorum Spiritus sanctus comparat, uti & *i* sagittis, quæ in occulto feriunt innocentes. David *k* eos ut hostes persequebatur. Nulla aula quieta esse potest, ubi isti tolerantur. Nec minus occupabunt Principem eorum susurrationes, quam negotia publica. Remedium est, nolle eos audire, duos ponendo aurium janitores, rationem scilicet & judicium, ut absque gravi caussa eas non pandant. Sane pro auribus non minus custodia opus est, quam pro aulæ & palatii foribus; & de his tamen admodum sollliciti sunt Principes, pro illis parum aut nihil curant. Qui obtrectantibus facile aures præ-

a Tacit. l. 1. Annal.
b Idem l. 3. Annal.
c Idem lib. 4. Annal.
d Idem lib. 4. Annal.
e Idem lib. 4. Annal.
f Tacit. 16.

g Dentes earum, sicut dentes leonum erant. Apoc. 9. 8.
h Et lingua earum, gladius acutus. Psal. 56. 5.
i Paraverunt sagittas suas in pharetra, ut sagittent in obscuro rectos corde. Psal. 10. 2.
k Detrahentem secreto proximo suo, hunc persequebar. Psal. 100. 5.

præbet, in caussa est, cur obtrectare ii audeant. Nemo de aliis loquitur male, nisi apud eum, qui lubens id audit. Expediet etiam ejusmodi blaterones cum eo, quem accusant, coram committere, publicando id, quod ipsi referunt, ut dissidiorum esse autores eos postea pudeat. Hoc, nî fallor, Spiritus sanctus intendebat, cum diceret: a *Sepi aures tuas spinis*: ut nimirum sese ipse læderet, atque adeo pœnas daret, qui cum malevolis obtrectationibus os suum aliorum auribus admovere tentaverit. Suspectus debet esse Principi, qui palam veretur dicere, quod in aurem b loquitur. Et tametsi ista quoque diligentia cavere poterit, ut veritates tam variæ ad Principem non deferantur: multa quippe sunt domestica, quæ ignorare satius est sæpe, quam scire; & vero longe præstat, calumnias ex aulis universim proscribere. Quando tamen accusationes non ex malitia fiunt, sed ex zelo quodam erga obsequium Principis, omnino audire eas decet, & examinare sedulo, nec putare aliter, quam eas ipsas admonitionem quandam esse plane necessariam, ad bene gubernandum non solum, sed & ad securitatem propriam. Hinc Constantinus Imperator lege peculiari etiam præmium iis statuit, qui Ministros ipsius & domesticos criminis alicujus veraciter accusare possent. c *Si quis*, inquit, *est cujuscunque loci, ordinis, dignitatis, qui se in quemcunque Iudicum, Comitum, Amicorum, & Palatinorum meorum aliquid veraciter, & manifeste probare posse confidit, quod non integre atque juste gessisse videatur, intrepidus atque securus audeat, interpellet me, ipse audiam omnia, ipse cognoscam, & si fuerit comprobatum, ipse me vindicabo.* Prorsus hoc necessarium est, ut Principem nihil lateat eorum, quæ geruntur in ejus aula, in consiliis, in tribunalibus, ubi timor ora obstruit, & gratiæ ac beneficia Principis per Ministros collata in alios interdum elingues eos reddunt, ut Ministrorum defectus & errores non audeant prodere; perinde quasi hoc demum sit beneficii esse memorem, & gratum se exhibere, quæ infidelitas potius, & proditio censeri deberet: ea enim obligatio, qua obstricti illi sunt ad commonendum Principē, quem decipi à suis, aut cui non recte ministrari animadverterint, fidelitatis est obligatio naturalis, multoque arctior quam ulla alia. Gravissimum hoc damnum est, si Princeps gratias suas & favores per eorum dispertiat manus, quos eximie & singulariter habet caros; sic enim isti gratiarum beneficio quasi pretio quodam mercantur alios, qui neglecti ab iis officii sese participes faciunt, aut certe approbant illud, ac defendunt; atque ita, Principe misere decepto, in caussa sunt, cur iis affectu amoreque singulari porro adhæreat.

a Eccl. 28. 28.

b *Et hanc velim generalem tibi constituas regulam, ut omnem, qui palam veretur dicere, suspectum habeas.* S. Ber. l. 4. de consid. ad Eug. c. 6.

c Lib. 4. C. de accus.

Anti-

Antiquiores Respublicæ non nesciæ omnino, quantum conducerent Satyræ ad arcenda infamiæ metu vitia: in theatris publicis illas permiserunt, sed paullatim à communi morum reprehensione ad obtrectationes particulares ventum est, non sine gravi honoris quorundam læsione; unde exortæ factiones, & ex iis seditiones populares: quia *a* Spiritu Sancto teste, lingua maledica turbat pacem, & familias integras, ac civitates evertit. Ea de caussa, ne morum correctio ex malitia linguæ penderet, aut calami, Censorum munus institutum fuit, qui auctoritate publica singulorum notarent mores, atque corrigerent. Perquam utile tunc fuit istud officium, & diu multumque viguit; quia verecundia & animorum modestia ejus tuebantur jurisdictionem; hoc nostro tamen tempore effectui dari non posset: superbiæ enim & morum licentia mox sese modis omnibus illi opponerent, sicut nunc ipsi resistunt Magistratui, quantumvis optimis legibus & autoritate publica armato, adeoque risui & ludibrio forent Censores, non absque insigni regiminis periculo: nihil enim nocentius, nihil quod vitia magis insolescere faciat, quam si talia adhibeantur remedia, quæ delinquentes despiciunt ac rident.

5. Sicut autem censura morum corrigendorum caussa introducta fuit, ita & propter civium facultates, ut scilicet opes ac fortunas singulorum referret in tabulas, & personarum certum iniret numerum: & quamvis magno Reipublicæ bono, cum apud Græcos, tum apud Latinos diu ista consuetudo floruerit, hodie tamen id valde esset odiosum, & grandia pareret incommoda; quia scire tam accurate subditorum numerum, & facultatum conditionem, ad nihil deservit aliud, quam ut tributis & exactionibus ii magis onerentur. Tanquam peccatum gravissimum vindicavit Deus illam populi Israëlitici per capita recensionem, quam *b* David instituerat: *c* *Quid enim tam durum, tamque inhumanum est, quam publicatione, pompaque rerum familiarium, & paupertatis detegi utilitatem, & invidia exponere divitias*, cupiditati & rapinæ eas objiciendo. Quod si in illis Rebuspublicis Censura sine his incommodis exerceri olim potuit, ideo factum est, quia in primæva sua institutione recepta fuit ab omnibus, aut quia animi minus elati tunc erant, minusque contra rationem rebelles, quam his nostris temporibus.

a Susurro & bilinguis maledictus: multos enim turbavit pacem habentes. Lingua tertia multos commovit, & dispersit illos de gente in gentem; Civitates muratas divitum destruxit, & domos Magnatum effodit. Ecc. 28. 15.

b Percussit autem cor David eum, postquam numeratus est populus, & dixit David ad Dominum: Peccavi valde in hoc facto. 2. Reg. 24. 10.

c L. 2. C. quand. & quib. quart. pars.

SYMBOLVM XV.



QVam vellem præſentis Emblematis ſymbolum legere mihi liceret in pectoribus omnium Principum, atq; ut queâdmodũ ignes miſſiles per aërem volitantes aſtrorũ imitantur ſplendorem, lucentque mox atque emittuntur è manu, donec in cineres abeant; ita in illis quoque (nam Spiritus ſanctus *igni effulgenti* a eos comparat) nunquam non arderet famæ deſiderium, &

----- b fax mentis honeſtæ
Gloria;

nec quicquam penſi haberent, quod paſtu flamma iſta indigeat, quodve id, quod ardet vehementius, citius etiam conſu-

a *Quaſi ignis effulgens*. Ecc. 50, 9. b Sil.

consumatur. Nam tametsi communis sit homini cum animantibus omnibus cupiditas illa prorogandi vitam; harum tamen finis alius non est, quam sui conservatio, hominis vero recte agere. Non felicitas est vivere, sed nosse vivere. Nec plus vivit, qui vivit diu, sed qui melius vivit. Etenim vitam, non tempus metitur, sed usus. Illa quæ a *quasi Stella matutina in medio nebulæ, & quasi Luna plena* radiis beneficentiæ *lucet* aliis *in diebus suis*, longa est semper; uti contra brevis ea, quæ in seipsa consumitur, licet diutissime duret. Beneficia & incrementa, quæ à Principe proficiscuntur in Rempublicam, illa dies *b* vitæ ejus numerant. Qui sine illis transeunt, eos de summa deducit *c* oblivio. Titus Vespasianus Imperator d *recordatus aliquando super cœnam, quod nihil cuiquam illo die præstitisset, memorabilem illam, & merito laudatam vocem edidit: Amice, diem perdidi.* Et Petrum Lusitanum Regem dicere solitum accepimus: e *Non meretur esse Rex, qui non gratia aliquid, aut beneficii in dies singulos confert in Rempublicam.* Nulla tam brevis vita est, cui ad agendum fortiter non sat temporis suppetat. Unico momento facinus heroïcum decernit generosa mens, nec multo pluribus opus, ut effectum illud det. Quid refert cum illo ipso vitam desinere, si in aliam æternam commutetur, memoriæ post se relictæ beneficio? Quæ intra famæ continetur limites, sola vita nominari potest; non ea, quæ in corpore consistit, & vitali calore, quæ simul ac oritur, mori incipit. f *Mors omnibus ex natura æqualis, oblivione apud posteros, vel gloria distinguitur.* Qui moriendo famam pro vita substituit, esse desinit; vivit tamen. Mira virtutis vis, quæ vel repugnante natura, quod caducum est, reddit immortaliter gloriosum. Non videbatur Tacito parum vixisse Agricola, g *quanquam medio in spatio integræ ætatis ereptus: nam quantum ad gloriam, longissimum ævum peregerat.*

§. Nemo famam posthumam, ut vanam, spernat aut negligat: eo ipso enim, quod eam appetat animus, agnoscit, posse se aliquando ista frui. Falluntur vero, qui satis esse putant, si in statuis, aut posteris eam post se derelinquant: nam in illis caduca ea est, in his etiam aliena; illa sola est propria, quæ ex factis oritur. Hæc si mediocria solum sint, laudem non habebunt: famam enim admiratio parit. Nasci aliquem, ut numerus sit, vulgaris plebeculæ est; ut inter alios singulariter emineat, Principum. Illud ergo tenendum, h *cæteris mortalibus in eo stare consilia, quid sibi conducere putent: Principum diversam esse sortem, quibus præcipua rerum ad famam dirigenda.* i *Argentum quidem, & pecunia est communis omnino*

a Eccl. 50. 6.

b *Bona vita numerus dierum; bonum autem nomen permanebit in ævum.* Eccl. 41. 16.

c *Et numerus annorum incertus est tyrannidis ejus.* Iob 15. 20.

d Sue.

e Mar. hist. Hisp.

f Tacit. lib. 1. Histor.

g Tacit. in vita Agric.

h Idem lib. 4. Annal.

i Polyb.

omnium possessio; at honestum, & ex eo laus & gloria, Deorum est, aut eorum, qui à Diis proximi censentur.

a *Igneus est nostris vigor, & cœlestis origo*

Principibus.

Generosa indoles ad extrema semper contendit, aut Cæsar esse vult, aut nihil; aut stella, aut favilla. Non minus hæc lucebit obeliscis imposita, si gloriose consumpta fuerit, ac illa. Neque enim magnus est spiritus qui salis nitri instar optime præparati, & incensi non illico disrumpit corpus, cui includitur. Flagranti animo angustus nimis campus pectus est. Garsias Sanctius Navarræ Rex prælium initurus, omnibus artubus tremebat; in ipsa tamen pugna fortem se gerebat ac strenuum. Horrebat nimirum corpus confertam hostium turbam, in quam animus parabat irruere. Vitam itaque gloriosam consectetur Princeps, ut Lux *b* sit in hoc Mundo. c *Cætera Principi statim adsunt: unum insatiabiliter parandum, prospera sui memoria*, & fama. Quod si sub regiminis initium bonam existimationem perdiderit, ægre eam postea recuperabit: quod enim semel de eo conceperit populus, semper deinde hærebit animo: in hanc curam incumbat unice, ut gloriam sibi pariat, etiam si capitis discrimen adeundum sit. Qui cupide nimis amat vitam, labores fugit ac pericula, sine quibus duobus Fama obtineri non potest. Observavit hoc Tacitus in Rege Marabodo, qui regno exutus, segnis & turpiter otiosus in Italia d *consenuit, multum immutata claritate, ob nimiam vivendi cupidinem.* Ita Principi navigandum, seu mare tranquillum habeat, seu tempestatibus inquietum, ut lucidissimam gloriæ pharum nunquam dimittat ex oculis; illud identidem animo volvens (ut ne quid persona sua indignum admittat aut cogitet) de illa, deque ejus actionibus & operibus, sæculis omnibus, & omnibus Nationibus locuturam Historiam. Principes alios superiores non habent, nisi Deum & Famam: ii soli, pœnæ & infamiæ metu ad honeste operandum eos obligant; quo fit, ut ab Historicis sæpe magis, quam à suis sibi metuant hostibus, magisque calamum formident, quam gladium. Solos digitos calamo armatos Rex Balthasar *e* videtat, & licet nondum sciret, quid scripturi essent, ita tamen conturbatus fuit, ut toto corpore contremisceret, & compages renum ejus solverentur. Verum, si & Deum & Famam susque deque habeant, nihil ab iis recte geri poterit: nam absque Deo quicquid est, ignorantia est; & qui famam negligit, virtutes negligit. Honesta gloriæ cupiditas omnem à vitio aut injustitia cavet maculam. Nec ulla immanior bellua illo

a Virgil.
b *Sic luceat lux vestra coram hominibus; ut videant opera vestra bona.* Matth. 5. 16.
c Tacit. lib. 4. Annal.
d Tacit. lib. 2. Annal.
e *Facies Regis commutata est, & cogitationes ejus conturbabant eum: & compages renum ejus solvebantur, & genua ejus ad se invicem collidebantur.* Dan. 5. 6.

illo Principe, quem nec conſcientia ſtimulat, nec incitat gloria.

§. Attamen etiam exiſtimationi & ſtatui à gloria periculum eſt: hujus enim ſplendor excœcare ſolet Principes, & in temeritatem dare præcipites. Quod honeſtum iis videtur & glorioſum, vanitas eſt, aut ſtultitia, interdum ſuperbia, aut invidia, ambitio ſæpe, & mera tyrannis. Grandia agitant animo, Miniſtrorum perſuaſi adulationibus, qui multa ſæpe ſub ſpecie gloriæ iis præponunt ante oculos; quam injuſta vero, & quam incommoda ſint media, diſſimulant interim: unde abrepti longius Principes illuſos ſe poſtea & perditos ſentiunt. Recte idcirco monuit Alphonſus Rex, quod [a] *Sobejanas honras, e ſin pro, non debe el Rey cobdiciar en ſu coraçon, ante ſe debe mucho guardar dellas, porque lo que es ademas, non puede durar, e perdiendoſe, e menguando, torna en deshonra. E la honra, que es deſta guiſa, ſiempre previene daño della al que la ſigue, naſtiendole ende trabajos, e coſtas grandes, e ſin razon, menos cabando lo que tiene por lo, al que cobdicia aver.* Illa gloria ſecura eſt, quæ à generoſa naſcitur indole, atque intra rationis & potentiæ limites ſeſe continet.

[a] Lib. 3. tit. 3. p. 2.

Quare cum Fama honeſta pariter atque infamia fortiſſimi ſint ad bene agendum ſtimuli, utraque autem hiſtoriæ beneficio æterna ſit, utile foret, Hiſtoricos propoſitis etiam præmiis ad ſcribendum allicere; & favoribus proſequi Typographiam, vera gloriæ æraria, ubi recte factorum præmia in futura etiam ſæcula quaſi manent depoſita.

SYMBOLVM XVI.

Vetus verbum eſt. *Purpura juxta purpuram dijudicanda.* Iſthoc ſignificabant antiqui, tunc melius cognoſci res poſſe, quando una confertur cum alia; præſertim ſi ejuſmodi eæ ſint, quæ ſeipſis ita facile diſcerni nequeunt. Mercatorum hic mos eſt, qui purpuram componunt cum purpura, ut hujus præ illa excellentia magis emineat, & certior de utraq; fiat æſtimatio. Erat in templo Iovis Capitolini pallium (Regis alicujus è Perſia munus) è lana coccinea tam præſtanti, ut collatæ cum illa Matronarum Romanarum, immo & ipſius Imperatoris Aureliani purpuræ, cinereum vix colorem viderentur attingere. Si explorare & noſſe voluerit Serenitas Veſtra, ad regnum aliquando evecta, valorem virtutemque regiæ ſuæ purpuræ, ne eam exponat ad lucem adulantium, & aſſentatorum: hæc enim luminibus officiet potius, ne verum in ea colorem cernere liceat. Ne item amori credat proprio Serenitas Veſtra: is enim oculis ſimilis eſt, qui cum alia videant omnia, ſeipſos tamen videre non poſſunt. Neceſſum igitur foret, ut quemadmodum ii per ſpecies ſuas, & quaſi imagines in ſpeculo cryſtallino repræſentatas cognoſcuntur; ita Serenitas Veſtra glorioſiſſimorum Parentum & Avo-



rum suorum purpuris opponat suam, attendatque deinde sedulo, num qua in re à purpura virtutum, quæ in majoribus extitere, ea deficiat, contemplando se in illis, tanquam in *a* speculo. Comparet, inquam, Serenitas Vestra actiones suas cum Progenitorum suorum gestis & factis, & videbit facile, quantum inter hæc & illas intersit, ut aut suarum quoque actionum colorem magis perficiat, aut certe virtute sua propria tanquam præmio gaudeat, si qua in re Majoribus suis præstare contigerit. Illud itaque perpendat Serenitas Vestra, num generoso suo Patri par sit animi fortitudine; num pietate adæquet Avum; prudentia Phi-

a *Tanquam in speculo ornare; & componere vitam tuam ad alienas virtutes.* Plutarch. Thim.

Philippum Secundum; magnanimitate Carolum Quintum; comitate Philippum Primum; scientia politica Ferdinandum Catholicum; liberalitate Alphonsum illum, qui ideo à manibus pertusis nomen invenit; justitia Regem Alphonsum Vndecimum; religione denique Regem Ferdinandum Sanctum, & generosa quadam æmulatione ad honestam imitandi cupidinem sese porro Serenitas Vestra exstimulet: Quintus Maximus, & Publius Scipio, si quando Majorum suorum imagines intuerentur, inflammari animos suos ajebant, & ad virtutem incitari; non quod cera illa aut effigie moverentur, sed quia facta propria ad aliorum comparantes, ante conquiescere non poterant, donec rerum à se gestarum fama & gloria eos omnino exæquarent. Elogia, quæ tumulis inscribuntur, non illi loquuntur, qui vivere desiit; sed iis potius, qui etiamnum supersunt inter vivos. Summaria quædam sunt, quæ memoriæ juvandæ caussa Antecessoris virtus derelinquit Successori. Illorum recordatione futurum ajebat Mathathias, ut filii sui gloriam in hoc mundo, & famam immortalem *a* colligerent. Ea quoque de caussa Summi Sacerdotes (qui Principes erant populi) duodecim Patriarcharum Antecessorum *b* suorum virtutes, totidem insculptas lapidibus, gestabant in pectore. Cum Majoribus suis nimirum æmulatione gloriosa concertare decet Principem, non cum aliis se inferioribus: hos enim si superet, redditur odiosus; si contra ab iisdem superetur, ipse injuriam accipit. Tiberius certe Imperator omnia *c facta dictaque* Augusti Cæsaris *vice legis observabat.*

§. Instituat præterea Serenitas Vestra interdum comparationem purpuræ suæ præsentis cum præterita: nam cupimus oblivisci, quales ante fuerimus, ne incusemus nosmetipsos de eo, quod nunc sumus. Expendat secum Serenitas Vestra, defeceritne, an profecerit potius: plerumque enim fieri videmus, ut Principes sub regiminis initium animum egregie attentum ad munus suum adferant, postea vero negligentiores sint. Plerique omnes magnis excelsisque animis gubernationem ordiri solent; sensim tamen & cum tempore, aut nimia negotiorum moles eos deprimit, aut perturbant deliciæ, quibus leviter capi se sinunt, immemores obligationis qua partam semel gloriam tueri ac conservare tenebantur. Animadvertit hoc ipsum in Tiberio Imperatore Tacitus, quod tandem *post longam rerum experientiam vi dominationis convulsus & mutatus fuerit. d* Imperium diuturnum superbiam gignit, superbia vero odium parit apud subditos, quemadmodum idem autor observavit in Rege Vannio, qui *e prima Im-*

 perii

a *Mementote operum Patrum, quæ fecerunt in generationibus suis; & accipietis gloriam magnam, & nomen æternum.* Mach. lib. 1. c. 2. 51.

b *Et parentum magnalia in quatuor ordinibus lapidum erant sculpta.* Sap. 18. 24.

c Tacit. lib. 4. Annal.
d Tacit. lib. 6. Annal.
e Idem lib. 12. Annal.

perii ætate clarus, acceptusque popularibus : mox diuturnitatem in superbiam mutans, & odio accolarum, simul domesticis discordiis circumventus fuit. Multi cum insigni modestiæ & justitiæ laude regimen auspicantur, sed perseverant pauci, quia Ministros circa se habent adulatores, à quibus docentur audacius quædam & injuste agere; uti Vespasiano accidit, a *inter initia Imperii ad obtinendas iniquitates haud perinde obstinato : donec indulgentia fortunæ, & pravis magistris didicit, aususque est.*

§. Atque hanc collationem non de suis tantum virtutibus & actionibus faciat Serenitas Vestra, sed actiones etiam suorum Antecessorum conferat inter se, opponendo invicem quorundam purpuras vitiis defœdatas, alias item aliorum egregiis facinoribus resplendentes : nunquam enim magis exempla movent, quam si contraria juxta ponantur à latere. Comparet Serenitas Vestra Regis b Hermenigildi paludamentũ regium, cum paludamento Petri Secundi Regis Aragoniæ : illud stellis coruscum, & purpuratum sanguine, quem in bello adversus Regem Leuvigildum Patrem suum, Arriana infectum hæresi, gloriose profuderat : hoc vero equorum protritum calcibus in pugna ad Garumnam, cum is Albigensibus sectariis in Gallia tulisset suppetias. Convertat, obsecro, Serenitas Vestra, oculos ad sæcula retro præterita, & videbit Hispaniam afflictam & perditam, ob vitam licentius actam à Regibus c Witiza & Roderico : erectam vero rursus, & restitutam pietate & fortitudine Pelagii. Videbit vita pariter exutum ac regno Regem Petrum ob nimiam animi feritatem : contra ad gubernacula evectumHermannum ejus fratrem, ob singularem, quæ in eo inerat, mansuetudinem. Videbit gloriosum Infantem Ferdinandum, & multis de cœlo auctum coronis, quod suam Regi Ioanni II. Nepoti suo salvam esse servare & voluerit, tametsi essent, qui hanc illi ultro offerrent; contra Infantem Sanctium à suomet Parente de inobedientia & ingratitudine postulatum coram Martino Quarto Pontifice, quod ipso vivente regnum appetiisset. Isthæc collatio magistri erit instar, quem Serenitas Vestra, ut fidum ducem, in gubernando sequi tuto poterit : licet enim Serenitas Vestra etiam discurrendo facinorum heroïcorum splendorem ac lucem, uti & actionum malarum turpitudinem agnoscere satis valeat; ea tamen omnia in se considerata non ita movent, atque in iis, quos aut gloriosos in hoc mundo, aut inglorios effecere.

a Tacit. lib. 2. Histor.
b Mar. hist. Hisp. lib. 5. c. 12.
c Mar. hist. Hisp. l. 6. c. 19. & 21.

SYMBOLVM XVII.

ARbor trophæis onusta non ideo truncus esse desinit, qui fuit. Quæ honori fuerunt aliis, ipsi non nisi oneri sunt. Ita prorsus egregia Antecessorum facinora ignominiæ & de-



& dedecori ſunt Succeſſori, niſi eadem imitetur. Nec in illis hæres ſit gloriæ, ſed actionis ſolum, qua eandem obtineat æmulandi ſtudio. Perinde ac lux in adamantem incidens reflectitur, quia fundum reperit, vitrum vero, quod pellucidum eſt, celerrime pertranſit: ita ſi Succeſſor vir fortis ſit ac ſtrenuus, lucem illi adferet, ac ſplendorem Anteceſſorum gloria; ſi contra vile ac tenue ſit vitrum, fulgorem iſtum ſuſtinere non poterit; quin hic ipſe vilem abjectumque ejus animum prodet magis ac deteget. Quæ aliis exemplo ſunt, hunc etiam legis inſtar videntur obſtringere. His porro fundamentis tota Nobilitatis æſtimatio nititur ac

privilegium, omnes quippe existimamus, Nepotes Avorum suorum actiones æmulaturos. Qui has superbe jactat, nec imitatur tamen, satis ostendit, quantum inter ipsum & illos discriminis sit. Nemo vitio vertit alteri, quod virtutem illius, cui sanguine junctus non est adæquare non studeat. Idcirco apud Nobiles Romanos olim fumosæ illustriũ virorum imagines & statuæ antiquæ locabantur in vestibulis ædiũ, ut suas Successoribus obligationes continuo in memoriam reducerent. Boleslaüs Quartus Poloniæ Rex, Patris sui effigiem, in numismate aureo, è collo suspensam circũferebat, & quoties majoris momenti negotium aliquod decernendum occurreret, ori illam admovebat, & venerabunde deosculans solebat dicere: *Avertat benignißimus Deus ne quid ego indignum regio tuo nomine statuam.* O quot ejusmodi numismata heroïcorum Patrum & Avorum suppetunt Serenitati Vestræ, quæ nunquam sinent, ut indignum regio eorum sanguine committat aliquid; quin immo animos ei addent potius, & stimulos, ut ad ea, quæ magis gloriosa sunt, omni contentione enitatur.

§. Quod si in omnibus Nobilioribus Viris incensa flagraret illa Majorum æmulatio, primas sane in Republica seu domi seu militiæ mererentur partes: utique enim a *par est meliores esse eos, qui ex melioribus,* in quorum etiam favorem præsumptio est atque experientia: nam,

b *Fortes creantur fortibus, &* *bonis.*
Est in juvencis, est in equis patrum
Virtus, nec imbellem feroces
Progenerant aquilæ columbam.

Et plerumque magnos in animo suscitat spiritus æstimatio propria, & infamiæ metus. Fateor tamen, fallere nonnunquam hanc regulam, aut quia c Natura, quod voluit efficere non potuit; aut propter malam educationem & delitiarum mollitiem; aut quia ipsæ etiam hominum animæ non æque nobiles omnes sunt ac generosæ, sed pro affectione corporis in quod quasi demerguntur, aliter atque aliter operari solent: & sunt nonnulli, ad quos sola trophæorum, non una virtutis Majorum transisse videtur hæreditas, ita cælo toto ab iis differunt. Exemplum in iisdem aquilis est; quæ licet communiter non nisi aquilas procreent; sunt tamen, qui putent, Struthiones quandam esse earundem speciem, sed plane degenerem, in qua proinde non amplius inest illa cordis generositas, robur illud unguium, & alarum levitas, quæ in aquilis cernitur, cum volucris tam pernix, tamque elegans in animal fœdum ac turpe jam transmutata sit. Credi vix potest, quantum bono publico noceat electio ad Reipublicæ munera, si absque discrimine, & meritorum examine Nobilitas sola præ oculis sit, perinde quasi una cum san-

a Arist.
b Horat.

c *Nam ut ex homine hominem, ex belluis belluam, sic ex bonis bonum generari putant. At hoc quidem Natura sæpe efficere vult, non tamen potest.* Arist. l. 1. Pol. c. 4.

ſanguine Avorum quoque experientia & virtus ad omnes ſemper poſteros deſcenderet. Langueſcet induſtria, otioſa erit virtus, ſi ſola nixa Nobilitate debita ſibi, & quaſi certa reputaverit præmia, neque illam ad recte agendum acuant, aut iſthæc amittendi metus, aut ſpes obtinendi; quibus ipſis argumentis Senatui perſuaſit Tiberius; ut ne ſublevarent inopiam familiæ M. Hortali, quæ cum eſſet a nobiliſſima, paupertate peſſum ibat. Anteferri recte poterunt aliis Viri ſanguine illuſtriores quod ad ſuprema pacis officia attinet, in quibus plurimum momenti habet familiæ ſplendor atque auctoritas: aliud eſt in officiis militaribus, quæ exercitium aliquod, & robur tum corporis tum animi poſtulant. Quod ſi hæc in illis etiam reperirentur, etſi non ea forte cum perfectione, atque in aliis, facile reliquum compenſabit Nobilitas, aut anteceſſorum meritis, aut communi hominum æſtimatione; omnem tamen defectum ſupplere illa nequaquam poterit. Atque eam ob rem merito riſit Tacitus electionem Vitellii, cum ad gubernandas Germaniæ inferioris legiones mitteretur, nulla habita ratione, quod ad id muneris minus eſſet idoneus: b *quod Cenſoris Vitellii ac ter Conſulis filius, id ſatis videbatur.* Non ita Tiberius ſub prima imperii ſui initia, ſed c *mandabat honores, nobilitatem Majorum, claritudinem militiæ, illuſtres domi artes ſpectando, ut ſatis conſtaret, non alios potiores fuiſſe.*

§. Multum fateor, in bello poteſt auctoritas ſanguinis; non illa tamen hoſtem fundit; ſed fortitudo atque induſtria. Germani olim d *Reges ex Nobilitate, Duces ex virtute ſumebant.* Tunc arma efflorescunt, cum virtus & animi robur præ aliis omnibus in pretio ſunt & honoratiora in bello occupant munera, quibus Nobilitatem aut adipiſci primum, aut jam adeptam augere porro, magiſque illuſtrare valeant. Spes illa magnos orbi heroas dedit, & inſignes duces præteritis ſæculis; ubi vero ea defuerit, contemnitur militia: ſola enim munerum militarium gloria belli incommoda & pericula ſolari poteſt. Nec illud certum omnino, quod quidam autumant, illuſtriorem ſcilicet ſanguinem majori in veneratione eſſe, aut eidem obediri promptius: niſi enim virtutis accedant ornamenta, prudentiæ præſertim & fortitudinis, omnis ſubmiſſio exhibita ſanguini, exterior ſolum cultus erit, non ab interiori profectus animo. Virtutem & excelſitatem mentis, quæ ſibi ipſæ fortunam fabricantur, illas ſuſpicit animus & admiratur. Oceano Magno Columbus leges poſuit; & Orbi novo Hermannus Corteſius, qui licet illuſtribus natalibus orti non fuerint, ſuis tamen Succeſſoribus Nobilitatem pepererunt, ut maximis Viris

 pares

a *Langueſcet alioqui induſtria, intendetur ſocordia, ſi nullus ex ſe metus, aut ſpes, & ſecuri omnes aliena ſubſidia expectabunt, ſibi ignavi, nobis graves.* Tac. l. 2. Annal.

b Tac. l. 1. hiſt.

c Idem l. 4. Ann.

d Idem de mor. Ger.

prima esse possent. Celeberrimæ Roma à tenuioribus fere a- vulsis originem ducunt æque initium, haud longo tamen post intervallo à suomet ævo nomen sortiuntur & gloriam.

5. Equidem in bello, ubi virtus & fortitudo magis æsti- mantur, expediet ad altiores honorum gradus evehere eos, qui rebus præclare gestis id fuerint promeriti, etsi forte splendor Nobilitatis defuerit; pacis tamen tempore, a *si Rem- publicam ignaris, & non magni pretii hominibus committat Prin- ceps, statim & Nobilium, ac stre- nuorum iram in se provocabit, ob contemptam eorum fidem, & ma- ximis in rebus damna patietur.* Quod tum potissimum accidit, cum Subditus rarioribus à na- tura donis instructus est, non vero cum inclaruit jam apud populum, & ore omnium ce- lebratur, adeoque ipsa Nata- lium obscuritas à præstantia & dotibus animi satis illustra- ta est. Multos videmus, qui b *ex se videntur nati*; uti de Curtio Rufo dicere solebat Tiberius. In hos tales optimè convenit illa laus bonæ electionis [illegible] apud Claudi[illegible]

a *[illegible] ex [illegible]*
[illegible] & meritum [illegible]
[illegible]
[illegible] quibus, non [illegible]

Quod si [illegible]

[illegible] cere, [illegible] quo [illegible] rum

as atque industria. Quare p[illegible] simum fuit consilium, qu[illegible] Reg. Henrico Quarto aliqua[illegible] do à nonnullis datum fuit, [illegible] opprimeret scilicet potent[illegible] res regni sui proceres, ali[illegible] que è mediocri fortuna ad [illegible] tiorem eveheret. Etsi liber[illegible] & inobedientia Nobiliori[illegible] exigere interdum videntur, [illegible] aliquantum deprimantur: n[illegible] gia enim præ aliis emine[illegible] tia superbiam gignit, nec [illegible] Superiorem ferre sustin[illegible] c *Nobilitas, cui in pace du[illegible] servitium est.* d *Imbecilliores s[illegible] per æquum & justum quæru[illegible] potentioribus autem id nihil [illegible] curæ*; & tunc quietiores [illegible] sunt subditi, cum deest pot[illegible] tia, quæ eos tueatur & no[illegible] tates e eorum foveat. Ea[illegible] caussa non permittunt Cast[illegible] læ leges, ut duæ amplæ & [illegible] tentes f familiæ coalescan[illegible] unam; tum ideo etiam, ut [illegible] na magis divisa maneant, [illegible] apud alios zelum & invid[illegible] excitent. Artes certe non d[illegible] sent, quæ sub specie hon[illegible] aut gratiæ singularis mode[illegible] [illegible]ent divitiarum copia[illegible] [illegible]ndo opportunitatem [illegible]quium Principis & [illegible] [illegible]lici impendendi. [illegible] sumptuum vanitas [illegible]essa jam est, ut iis a[illegible] [illegible]pus non sit: potenti[illegible] [illegible]um quique maximis one[illegible] [illegible] debitis, & necessita[illegible] premuntur, ut media am[illegible]

c Tacit. li[illegible]
d Arist. [illegible]
e Nobil[illegible]
f [illegible]

non ſuppetant, quibus tam ſublimia cogitata exequi poſſint, aut moliti ones novas machinari. Dum quidem plus eſſe cupiunt, quam poſſunt, minus etiam, quam ſunt, fieri incipiunt. a Certe *dites familia Nobilium, aut claritudine inſignes, ſtudio magnificentia prolabi* ſolent. Cæterum etſi divitiæ nimiæ periculoſæ ſint, idem tamen in extrema etiam inopia locum habet: nam b *cum ex primariis aliqui bona diſſiparunt, hi res novas moliuntur.*

a Tac. l. 3. Annal.

b Ariſt. l. 6. Polit. c. 12.

SYMBOLVM XVIII.

MVltis Imperium virtus contulit, paucis malitia: in his ſceptrum uſurpatio fuit violenta, & plena periculi, in illis titulus juſtus, & conſtans poſſeſſio. Occulta quadam pulchritudinis ſuæ vi ad ſui amorem & cultum virtus allicit. Elementa cœlorum parent imperio, ob perfectionem eorundem & præſtantiam; homines quoque non niſi eum qui juſtitia, cæteriſque virtutibus præſtat aliis, ſuprema poteſtate & dominatu dignum reputant. Ea de cauſſa Cyrus c *non cenſebat convenire cuiquam Imperium, qui non melior eſſet iis, quibus imperaret.* Subditi magis obſ[illegible] & reverentur Princi[illegible] io inſigniores anim[illegible] e conſpiciunt. Qu[illegible] rint majores, ta[illegible] ctoritas erit at[illegible] omnes enim [illegible] Deum Principi [illegible] propitium, & [illegible] adeſſe in om[illegible] gubernationem [illegible] ſum eſt, [illegible] nomen [illegible] Boni P[illegible] & con[illegible]

ſu accipit populus, & pia quadam cum fiducia proſperos eorum ſucceſſus ſibi pollicetur; quod ſi evenerit aliter, plane ſibi perſuadet, ob fines quoſdam altiores & incognitos ita magis conducere. Eandem ob cauſſam apud Nationes quaſdam Reges e ſummi Sacerdotes erant, ut dum populus cæremonias ſacras, & cultum divinum ab iis acciperet, agnoſceret in iiſdem naturam quandam ſublimiorem, magiſque propinquam ac familiarem ipſi Deo, qua tanquam mediatrice in precibus ſuis uti poſſet, & contra quam nihil temere attentare f præſumeret. Corona Aaronis ſuper mitram g attollebat oculos, & deſideria omnium. Iacob venerabatur Ioſephi h ſceptrum, cujus apicem Ciconia inſidebat, pietatis & religionis Symbolum.

e *Rex enim Dux erat in bello, & [illegible], & in iis quæ ad cultum Deo[illegible]rtinuerunt, ſummam poteſta[illegible]ebat.* Ariſt. l. 3. Pol. c. 11.
[illegible] *uſque inſidiantur eis, qui [illegible]iares habent.* Ariſt. Polit.
[illegible] *aurea ſuper mitram ejus, [illegible] ſanctitatis, & gloria ho[illegible] virtutis, & deſideria [illegible]* Eccl. 45. 14.
[illegible] *faſtigium virgæ ejus,* [illegible]eb. c. 11. 21.



5. Nemo exiſtimet, male perdi tempus illud, quod Princeps in virtutum ponit exercitio, immo Deus interim vel maxime rerum eventus moderatur ac dirigit. Sanctiſſimo Sacrificio piè intererat Ferdinandus Antolineſius, dum ad Durium amnem Comes Garſias Fernandeſius cum Mauris decerneret prælio, & ecce Angelus aliquis os habituque illi ſimilis, vicem ejus tantiſper in pugna obiit, quo factum, ut infamiam ipſe non effugeret ſolum, ſed & potiſſimam victoriæ laudem & gloriam indipiſceretur. Simile quippiam refertur de glorioſiſſimo Archiſtratego Comite Tillio, Ioſue vere Chriſtiano, non minus ſancto, quam forti ac belli-

bellicoso, ab alio aliquo personam ejus referente, instructam fuisse aciem, dum ipse Sacerdoti ad aram facienti pro more dabat operam. Ferdinando Secundo Imperatori sub ipsis officiis divinis plura oblata fuêre vexilla, victoriæ insignia & monimenta, quam multi ex Antecessoribus hosti eripuerint. Otiosus stabat Israëliticus *a* populus, & mira Deus in favorem illius factitabat. Æternum lucebit Corona, quæ sicut illa *b* Ariadnæ fulgentissimis virtutum stellis radiaverit. Septimius Imperator filiis suis dixit moriens: *firmum sese iis derelinquere Imperium, si boni essent; lapsurum brevi, si mali.* Ferdinandus Rex, qui à virtutibus suis magnis Magni cognomentum invenit, mirè iisdem regni sui gloriam auxit, & Successoribus stabilivit. Tanta is erat pietate, ut cum corpus S. Isidori Hispali Legionem transferretur, ipse & filii ejus suos oneri subjicerent humeros, & sacras reliquias à fluvio Durio usque ad ipsum urbis templum *c* D. Ioanni sacrum nudis pedibus prosequerentur. Etenim cum Deus sit, *d per quem Reges regnant*, & à quo omnis eorum potestas & felicitas dependet, falli nunquam poterunt, si ad ipsum suos identidem reflectant oculos.

a *Nolite timere: state, & videte magnalia Domini, quæ facturus est hodie.* Exod. 14. 13. *Dominus enim Deus Israël pugnavit pro eo.* Ios. 10. 42.

b *Neque declinet in partem dextram, vel sinistram, ut longo tempore regnet ipse, & filii ejus.* Deut. 17. 20.

c Mar. hist. Hisp.

d Prov. 3. 15.

Lunam Solis radii non destituunt; ea siquidem minime ignara omnem sese à Sole lucem accipere, continuo eum respicit, ut ab eodem illuminetur; quod Principibus sic imitandum ut oculos semper fixos habeant in æterno illo Luminari, quod lucem & motum impertit orbibus, & à quo augmenta sua & decrementa sumunt Imperia, prout in Emblemate præsenti per sceptrum innuitur, in cujus vertice Luna visitur respectans Solem, proprium Dei Symbolum; tum quia nulla alia res ad ejusdem omnipotentiam accedit propius, tum etiam quia solus ille lucem & vigorem rebus omnibus tribuit:

e Quem, quia respicit omnia solus,
Verum possis dicere Solem.

Non est enim potestas, nisi à Deo. *f* Prius in æterna ejus mente, quam hic in terris, Reges coronis redimiri solent. Qui cælestes orbes primo mobili circumdedit, idem illud regnis etiam & Rebuspublicis impertit. Qui Regem constituit apibus, non solius fortunæ reliquit arbitrio, aut electioni humanæ has caussas inferiores Principum, qui in regimine hoc terrestri vicem ejus sustinent, aut illi quam simillimi *g* sunt, adumbrati in Apocalypsi per septem illos Planetas, quos Deus *h* in manu sua habebat. In illos

E 7 vibrat

e Boëtius.

f Roman. 13. 1.

g *Principes quidem instar Deorum esse.* Tacit. lib. 3. Annal.

h *Et habebat in dextera sua stellas septem.* Apoc. 1. 16.

vibrat divinos suos radios, qui reflexi deinde supremum jus atque auctoritatem in subditos iis tribuunt. Sine splendore illo ac luce cœca quodammodo est potestas omnis, quantumvis ampla. Si Princeps, spreta illa luce, in aliam apparentem boni forte alicujus, quod commoditas illi propria, non recta ratio offert, intenderit oculos, mox potentiæ suæ orbem deficere videbit, & obscurari. Quicquid Solem præsentem fugit, tenebris involvatur necesse est. Luna etsi subinde luce se videat destitui, non tamen ideo sese à Sole avertit, quin potius longe jam alacrior, graciliorque continuo eundem respicit, donec luce illius denuo compleatur. Fixum ergo firmumque sceptrum suum Princeps teneat, oculos semper conjiciendo in virtutem, in omni fortuna, seu prospera, seu adversa: nam idem ille divinus Sol, qui aut ad castigandum, aut ad cumulanda merita, aliquod ejus decrementum permisit, in constantiæ præmium non omnem suam lucem subtrahet, sed amplitudinem ejus augebit iterum, & crescere faciet. Ita Ferdinando II. Imperatori usu venit: quippe qui non raro Fortunam tam adversam habuit, ut de imperio pariter & vita desperare posse videretur. Verum, qua erat animi constantia, numquam spem omnem abs se abiecit, neque avertit oculos suos à Sole illo increato, rerum omnium effectore ac moderatore, cujus providentia divina periculis eum eripuit, & longe etiam altius supra omnes suos hostes extulit. Virga Moysis, quæ sceptri erat Symbolum, miros edebat effectus, quoad illam cœlum versus erectam manu sua tenebat; at simul ac illam abjiciebat in terram, in venenatos serpentes, ipsimet *a* Moysi formidandos conversa fuit. Dum sceptrum instar scalæ Iacobéæ summitate cœlum tangit, sustentat illud Deus, & Angeli descendunt *b* subsidio. Nec Ægyptiis ignotum hoc fuit, qui ideo in supremo sceptrorum apice caput ciconiæ, avis religiosæ, ac piæ in parentes, solebant effingere; in inferiori vero parte pedem Hippotami, animalis impii & ingrati erga suum patrem, cujus vitæ struit insidias, ut tanto liberius propriæ suæ matris frui possit amoribus: quo hieroglyphico nihil illi innuere volebant aliud, quam quod Principes pietatem semper impietati anteferre debeant. Atque hoc eodem Symbolo Machiavellus, suum quoque Principem instructum vellet, sed alio plane fine: in uno enim sceptri extremo pietatem, in altero impietatem collocatam cuperet, ut pro libitu illud vertere posset, eamque partem sursum erigere, quæ ad conservationem & incremen-

a *Projecit, & versa est in colubram ita ut fugeret Moyses.* Exod. 4. 3.

b *Vidit in somnis scalam stantem super terram, & cacumen illius tangens cœlum: Angelos quoque Dei ascendentes & descendentes per eam: & Dominum innixum scalæ.* Gen. 28. 12.

mentum Statuum magis conduceret. In quem finem putat ille, virtutes Principi necessarias non esse, sed sufficere, si eas habere se simulet: etenim si veræ illæ essent ac solidæ, & si ex præscripto earundem agere is semper vellet, ait pernitiosas illi fore; contra vero profuturas quam plurimum, si putetur saltem, quod iis prædictus sit: hac enim ratione ita eum fore dispositum, ut pro re nata immutare eas sciat & possit, adeoque sic in rebus omnibus agere, prout expedire judicaverit, & tulerit occasio. Atque hoc ipsum cumprimis necessarium esse ait in iis Principibus, qui noviter ad Reipublicæ gubernacula accesserunt, quos paratos semper & expeditos esse oportet ad utendum velis, prout Fortunæ venti spiraverint, & postularit necessitas. Impium prorsus, & imprudens consilium, quod virtutes suadet non genuinas, sed confictas solum & putatitias. Quomodo enim fieri poterit, ut idem umbra præstet, quod veritas? quænam ars, quæve industria crystalli naturam sic perficiet, ut claritate sua ac luce adamantem exæquet? ecquis non illico, ad primum aspectum & explorationem, rei agnoscet vanitatem, & ridere incipiet? a *Vera gloria radices agit, atque etiam propagatur: ficta omnia celeriter tanquam flosculi decidunt, neque simulatum quicquam potest esse diuturnum.* Nulla tanta est astutia, quæ naturam aliquam malam vestire sic possit, ut usquequaque bona appareat. Nam si in ipsis veris virtutibus, tam naturæ nostræ & inclinationi, accedente præsertim habitu, conformibus tam facile deficimus, quid in fictis & putatitiis fiet? quomodo Subditi, si artes & fraudes istas perspexerint, ferre poterunt fœtorem illum, è discooperto jam vitiorum sepulchro, tam detestabili, absque omni virtutum ornamento? quomodo ab interno illo vulnere avertere poterunt oculos, si detracto jam b velo, sub quo delitescebat, palam sese illud conspectui offerat? unde porro fiet, ut Princeps suis domi contemptui futurus sit, & ludibrio; extraneis vero suspectus in omnibus. Vtrisque certe odio erit, nemini enim ab illo licebit securo vivere. Nulla alia res magis formidandam reddit principis tyrannidem, quam si virtutes ipse fingat: ex eo enim deinde majora plerumque pullulant vitia, quomodo multi c Othonem metuebant, cum ambiret Imperium. Malam Principis naturam, si cognita sit, declinare facile quis potest, virtutes falsas & simulatas non item. In apertis vitiis fragilitati locus est; fictis virtutibus dolus & fraus commisceri solent; neque hoc fortuito solum & casu; sed

a Cic. lib. 2. de Off. c. 32.

b *Quasi pannus menstruata universa Iustitia nostra.* If. 64. 6.

c *Otho interim, contra spem omnium, non deliciis, neque desidia torpescere, dilata voluptate, dissimulata luxuria, & cuncta ad decorem imperii composita. Eoque plus formidinis afferebant falsa virtutes, & vitia reditura.* Tacit. lib. 1. Hist.

sed ad malos plerumque fines, atque adeo magis noxiæ illæ sunt, quam ipsa vitia, quemadmodum in *a* Sejano notavit Tacitus. *b* *Extrema est perversitas, cum prorsus justitiâ vaces, ad id niti, ut vir bonus esse videaris.* Labi in apertum scelus, imbecillitas quædam est; virtutes simulare, mera malitia. Vitia alia facilius ferunt homines; at hypocrisin abominantur omnes: nam illis nosmetipsos solum decipimus, hac vero etiam alios. Quid? quod actiones etiam bonæ contemni solent, si ab arte, non à virtute ortum ducant. Multa faciebat Vitellius, ut gratiam fauoremque populi aucuparetur, sed *c* *quæ grata sane fuissent & popularia, si à virtutibus proficiscerentur, memoria vitæ prioris*, & quia nemo non videbat: ficta ea esse, *indecora & vilia accipiebantur.* Et quæso, cui bono virtutem fingere, si eadem solertia atque industria ad eam rem opus est, atque ad virtutes veras & solidas? si hæ ipsæ ob morum pravitatem vix roboris habent satis ac virium, quia fictæ subsistent & umbratiles? Non Deo coronam, ejusque conservationem acceptam refert, nec præmia eum, aut supplicia credit decernere, quisquis his artibus potius, quam divinæ confidit providentiæ. Si vitia Principis ab imbecillitate, non ab affectatione essent, facilius secreta ea haberi pateret, ne malo exemplo sint; nam ideo ea occultare, hypocrisis censeri non debet, aut malitia ad fallendos aliorum animos; sed prudentia potius naturalis & honor virtuti debitus. Nullum frænum illi restat potentiæ, quæ tyrannides suas non velo aliquo obtegit. Nunquam Senatores *d* Tiberium timuerunt magis quam cum absque dissimulatione eum conspicerent. Et tametsi de Pisone scribat Tacitus, quod *d* *claro apud vulgum rumore erat, per virtutem, aut species virtutibus similes*: hoc tamen non sic intelligendum, quasi perinde sit in Principe, seu veris virtutibus polleat, seu eas simulet; sed quia populus nonnunquam judicio fallitur, & hypocrisin pro virtute habet. Quanto igitur firmior constantiorque Pisonis fama, si virtuti sinceræ & solidæ ea fuisset innixa.

5. Eadem nascentur incommoda, si Princeps veras virtutes habeat quidem; sed quas ipse pro temporis occasionum varietate facile mutet: virtus enim esse nequit, quæ non est habitus firmus & constans, aut in eo inest animo, cui religio non est, in vitium illam convertere, aut ad improborum sese partes adjungere, modò

a *Haud minus noxiæ, quoties parando regno finguntur.* idem lib. 4. Annal.

b Plat.

c Tac. lib. 2. hist.

d *Penetrabat pavor & admiratio, callidum olim, & tegendis sceleribus obscurum, huc confidentiæ venisse, ut tanquam dimotis parietibus ostenderet Nepotem sub verberibus centurionis, inter servorum ictus, extrema vitæ alimenta frustra orantem.* Tacit. lib. 6. Annal.

e Idem lib. 15. Annal.

modò aliqua utilitatis spes inde affulserit. Et amabo te, quomodo istud unquam Principi expediet? a *Ca el Rey contra los malos, quanto en su mandad esto vieren* (verba sunt Alphonsi Regis, in ejusdem legibus) *siempre les debe haver mala voluntad, porque si de esta guisa non lo fizi esse, non podria fazer cumplidamente justicia, nin tener su tierra en paz, nin monstrarse por bueno.* Et quis casus exigere illud poterit his nostris præsertim sæculis, cùm dominatus & imperia certis constituta sunt legibus, neque jam amplius dependent (uti Romanorum Imperatorum fiebat temporibus) ab electione & insolentia militari? Nullum unquam tantum potest esse periculum, quod virtus prudens cavere non queat, absque eo quod Princeps à sceleribus sibi paret subsidium. Si quando Princeps aliquis virtutibus illustris pessum iit, non eo accidit, quod bonus esset, sed quod bonus esse haud satis didicerit. Non tenetur Princeps justitiæ amans confestim & imprudenter sese sceleribus opponere, ubi nullum pollicetur fructum, aut certe evidenter periculosa videtur isthæc diligentia: quin immo magnæ prudentiæ est b permittere, quod contra nitendo impedire non potes. Dissimulet vitiorum notitiam, quoad cum tempore remedium parari possit; bonos interim præmiis erigat, coërceat pœnis malos, aliisque utatur mediis, quæ prudentia suggerit. Quod si ea non sufficiant, Successori illud relinquat; uti fecit Tiberius, cum perspiceret c temporis sui mores corrigi à se, & emendari non posse. Etenim si Princeps metu aliquo ad improborum mores & vitam male agendo sese vellet conformare, nec hos reduceret in viam, atque una bonos perderet, adeoque in utrisque malitiæ fieret accessio. Virtus in Principe nihil creare solet periculi; creat tamen zelus & rigor, si absque prudentia sint. Non abominantur Principem scelerati, quod probus & frugi sit, sed quia per nimiam ejus severitatem improbis iis esse non licet. Nemo non Principem justum desiderat. Quin mali etiam hoc tali opus habent, ut justitiæ locus sit, qua non ab aliis solum, sed & à se invicem securi degant. Seneca eo intendebat, cum ut Neronem ab incestuosa cum Matre consuetudine abduceret, eidem comminaretur, d *pervulgatum esse incestum gloriante matre, nec toleraturos milites profani Principis Imperium.* Adeo necessariæ Principi virtutes sunt, ut sine quibusdam ne vitia quidem possint subsistere. e *Nec aliis artibus Sejanus Tiberium devinxit*, quam quod virtutes insigniores improbis facinoribus conjungeret. f *Corpus illis laborum tolerans, animus audax, sui obtegens, in*

a Lib. 5. tit. 5. p. 2.

b *Permittimus, quod nocentes indulgemus, quia pravam hominum voluntatem ad plenum cohibere non possumus.* S. Chrys.

c *Non id tempus censuræ, nec si quid in moribus labaret, defuturum corrigendi auctorem.* Tacit. lib. 2. Annal.

d Tacit. lib. 14. Annal.

e Idem lib. 4. Annal.

f Idem lib. 1. Histor.

privilegium, omnes quippe existimamus, Nepotes Avorum suorum actiones æmulaturos. Qui has superbe jactat, nec imitatur tamen, satis ostendit, quantum inter ipsum & illos discriminis sit. Nemo vitio vertit alteri, quod virtutem illius, cui sanguine junctus non est adæquare non studeat. Idcirco apud Nobiles Romanos olim fumosæ illustriū virorum imagines & statuæ antiquæ locabantur in vestibulis ædiū, ut suas Successoribus obligationes continuo in memoriam reducerent. Boleslaüs Quartus Poloniæ Rex, Patris sui effigiem, in numismate aureo, è collo suspensam circūferebat, & quoties majoris momenti negotium aliquod decernendum occurreret, ori illam admovebat, & venerabunde deosculans solebat dicere: ***Avertat benignissimus Deus ne quid ego indignum regio tuo nomine statuam.*** O quot ejusmodi numismata heroïcorum Patrum & Avorum suppetunt Serenitati Vestræ, quæ nunquam sinent, ut indignum regio eorum sanguine committat aliquid; quin immo animos ei addent potius, & stimulos, ut ad ea, quæ magis gloriosa sunt, omni contentione enitatur.

§. Quod si in omnibus Nobilioribus Viris incensa flagraret illa Majorum æmulatio, primas sane in Republica seu domi seu militiæ mererentur partes: utique enim a *par est meliores esse eos, qui ex melioribus*, in quorum etiam favorem præsumptio est atque experientia: nam,

b *Fortes creantur fortibus, & bonis.*
Est in juvencis, est in equis patrum
Virtus, nec imbellem feroces
Progenerant aquilæ columbam.

Et plerumque magnos in animo suscitat spiritus æstimatio propria, & infamiæ metus. Fateor tamen, fallere nonnunquam hanc regulam, aut quia c Natura, quod voluit efficere non potuit; aut propter malam educationem & deliciarum mollitiem; aut quia ipsæ etiam hominum animæ non æque nobiles omnes sunt ac generosæ, sed pro affectione corporis in quod quasi demerguntur, aliter atque aliter operari solent: & sunt nonnulli, ad quos sola trophæorum, non una virtutis Majorum transisse videtur hæreditas, ita cælo toto ab iis differunt. Exemplum in iisdem aquilis est; quæ licet communiter non nisi aquilas procreent; sunt tamen, qui putent, Struthiones quandam esse earundem speciem, sed plane degenerem, in qua proinde non amplius inest illa cordis generositas, robur illud unguium, & alarum levitas, quæ in aquilis cernitur, cum volucris tam pernix, tamque elegans in animal fœdum ac turpe jam transmutata sit. Credi vix potest, quantum bono publico noceat electio ad Reipublicæ munera, si absque discrimine, & meritorum examine Nobilitas sola præ oculis sit, perinde quasi una cum san-

a Arist.
b Horat.

c *Nam ut ex homine hominem, ex belluis belluam, sic ex bonis bonum generari putant. At hoc quidem Natura sæpe efficere vult, non tamen potest.* Arist. l. 1. Pol. c. 4.

sanguine Avorum quoque experientia & virtus ad omnes semper posteros descenderet. Languescet industria, otiosa erit virtus, si sola nixa Nobilitate debita sibi, & quasi certa reputaverit præmia, neque illam ad recte agendum acuant, aut isthæc amittendi metus, aut spes obtinendi; quibus ipsis argumentis Senatui persuasit Tiberius; ut ne sublevarent inopiam familiæ M. Hortali, quæ cum esset a nobilissima, paupertate pessum ibat. Anteferri recte poterunt aliis Viri sanguine illustriores quod ad suprema pacis officia attinet, in quibus plurimum momenti habet familiæ splendor atque auctoritas: aliud est in officiis militaribus, quæ exercitium aliquod, & robur tum corporis tum animi postulant. Quod si hæc in illis etiam reperirentur, etsi non ea forte cum perfectione, atque in aliis, facile reliquum compensabit Nobilitas, aut antecessorum meritis, aut communi hominum æstimatione; omnem tamen defectum supplere illa nequaquam poterit. Atque eam ob rem merito risit Tacitus electionem Vitellii, cum ad gubernandas Germaniæ inferioris legiones mitteretur, nulla habita ratione, quod ad id muneris minus esset idoneus: b *quod Censoris Vitellii ac ter Consulis filius, id satis videbatur*. Non ita Tiberius sub prima imperii sui initia, sed c *mandabat honores, nobilitatem Majorum, claritudinem militiæ, illustres domi artes spectando, ut satis constaret, non alios potiores fuisse*.

§. Multum fateor, in bello potest auctoritas sanguinis; non illa tamen hostem fundit; sed fortitudo atque industria. Germani olim d *Reges ex Nobilitate, Duces ex virtute sumebant*. Tunc arma efflorescunt, cum virtus & animi robur præ aliis omnibus in pretio sunt & honoratiora in bello occupant munera, quibus Nobilitatem aut adipisci primum, aut jam adeptam augere porro, magisque illustrare valeant. Spes illa magnos orbi heroas dedit, & insignes duces præteritis sæculis; ubi vero ea defuerit, contemnitur militia: sola enim munerum militarium gloria belli incommoda & pericula solari potest. Nec illud certum omnino, quod quidam autumant, illustriorem scilicet sanguinem majori in veneratione esse, aut eidem obediri promptius: nisi enim virtutis accedant ornamenta, prudentiæ præsertim & fortitudinis, omnis submissio exhibita sanguini, exterior solum cultus erit, non ab interiori profectus animo. Virtutem & excelsitatem mentis, quæ sibi ipsæ fortunam fabricantur, illas suspicit animus & admiratur. Oceano Magno Columbus leges posuit; & Orbi novo Hermannus Cortesius, qui licet illustribus natalibus orti non fuerint, suis tamen Successoribus Nobilitatem pepererunt, ut maximis Viris

 pares

a *Languescet alioqui industria, intendetur socordia, si nullus ex se metus, aut spes, & securi omnes aliena subsidia expectabunt, sibi ignavi, nobis graves.* Tac. l. 2. Annal.

b Tac. l. 1. hist.

c Idem l. 4. Ann.

d Idem de mor. Ger.

pares esse possent. Celebriores fluvii à tenuioribus fere rivulis originem ducunt atque initium, haud longo tamen post intervallo à suomet alveo nomen sortiuntur & gloriam.

§. Equidem in bello, ubi virtus & fortitudo magis æstimantur, expediet ad altiores honorum gradus evehere eos, qui rebus præclare gestis id fuerint promeriti, etsi forte splendor Nobilitatis defuerit; pacis tamen tempore,[a] *si Rempublicam gnaris, & non magni pretii hominibus committat Princeps, statim & Nobilium, ac strenuorum iram in se provocabit, ob contemptam eorum fidem, & maximis in rebus damna patietur.* Quod tum potissimum accidit, cum Subditus rarioribus à natura donis instructus est, non vero cum inclaruit jam apud populum, & ore omnium celebratur, adeoque ipsa Natalium obscuritas à præstantia & dotibus animi satis illustrata est. Multos videmus, qui[b] *ex se videntur nati*; uti de Curtio Ruffo dicere solebat Tiberius. In hos tales optimè convenit illa laus bonæ electionis Ministrorum apud Claudianum:

-- *Lectos ex omnibus oris*
Evehit, & meritum nunquam cunabula quærit,
Et qualis, non unde satus.

§. Quod si Nobilitas aut otio aut deliciis corrupta fuerit, suadendum potius, ut exercitio & præmiis illa instauretur, quam alia condatur plane nova. Argentum & aurum facillime expurgantur; ex argento tamen aurum conficere, immensi laboris est, & in quo frustra desudet Alchimistarum ars atque industria. Quare pessimum fuit consilium, quod Regi Henrico Quarto aliquando à nonnullis datum fuit, ut opprimeret scilicet potentiores regni sui proceres, aliosque è mediocri fortuna ad altiorem eveheret. Etsi libertas & inobedientia Nobiliorum exigere interdum videntur, ut aliquantum deprimantur: magna enim prae aliis eminentia superbiam gignit, neque Superiorem ferre sustinet. c *Nobilitas, cui in pace durius servitium est.* d *Imbecilliores semper æquum & justum quærunt, potentioribus autem id nihil est curæ*; & tunc quietiores fere sunt subditi, cum deest potentia, quæ eos tueatur & novitates e eorum foveat. Ea de caussa non permittunt Castellæ leges, ut duæ amplæ & potentes f familiæ coalescant in unam; tum ideo etiam, ut bona magis divisa maneant, nec apud alios zelum & invidiam excitent. Artes certe non deessent, quæ sub specie honoris aut gratiæ singularis moderari possent divitiarum copiam, quærendo opportunitatem eas in obsequium Principis & boni publici impendendi. Attamen sumptuum vanitas eo progressa jam est, ut iis artificiis opus non sit: potentissimi enim quique maximis onerantur debitis, & necessitatibus premuntur, ut media amplius non

a Dion. Cass.
b Tacit. lib. 11. Annal.

c Tacit. lib. 11. Annal.
d Arist. lib. 6. Polit. c. 2.
e *Nihil ausuram plebem Principibus amotis.* Tacit. lib. 1. Ann.
f *Commodum est etiam, ut hæreditates non donatione, sed jure agnationis tradantur, atque ad eundem una, non plures hæreditates proveniant.* Arist. lib. 5. Polit. c. 8.

non suppetant, quibus tam sublimia cogitata exequi possint, aut molitiones novas machinari. Dum quidem plus esse cupiunt, quam possunt, minus etiam, quam sunt, fieri incipiunt. a Certe *dites familiæ Nobilium, aut claritudine insignes, studio magnificentiæ prolabi* solent. Cæterum etsi divitiæ nimiæ periculosæ sint, idem tamen in extrema etiam inopia locum habet: nam b *cum ex primariis aliqui bona dissiparunt, hi res novas moliuntur.*

a Tac. l. 3. Annal.

b Arist. l. 6. Polit. c. 12.

SYMBOLUM XVIII.

MVltis Imperium virtus contulit, paucis malitia: in his sceptrum usurpatio fuit violenta, & plena periculi, in illis titulus justus, & constans possessio. Occulta quadam pulchritudinis suæ vi ad sui amorem & cultum virtus allicit. Elementa cœlorum parent imperio, ob perfectionem eorundem & præstantiam; homines quoque non nisi eum qui justitia, cæterisque virtutibus præstat aliis, suprema potestate & dominatu dignum reputant. Ea de caussa Cyrus c *non censebat convenire cuiquam Imperium, qui non melior esset iis, quibus imperaret.* Subditi magis observant, & reverentur Principem, in quo insigniores animi dotes inesse conspiciunt. Quanto hæ fuerint majores, tanto major auctoritas erit atque æstimatio: omnes enim existimant, Deum Principi tali magis esse propitium, & cura peculiari adesse in omnibus, ejusque gubernationem dirigere. Hoc ipsum est, quod toto orbe Iosue nomen d fecit inclarescere. Boni Principis actiones omnes & consilia cum plausu accipit populus, & pia quadam cum fiducia prosperos eorum successus sibi pollicetur; quod si evenerit aliter, plane sibi persuadet, ob fines quosdam altiores & incognitos ita magis conducere. Eandem ob caussam apud Nationes quasdam Reges e summi Sacerdotes erant, ut dum populus cæremonias sacras, & cultum divinum ab iis acciperet, agnosceret in iisdem naturam quandam sublimiorem, magisque propinquam ac familiarem ipsi Deo, qua tanquam mediatrice in precibus suis uti posset, & contra quam nihil temere attentare f præsumeret. Corona Aaronis super mitram g attollebat oculos, & desideria omnium. Iacob venerabatur Iosephi h sceptrum, cujus apicem Ciconia insidebat, pietatis & religionis Symbolum.

c Xenoph. l. 8. Pædag.

d *Fuit ergo Dominus cum Iosue, & nomen ejus divulgatum est in omni terra.* Ios. c. 6. 21.

e *Rex enim Dux erat in bello, & judex, & in iis quæ ad cultum Deorum pertinuerunt, summam potestatem habebat.* Arist. l. 3. Pol. c. 11.

f *Minusque insidiantur eis, qui Deos auxiliares habent.* Arist. Polit.

g *Corona aurea super mitram ejus, expressa signo sanctitatis, & gloria honoris, & opus virtutis, & desideria oculorum ornata.* Eccl. 45. 14.

h *Et adoravit fastigium virgæ ejus,* Paul. Ep. ad Heb. c. 11. 21.



5. Nemo exiſtimet, male perdi tempus illud, quod Princeps in virtutum ponit exercitio, immo Deus interim vel maxime rerum eventus moderatur ac dirigit. Sanctiſſimo Sacrificio piè intererat Ferdinandus Antolineſius, dum ad Durium amnem Comes Garſias Fernandeſius cum Mauris decerneret prælio, & ecce Angelus aliquis os habituque illi ſimilis, vicem ejus tantiſper in pugna obiit, quo factum, ut infamiam ipſe non effugeret ſolum, ſed & potiſſimam victoriæ laudem & gloriam indipiſceretur. Simile quippiam refertur de glorioſiſſimo Archiſtratego Comite Tillio, Ioſue vere Chriſtiano, non minus ſancto, quam forti ac belli-

bellicoso, ab alio aliquo personam ejus referente, instructam fuisse aciem, dum ipse Sacerdoti ad aram facienti pro more dabat operam. Ferdinando Secundo Imperatori sub ipsis officiis divinis plura oblata fuêre vexilla, victoriæ insignia & monimenta, quam multi ex Antecessoribus hosti eripuerint. Otiosus stabat Israëliticus *a* populus, & mira Deus in favorem illius factitabat. Æternum lucebit Corona, quæ sicut illa *b* Ariadnæ fulgentissimis virtutum stellis radiaverit. Septimius Imperator filiis suis dixit moriens: *firmum sese iis derelinquere Imperium, si boni essent; lapsurum brevi, si mali.* Ferdinandus Rex, qui à virtutibus suis magnis Magni cognomentum invenit, mirè iisdem regni sui gloriam auxit, & Successoribus stabilivit. Tanta is erat pietate, ut cum corpus S. Isidori Hispali Legionem transferretur, ipse & filii ejus suos oneri subjicerent humeros, & sacras reliquias à fluvio Durio usque ad ipsum urbis templum *c* D. Ioanni sacrum nudis pedibus prósequerentur. Etenim cum Deus sit, *d per quem Reges regnant*, & à quo omnis eorum potestas & felicitas dependet, falli nunquam poterunt, si ad ipsum suos identidem reflectant oculos.

a *Nolite timere: state, & videte magnalia Domini, quæ facturus est hodie.* Exod. 14. 13. *Dominus enim Deus Israël pugnavit pro eo.* Iof. 10. 42.

b *Neque declinet in partem dexteram, vel sinistram, ut longo tempore regnet ipse, & filii ejus.* Deut. 17. 20.

c Mar. hist. Hisp.

d Prov. 3. 15.

Lunam Solis radii non destituunt; ea siquidem minime ignara omnem sese à Sole lucem accipere, continuo eum respicit, ut ab eodem illuminetur; quod Principibus sic imitandum ut oculos semper fixos habeant in æterno illo Luminari, quod lucem & motum impertit orbibus, & à quo augmenta sua & decrementa sumunt Imperia, prout in Emblemate præsenti per sceptrum innuitur, in cujus vertice Luna visitur respectans Solem, proprium Dei Symbolum; tum quia nulla alia res ad ejusdem omnipotentiam accedit propius, tum etiam quia solus ille lucem & vigorem rebus omnibus tribuit:

> *e* *Quem, quia respicit omnia solus,*
> *Verum possis dicere Solem.*

Non est enim potestas, nisi à Deo. *f* Prius in æterna ejus mente, quam hic in terris, Reges coronis redimiri solent. Qui cælestes orbes primo mobili circumdedit, idem illud regnis etiam & Rebuspublicis impertit. Qui Regem constituit apibus, non solius fortunæ reliquit arbitrio, aut electioni humanæ has caussas inferiores Principum, qui in regimine hoc terrestri vicem ejus sustinent, aut illi quam simillimi *g* sunt, adumbrati in Apocalypsi per septem illos Planetas, quos Deus *h* in manu sua habebat. In illos

E 7 vibrat

e Boëtius.

f Roman. 13. 1.

g *Principes quidem instar Deorum esse.* Tacit. lib. 3. Annal.

h *Et habebat in dextera sua stellas septem.* Apoc. 1. 16.

vibrat divinos suos radios, qui reflexi deinde supremum jus atque auctoritatem in subditos iis tribuunt. Sine splendore illo ac luce cœca quodammodo est potestas omnis, quantumvis ampla. Si Princeps, spreta illa luce, in aliam apparentem boni forte alicujus, quod commoditas illi propria, non recta ratio offert, intenderit oculos, mox potentiæ suæ orbem deficere videbit, & obscurari. Quicquid Solem præsentem fugit, tenebris involvatur necesse est. Luna etsi subinde luce se videat destitui, non tamen ideo sese à Sole avertit, quin potius longe jam alacrior, graciliorque continuo eundem respicit, donec luce illius denuo compleatur. Fixum ergo firmumque sceptrum suum Princeps teneat, oculos semper conjiciendo in virtutem, in omni fortuna, seu prospera, seu adversa: nam idem ille divinus Sol, qui aut ad castigandum, aut ad cumulanda merita, aliquod ejus decrementum permisit, in constantiæ præmium non omnem suam lucem subtrahet, sed amplitudinem ejus augebit iterum, & crescere faciet. Ita Ferdinando II. Imperatori usu venit: quippe qui non raro Fortunam tam adversam habuit, ut de imperio pariter & vita desperare posse videretur. Verum, qua erat animi constantia, numquam spem omnem abs se abiecit, neque avertit oculos suos à Sole illo increato, rerum omnium effectore ac moderatore, cujus providentia divina periculis eum etipuit, & longe etiam altius supra omnes suos hostes extulit. Virga Moysis, quæ sceptri erat Symbolum, miros edebat effectus, quoad illam cœlum versus erectam manu sua tenebat; at simul ac illam abjiciebat in terram, in venenatos serpentes, ipsimet *a* Moysi formidandos conversa fuit. Dum sceptrum instar scalæ Iacobeæ summitate cœlum tangit, sustentat illud Deus, & Angeli descendunt *b* subsidio. Nec Ægyptiis ignotum hoc fuit, qui ideo in supremo sceptrorum apice caput ciconiæ, avis religiosæ, ac piæ in parentes, solebant effingere; in inferiori vero parte pedem Hippotami, animalis impii & ingrati erga suum patrem, cujus vitæ struit insidias, ut tanto liberius propriæ suæ matris frui possit amoribus: quo hieroglyphico nihil illi innuere volebant aliud, quam quod Principes pietatem semper impietati anteferre debeant. Atque hoc eodem Symbolo Machiavellus, suum quoque Principem instructum vellet, sed alio plane fine: in uno enim sceptri extremo pietatem, in altero impietatem collocatam cuperet, ut pro libitu illud vertere posset, eamque partem sursum erigere, quæ ad conservationem & incremen-

a *Projecit, & versa est in colubram ita ut fugeret Moyses.* Exod. 4. 3.

b *Vidit in somnis scalam stantem super terram, & cacumen illius tangens cœlum: Angelos quoque Dei ascendentes & descendentes per eam: & Dominum innixum scalæ.* Gen. 28. 12.

mentum Statuum magis conduceret. In quem finem putat ille, virtutes Principi necessarias non esse, sed sufficere, si eas habere se simulet: etenim si veræ illæ essent ac solidæ, & si ex præscripto earundem agere is semper vellet, ait pernitiosas illi fore; contra vero profuturas quam plurimum, si putetur saltem, quod iis præditus sit: hac enim ratione ita eum fore dispositum, ut pro re nata immutare eas sciat & possit, adeoque sic in rebus omnibus agere, prout expedire judicaverit, & tulerit occasio. Atque hoc ipsum cumprimis necessarium esse ait in iis Principibus, qui noviter ad Reipublicæ gubernacula accesserunt, quos paratos semper & expeditos esse oportet ad utendum velis, prout Fortunæ venti spiraverint, & postularit necessitas. Impium prorsus, & imprudens consilium, quod virtutes suadet non genuinas, sed confictas solum & putatitias. Quomodo enim fieri poterit, ut idem umbra præstet, quod veritas? quænam ars, quæve industria crystalli naturam sic perficiet, ut claritate sua ac luce adamantem exæquet? ecquis non illico, ad primum aspectum & explorationem, rei agnoscet vanitatem, & ridere incipiet? a *Vera gloria radices agit, atque etiam propagatur: ficta omnia celeriter tanquam flosculi decidunt, neque simulatum quicquam potest esse diuturnum.* Nulla tanta est astutia, quæ naturam aliquam malam vestire sic possit, ut usquequaque bona appareat. Nam si in ipsis veris virtutibus, tam naturæ nostræ & inclinationi, accedente præsertim habitu, conformibus tam facile deficimus, quid in fictis & putatitiis fiet? quomodo Subditi, si artes & fraudes istas perspexerint, ferre poterunt fœtorem illum, è discooperto jam vitiorum sepulchro, tam detestabili, absque omni virtutum ornamento? quomodo ab interno illo vulnere avertere poterunt oculos, si detracto jam b velo, sub quo delitescebat, palam sese illud conspectui offerat? unde porro fiet, ut Princeps suis domi contemptui futurus sit, & ludibrio; extraneis vero suspectus in omnibus. Vtrisque certe odio erit, nemini enim ab illo licebit securo vivere. Nulla alia res magis formidandam reddit principis tyrannidem, quam si virtutes ipse fingat: ex eo enim deinde majora plerumque pullulant vitia, quomodo multi c Othonem metuebant, cum ambiret Imperium. Malam Principis naturam, si cognita sit, declinare facile quis potest, virtutes falsas & simulatas non item. In apertis vitiis fragilitati locus est; fictis virtutibus dolus & fraus commisceri solent; neque hoc fortuito solum & casu; sed

a Cic. lib. 2. de Off. c. 32.

b *Quasi pannus menstruatæ universa Iustitia nostra.* Is. 64. 6.

c *Otho interim, contra spem omnium, non deliciis, neque desidia torpescere, dilata voluptate, dissimulata luxuria, & cuncta ad decorem imperii composita. Eoque plus formidinis afferebant falsæ virtutes, & vitia reditura.* Tacit. lib. 1. Hist.

sed ad malos plerumque fines, atque adeo magis noxiæ illæ sunt, quam ipsa vitia, quemadmodum in *a* Sejano notavit Tacitus. b *Extrema est perversitas, cum prorsus justitiâ vaces, ad id niti, ut vir bonus esse videaris.* Labi in apertum scelus, imbecillitas quædam est; virtutes simulare, mera malitia. Vitia alia facilius ferunt homines; at hypocrisin abominantur omnes: nam illis nosmetipsos solum decipimus, hac vero etiam alios. Quid? quod actiones etiam bonæ contemni solent, si ab arte, non à virtute ortum ducant. Multa faciebat Vitellius, ut gratiam fauoremque populi aucuparetur, sed c *quæ grata sane fuissent & popularia, si à virtutibus proficiscerentur, memoria vitæ prioris*, & quia nemo non videbat: ficta ea esse, *indecora & vilia accipiebantur.* Et quæso, cui bono virtutem fingere, si eadem solertia atque industria ad eam rem opus est, atque ad virtutes veras & solidas? si hæ ipsæ ob morum pravitatem vix roboris habent satis ac virium, quia fictæ subsistent & umbratiles? Non Deo coronam, ejusque conservationem acceptam refert, nec præmia eum, aut supplicia credit decernere, quisquis his artibus potius, quam divinæ confidit providentiæ. Si vitia Principis ab imbecillitate, non ab affectatione essent, facilius secreta ea haberi paterer, ne malo exemplo sint; nam ideo ea occultare, hypocrisis censeri non debet, aut malitia ad fallendos aliorum animos; sed prudentia potius naturalis & honor virtuti debitus. Nullum frænum illi restat potentiæ, quæ tyrannides suas non velo aliquo obtegit. Nunquam Senatores *d* Tiberium timuerunt magis quam cum absque dissimulatione eum conspicerent. Et tametsi de Pisone scribat Tacitus, quod d *claro apud vulgum rumore erat, per virtutem, aut species virtutibus similes:* hoc tamen non sic intelligendum, quasi perinde sit in Principe, seu veris virtutibus polleat, seu eas simulet; sed quia populus nonnunquam judicio fallitur, & hypocrisin pro virtute habet. Quanto igitur firmior constantiorque Pisonis fama, si virtuti sinceræ & solidæ ea fuisset innixa.

§. Eadem nascentur incommoda, si Princeps veras virtutes habeat quidem; sed quas ipse pro temporis occasionum varietate facile mutet: virtus enim esse nequit, quæ non est habitus firmus & constans, aut in eo inest animo, cui religio non est, in vitium illam convertere, aut ad improborum sese partes adjungere, modò

a *Haud minus noxiæ, quoties parando regno finguntur.* idem lib. 4. Annal.

b Plat.

c Tac. lib. 2. hist.

d *Penetrabat pavor & admiratio, callidum olim, & tegendis sceleribus obscurum, huc confidentiæ venisse, ut tanquam dimotis parietibus ostenderet Nepotem sub verberibus centurionis, inter servorum ictus, extrema vitæ alimenta frustra orantem.* Tacit. lib. 6. Annal.

e Idem lib. 15. Annal.

modò aliqua utilitatis spes inde affulserit. Et amabo te, quomodo istud unquam Principi expediet? a *Ca el Rey contra los malos, quanto en su mandad esto vieren* (verba sunt Alphonsi Regis, in ejusdem legibus) *siempre les debe haver mala voluntad, porque si de esta guisa non lo fizi esse, non podria fazer cumplidamente justicia, nin tener su tierra en paz, nin monstrarse por bueno.* Et quis casus exigere illud poterit his nostris præsertim sæculis, cùm dominatus & imperia certis constituta sunt legibus, neque jam amplius dependent (uti Romanorum Imperatorum fiebat temporibus) ab electione & insolentia militari? Nullum unquam tantum potest esse periculum, quod virtus prudens cavere non queat, absque eo quod Princeps à sceleribus sibi paret subsidium. Si quando Princeps aliquis virtutibus illustris pessum iit, non eo accidit, quod bonus esset, sed quod bonus esse haud satis didicerit. Non tenetur Princeps justitiæ amans confestim & imprudenter sese sceleribus opponere, ubi nullum pollicetur fructum, aut certe evidenter periculosa videtur isthæc diligentia: quin immo magnæ prudentiæ est *b* permittere, quod contra nitendo impedire non potes. Dissimulet vitiorum notitiam, quoad cum tempore remedium parari possit; bonos interim præmiis erigat, coërceat pœnis malos, aliisque utatur mediis, quæ prudentia suggerit. Quod si ea non sufficiant, Successori illud relinquat; uti fecit Tiberius, cum perspiceret *c* temporis sui mores corrigi à se, & emendari non posse. Etenim si Princeps metu aliquo ad improborum mores & vitam male agendo sese vellet conformare, nec hos reduceret in viam, atque una bonos perderet, adeoque in utrisque malitiæ fieret accessio. Virtus in Principe nihil creare solet periculi; creat tamen zelus & rigor, si absque prudentia sint. Non abominantur Principem scelerati, quod probus & frugi sit, sed quia per nimiam ejus severitatem improbis iis esse non licet. Nemo non Principem justum desiderat. Quin mali etiam hoc tali opus habent, ut justitiæ locus sit, qua non ab aliis solum, sed & à se invicem securi degant. Seneca eo intendebat, cum ut Neronem ab incestuosa cum Matre consuetudine abduceret, eidem comminaretur, d *pervulgatum esse incestum gloriante matre, nec toleraturos milites profani Principis Imperium.* Adeo necessariæ Principi virtutes sunt, ut sine quibusdam ne vitia quidem possint subsistere. e *Nec aliis artibus Sejanus Tiberium devinxit*, quam quod virtutes insigniores improbis facinoribus conjungeret. f *Corpus illis laborum tolerans, animus audax, sui obtegens, in*

a Lib. 5. tit. 5. p. 2.

b *Permittimus, quod notentes indulgemus, quia pravam hominum voluntatem ad plenum cohibere non possumus.* S. Chrys.

c *Non id tempus censuræ, nec si quid in moribus labaret, defuturum corrigendi auctorem.* Tacit. lib. 2. Annal.

d Tacit. lib. 14. Annal.

e Idem lib. 4. Annal.

f Idem lib. 1. Histor.

in alios criminatur, juxta adulatio, & superbia, palam compositus pudor, intus summa adipiscendi libido, ejusque causa, modo largitio, & luxus, sæpius industria, ac vigilantia. Similem virtutum & vitiorum commixtionem in Lucinio Muciano videre licuit. Eadem quoque de causa *ambigua de Vespasiano fama erat*: nam & vitia notari in eo, & collaudari virtutes poterant. Illud certum, multo securiorem futuram fuisse Sejani apud Tiberium gratiam; Vespasianum item & Mucianum in longe perfectiores evasuros fuisse Principes, *si a* demptis eorum vitiis, solæ virtutes remansissent. Si vitia prosint Principi ad dignoscendos à bonis improbos satis erit, quod notitiam eorum aliquam, non vero usum aut consuetudinem habeat. Polleat itaque virtutibus, sed juxta circumspectus sit, ac prudens, ut nulla fraus esse possit aut dolus, qui eum fugiat, nulla malitia, quam ipse non penitus perspiciat, singulorum hominum mores, agendique modum ita penetrando, ut absque deceptionis periculo iis imperet. Atque in hoc sensu admitti posset eorum sententia, *b* qui *eo munitiores Reges censent, quo illis, quibus imperitant, nequiores fuêre.* Ista enim nequitia quod ad cognitionem malitiæ attinet, valde expedit, ut castigare scelera, & simul etiam humanæ fragilitatis aliquam habere rationem recte quis noverit. Dura nimium est, & periculosa pro regimine severa virtus absque ista notitia. Ex quo porro fit, ut magis conveniant Principi virtutes heroicæ imperii propriæ, non illæ monasticæ, & solitariæ, quæ meticulosum illum reddunt, tardum ac difficilem in statuendo, ab humana conversatione alienum, magisque attentum ad perfectionem suam privatam & propriam, quam ad gubernationem communem & publicam. Maxima virtutis perfectio in eo posita est, ut satisfaciat obligarionibus principis, quibus à Deo obstrictus fuit.

§. Nec voluit solum Machiavellus, ut Princeps temporibus certis virtutes fingeret; sed Politicam etiam ipsi malitiæ superstruere conatus est, commonstrando quomodo hujus beneficio ad supremum gradum illa posset evehi, & diserte asserendo, ideo pessum ire homines, quod mali esse nescirent, perinde quasi certa ea de re haberi posset scientia. Doctrina hæc non paucos Principes Tyrannos effecit, & egit præcipites. Non ita est, non ideo pereunt homines, quod mali esse ignorent; sed quia flagitia ipsa tueri sese in longum nequeunt: nulla enim tam astuta, & prudens est malitia, quæ satis cavere sibi possit, quin suismet artibus tandem irretiatur. Quæ scientia erudire satis poterit, ut judicium in delictis servet integrum & incorruptum, quem suorummet maleficiorum conscientia stimulat, quæ etsi in nobis sit, sine nobis tamen operatur, impulsa vi quadam interiore divina; cum

a *Egregium Principatus temperamentum, si demptis utriusque vitiis, sola virtutes miscerentur.* Idem lib. 2. Hist.

b Salust.

cum arbitra sit, & carnifex actionum nostratum, cujus tyrannidem Nero quondam expertus fuit, postquam Matrem tolli jussisset è medio: nam a *sceleris demum intellecta magnitudine, reliquo noctis, modo per silentium defixus, sæpius pavore exurgens, & mentis inops lucem operiebatur, tanquam exitium allaturam.* Hæret nonnunquam animus maxime generosus, & consilio destituitur ad scelerum conspectum. Ita Sejano evenit, cum Tiberii familiam cogitaret extinguere: nam b *magnitudo facinoris metum, prolationes, diversa interdum consilia adferebat.* c *Apprehendit*, nimirum Deus, *sapientes in astutia eorum, & consilium pravorum dissipat.* Vitium ignorantia est, prudentiæ opposita; violentia est, quæ suam ipsius ruinam molitur assidue. Periculosa fabrica est, quæ mox in illius cervicem corruit, à quo constructa fuit. Nullum tantum est judicium, quod sufficiat ad tyrannides minores aliis majoribus corrigendas: & quousque moles ista assurget, ut homines ferendo sint? Illud ipsum exemplum Ioannis Pagoli Tyranni Perusiæ, quo Machiavellus utitur ad stabiliendam suam doctrinam, abunde satis edocere potuisset, quam periculi plenum sit, per istiusmodi incedere præcipitia, cum elusa tandem ejus malitia, procurata etiam morte Iulii Secundi Pontificis, ad exitum perduci nequaquam potuerit. Idem quoque Duci Valentino accidit, quem velut Ideam aliis proponit Principibus: is enim, ut ab obitu Papæ Alexandri Sexti rebus suis securius prospiceret, Cardinalibus factionis contrariæ venenum propinavit; sed permutatis per errorem lagenis, ipse & Alexander venenum hauserunt, quo Pontifex extinctus est subito; Valentinus vero ita correptus, ut ob corporis imbecillitatem electioni interesse non potuerit (quem casum tanta illius astutia non præverterat:) quo porro factum, ut quem ipse vellet, Pontifex minime fieret, atque una perderet fere omnia, quæ in Romania violenter occuparat. Non finit utique providentia divina, ut Tyrannorum artes suis multum prosint d auctoribus. Habet hoc sola virtus, ut Deum cœptis nostris propitium reddat, non malitia. Si quando Tyrannus aliquis in usurpatione violenta diutius perstitit, id à magna aliqua profectum fuit virtute, aut excellentia naturali, quæ vitia occuluit, & voluntatum studia ei paravit apud subditos; malitia tamen istud tyrannicis ascribit artificiis, & ex istiusmodi exemplis impias quasdam & erroneas maximas Status eruit, quibus præcipitantur Principes, & ruunt imperia. Preterquam, quod non omnes imperent, qui sceptrum in manu gestant, aut coronam in capite, eo quod justitia divina, relicto iis regno, imperium tamen iisdem eripiat, permittendo, ut è Dominis mancipia fiant passionum suarum ac Ministro-

a Tac. l. 14. Annal.
b idem l. 4. Annal. c Iob 5. 13.

d *Qui dissipat cogitationes malignorum, ne possint implere manus eorum, quod cœperant.* Iob 5. 12.

ɔrum, atque ab eventi- ; minus prosperis, & sedi- nibus opprimantur. Quo- ɪdo in Saüle completum :, quod Samuel illi dixerat; ı mansurum scilicet eum gem, in pœnam, quod Deo fuisset *a* inobediens: tametsi enim Rex viveret, & moreretur, ex eo tamen tempore regnum ipsius mera fuit servitus.

a *Pro eo, quod abjecisti sermonem Domini, abjecit te Dominus, ne sis Rex.* 1 Reg. 15. 23.

SYMBOLVM XIX.



N ludis Vulcani & Promethei diversi certis constituti locis in hunc sese modum exercebant: prodibat primus accensam

censam facem manu præferens, quam deinde porrigebat secundo, tum iste tertio, & sic deinceps de manu in manum. Vnde natum proverbium: *Cursu lampada trado*; de iis dici solitum quæ tanquam per successionem ab uno ad alios transeunt, quo sensu Lucretius cecinit:

Et quasi cursores vitai lampada trado.

Quod à Platone mutuatus cum suadendo hominibus naturæ propagationem, eam necessariam esse ait: a *ut vitam, quam ipsi à majoribus accepissent, vicissim quasi tadam ardentem, posteris tradant*. Ecquid aliud est sceptrum regium, quam ejusmodi facula: quæ ab uno Successore transit ad alium? Quid ergo majestas sibi sumit in hac sua eminentia tam brevi, & ad solum usum concessa? Multa Principi cum hominibus aliis communia sunt, una sola res eaque accidentalis eundem differre facit. Et propter illa quidem animum non demittit; ob hoc tamen solum & unicum superbe sese effert supra alios. Meminerit, hominem esse se, & hominibus imperare. Perpendat diligenter, se amplissimum hoc Mundi theatrum subire, ut Principis personam sustineat; decedenti vero de vita alium deinde cum eadem successurum purpura, quam ipse deposuerit; de utroque demum solam hanc superfuturam memoriam, quod fuerint. Illud denique sciat, ne hanc quidem purpuram, qua amicitur, suam esse, sed Reipublicæ, quæ non nisi usum ei indulget, ut capitis tantisper fungatur officio, & boni publici conservationi, incremento & prosperitati consulat, ut alibi expendimus.

§. Vbi igitur in vitæ hujus stadio decurrere semel Princeps cœperit, tæda ardente sui Status instructus, non id solum agat, ut cursum istum producat longius: jam enim terminum præfinitum habet, quem transgredi non licebit; & quis novit, num forte ab eo jam absit proxime, cum illa cuique etiam levissimo vento sit exposita. b Tegula una eam Regi Henrico I extorsit è manibus, nondum nato annos quatuordecim: unus item ex equo lapsus, inter ipsa nuptiarum tripudia, Principem Ioannem Regum Catholicorum filium prohibuit, quo minus eam prehendere potuerit.

§. Ponderet præterea Princeps habilitatem suæ manus: occasionem & jus, ne plures temere faces suscipere audeat, quam aut successio, aut electio legitima illi concesserint. Si considerasset istud cum animo suo Fridericus Comes Palatinus, nunquam Electorali dignitate, nunquam provinciis suis ac honoribus tam infeliciter excidisset, propter ambitionem Coronæ Bohemicæ. Et sane longe melius suum confecisset curriculum Rex Carolus Neapolitanus si regni sui contentus face, non in Hungariam etiam manum adjicere attentasset, ubi idcirco veneno interiit.

§. Nemini alteri eam facile committat Princeps, neque sinat, ut quis alius manum ei admoveat, cum autoritate nimia.

a Plato.

b Mar. hist. Hisp. l. 12. c. 6.

mia. Imperium enim societatem non patitur; *a* suo etiam patri Regi Alphonso Sapienti tædam hanc è manibus eripere conatus est Infans Sanctius, ea potestate & dominatione, quam ab ipso acceperat. Nec infanti Lusitano defuere rationes apparentes, cur idem contra Parentem, Regem Dionysium moliretur.

§. Istæ regnorum faces malis artibus accensæ cito plerumque extinguuntur: b *nam nulla quæsita scelere potentia est diuturna. c* Garsias Rex Patrem suum Alphonsum Magnum coëgit, ut regno se abdicaret, sed ultra triennium Corona sic parta ei frui non licuit. Froila Secundus non nisi menses quatuordecim regnum obtinuit, quod vi magis, quam electione fuerat adeptus. Consilia violenta non semper optatum sortiuntur exitum. *d* Navarræ coronam certo jam ad se perventuram hæreditate sperabat Ramon, si fratrem suum Sanctium tolleret de medio; at Respublica sceptrum ei committere noluit, qui facinus tam atrox animo concepisset, adeoque Sanctio Regi Aragoniæ ejus patrueli illud obtulit.

§. Ne temere facem isthanc è manibus dimittat Princeps, quoad vivit, ne si facti illum pœnituerit postea, ei forte accidat, *e* quod Regi Alphonso hujus nominis Quarto; qui posteaquam Regnum in fratrem suum Ramirum semel resignasset, recuperare deinde nunquam potuit; quantumvis vellet. Ambitio, dum in possessione est, justitiæ non paret: semper enim rationes in promptu habet, & causas, quibus se tueatur. Et quem non moveat discrimen, quod inter imperandum, & obediendum interest?

§. Tametsi vero istæ regnorum faces communiter à parentibus ad liberos transeant, illud tamen Reges semper meminerint, à Deo se accepisse, eidemque suo tempore restituere debere, ut norint, cui acceptas eas referre debeant, & quam stricta de iis reddenda sit ratio. Ita fecit Rex Ferdinandus, cognomento Magnus, qui sub extremum vitæ spiritum, sic Deum fertur allocutus: *f Tua, Domine, est potestas, tuum est imperium. Tu supremus es Dominus super omnes Reges, & omnia tua subsunt providentia. Regnum, quod de manu tua accepi, tibi restituo.* Totidem pene verbis, in eodem mortis articulo, usus est alius Rex Ferdinandus, quem Sanctum cognominamus.

§. Illustre sane, sed laboris plenum vitæ curriculum cælum ipsum descripsit Serenitati Vestræ, conficiendum non cum una solum, sed pluribus variorum regnorum facibus, quæ Soli per omnia similes (hoc uno excepto, quod hic sese per intervalla subducat oculis) ab oriente usque in occidentem suam longe lateque diffundunt lucem. Sævissimi turbines erumpentes undique eas moliuntur extinguere:

a Mar. Hist. Hisp. l.14. c.5.
b Curtius.
c Mar. hist. Hisp. l.7. c.20.
d idem hist. Hisp. lib.7. c.2.
e Mar. hist. Hisp. lib.8. c.5.
f idem histor. Hispan. lib. 9. cap. 6.

te: verum cum Deus (sic Isaias a videtur vaticinatus) easdem eo fine incenderint, ut anteeant vexillum crucis, & gentilitatem illuminent in sacris Ecclesiæ altaribus, sperari merito poterit, quod hujus ad instar etiam illæ lucebunt; præsertim, si magis magisque eas inflammarit Serenitatis Vestræ religiosa fides, & pius zelus, recta sursum erectus semper tenendo, ut flamma tanto clarior puriorque ad cælum, quo natura sua nititur, possit contendere: nam qui oblique eas inflexerit, in causa erit, cur illæ ipsæ flammæ eas sensim depascent; quod si cælo ita obverterit, ut terram solum spectent, mox extinguentur penitus: eadem enim materia, quæ pastum alias datura erat, interitum iis adfert. Enitatur itaque sedulo Serenitas Vestra, ut cum his facibus vitæ suæ curriculum gloriose decurrat, easque adhuc dum lucentes suo aliquando Successori porrigat, nec solum quales eas accepit primum, sed potius novis auctas & collustratas radiis: solet enim Deus regna Regemque, cum primum Reipublicæ suscipiunt gubernacula, velut ad trutinam expendere, ut tanto accuratiorem ab iis rationem postea repetat, quomodo b Regi Balthasari factum. Et si Otho c obstrictum se credidit, ut Imperium, sicut à Majoribus acceperat, sic posteris traderet, profecto non minorem etiam obligationem à gloriosis suis Antecessoribus ad se derivatam Serenitas Vestra agnoscat necesse est. Ita illas tradidit Carolus V. Imperator, dum eas adhuc superstes Philippo II Filio suo detulit. Et tametsi nonnullorum acciderit malitia, quod finem curriculi sui exspectare noluerit, ne forte venti contrarii, quos jam tum adversa Fortuna concitarat, eas aut omnino extinguerent, aut saltem obscurarent, uti fecisse memorant Alphonsum II Regem Neapolitanum, qui cum Regi Franciæ Carolo VIII resistendo non esset, d Coronam in Filium suum Ferdinandum Calabriæ Ducem transtulit: illud tamen certum, voluisse ipsam tempori, eam Deo restituere, seseque ad aliam disponere coronam, non temporariam, sed æternam, qua semel obtenta frui licet securo ab omni metu, ne ad alia capita transeat.

a *Ecce, dedi te in lucem Gentium, ut sis salus mea usque ad extremum terræ.* Isai. 49. 6.

b *Appensus es in statera, & inventus es minus habens.* Dan. 5. 27.

c *Vrbu nostræ institutum, & à Regibus usque ad Principes continuum, & immortale sicut à Majoribus accepimus sic posteris tradamus.* Tac. l. 2. Hist.

d Mar. hist. Hisp. lib. 26. c. 8.

SYMBOLVM XX.

INter solennes nuptiarum ritus apud Athenienses puerulus aliquis Sponsum anteibat, spinosis redimitus foliis, & panem in canistro manu præferens: Symbolum, quo innuebant, opinor, matrimonium non solius volupta-



tis gratia, sed ad curas etiam & ad labores à natura institutum esse. Eodem (si in Emblematibus figuris humanis esset locus) eum quoq; possemus adumbrare, qui nascitur, ut aliis imperet. Nam quibus curarum spinis non circumdatur, qui status suos in justitia, in pace, in rerum ubertate tueri satagit? quas non experitur a difficultates, quibus non sese periculis objicit, qui imperium tenet in illos? Illius labores, populi quies sint oportet, pericula illius, hujus securitas, illius vigiliæ, hujus somnus. Veruntamen idem illud oculis hic subjicere placuit sub specie

cie elegantis coronæ quidem & aspectu jucundæ, sed spinis refertæ, cum adjecto lemmate è versibus Senecæ Poëtæ Tragici:

——— a *O fallax bonum!*
Quantum malum fronte, quam blanda tegis!

Ecquis intendens oculos in uniones illos, & coronæ adamantes, in tam bellos flores, qui undique eam ambiunt, non illico sibi persuaserit, pulchrius longe & amœnius fore, quod intus latet abditum; & tamen merissimæ spinæ sunt, quæ assidue tempora, pectusque lancinant. Nullus est in corona unio, qui sudor non sit. Rubinus nullus, qui non sit sanguis. Nullus Adamas, qui non sit quodammodo terebra. Tota denique nihil aliud est, quam circumferentia absque quietis centro, Symbolum perpetui curarum motus. b Atque hæc caussa fuit, cur antiquiores quidam Reges corona navis speciem referente, uti fuerint soliti, ad repræsentandam scilicet illius inconstantiam, inquietudines & pericula. Probe hoc ille perspectum habuit, qui ultro sibi à nescio quo oblatam coronam humi deposuit, his usus verbis: c *Tollat, qui te non noverit.* Coronarum loco primum fasciis d utebantur, non in signum Majestatis, sed ut caput firmarent. Usque adeo graves sunt capitis coronati curæ, ut anticipato etiam munimine opus habeat: nec enim regnare aliud esse dixero, quam tria perpetua suspiria, conservandi nimirum, acquirendi, & amittendi. Idcirco & Marcus Antonius Imperator ajebat: *Regnum grandißimam esse molestiam.* Ad labores nati sunt Principes, æquum igitur, ut ad istos se parent. Apud Persiæ Reges in more erat positum, ut cubicularius, qui eos mane excitaret è somno, altum eis sic inclamaret: e *Rex surge, ad tractanda Regni negotia.* Non ferrent hoc nostro tempore quidam Principes excitatorem tam molestum, *multi enim hac principatus præmia putant, quorum libido ac voluptas penes ipsos sit; rubor ac dedecus penes alios.* Quod Principes nonnulli à suo turpiter desciscant officio, ideo fere accidit, quod (ut alibi dicemus) regnum pro hæreditate & possessione habeant proprietaria, qua pro libitu iis uti liceat, existimentque suam præ aliis excellentiam & supremam potestatem nullis subjectam esse legibus, sed liberam omnino, quantum ad voluntatis appetitiones attinet, cumque adulatio optime norit, quo illa inclinatione propendeat, facile eis deinde persuadet, absque libertate ista & vivendi licentia Principatum non nisi durissimam fore servitutem, magisque infelicem, quam infimam etiam subditorum conditionem: quo fit, ut dum deliciis & voluptatibus sese totos dedunt, flaccescant vires & ingenium, ipsique ad gubernationem prorsus fiant inidonei.

5. Hinc esse reor, quod ex

a Seneca.
b Strab.
c Val. Max.
d *Ponite cidarim mundam super caput ejus*, Zach. 3. 5.
e Tac. lib. 1. Hist.

tanto Principum numero oppido pauci boni evadant Reipub. moderatores. Non quod à naturæ donis instructi non sint, nam in his excellere solent potius præ aliis, utpote qui è sanguine melius enutrito descendunt; sed quia in otio & delitiis, quibus circumfluunt, illa neque exercent, neque id permittunt aulici, qui facilius suam fabricantur fortunam apud Principem rerum suarum negligentem, quam attentum ad omnia. Remedium adversus isthæc incommoda in duobus potissimum consistit. Primum est, ut Princeps à primis pueritiæ annis, simul ac rationis usus aliquis in eo emicuerit, negotiis tractandis sensim assuescat, etiam ante prædecessoris obitum, uti Deus fecit cum Iosue; & si forte in iis, quæ gratiæ sunt, istud fieri minus expediat, ob rationes infra in Emblemate penultimo à me commemorandas, in aliis tamen fit, ut oculos prius ad gubernationem, quam ad vitia aperiat; quæ caussa quondam fuit Senatui Romano, cur & juventutem consultationibus suis interesse vellent. Hujus exercitii beneficio, tametsi multi Pontificum nepotes admodum juvenes ad gubernationem Pontificiam admoveantur, intra paucos tamen annos plurimum usu proficiunt. Alterum est, ut qui circa Principem sunt, inanes quasdam persuasiones ei ex animo eximant, eumque sic instruant, ut sciat, communem omnium consensionem esse, quæ coronæ auctoritatem, & potestatem sceptro tribuat; Natura enim Reges non fecit. Norit item, purpuram regiam sanguinis esse Symbolum, quem pro populi salute, si opus foret, fundere a oporteret; non ideo concessam, ut ea scelerum tineis nutrimentum præbeat. Doceant, inquam, Principem, *generari & nasci à Principibus, fortuitum* esse: solam b *virtutem proprium hominis bonum*. Rectorem eum esse, non dominatorem, subditos cives, non mancipia. Quod documentum Claudius c Imperator Persarum Regi Meherdati dedit. Persuadeant Principi, sic illi agendum cum iis, quibus imperat, ac ipse secum agi cuperet, si subditus foret; quomodo Galba d Pisonem instruxit, cum ipsum adoptaret in filium. Nemo in Principem electus fuit, ut caput aliorum esset duntaxat, sed ut pro tali agnitus omnium commodis inserviret. Perpendens illud cum animo suo Rex Antigonus, filium suum monuit, ne abuteretur potestate, neve sese nimium efferret, aut subditos tractaret male, sic eum affatus: *An ignoras, fili mi, nostrum Regnum nobilem esse servitutem?* Eodem pertinet, quod mulier illa Rudolpho Imperatori excusanti sese aliquando, quod nunc aures ei vacuas dare non posset, respondit: *Quis*

ergo,

a *Consulares fasces, prætextam, curulemque sellam nihil aliud, quam pompam funeris putent: claris insignibus velut infulis velatos ad mortem destinari.* Liv. lib. 2. Hist.

b Tac. l. 1. hist.

c *Ut non dominatorem, & servos, sed rectorem & cives cogitaret.* idem lib. 12. Annal.

d *Cogitare, quid aut nolueris sub alio Principe, aut volueris.* idem lib. 1. Hist.

ergo, inquiens, *imperare desinis?* Subditi non propter Regem nati sunt, sed Rex subditorum gratia. Nimis etiam iis acerbum foret, omnem suam Regi libertatem vendidisse, nisi vicissim de eodem justitiam & tutelam sibi pollicere possent, quæ caussa iis fuit, cur impetio ejus sese ultro subjicerent. Propriis suis coronati clypeis in circuli formam elaboratis Romani triumphabant, unde introducta diademata Sanctorum, qui contra communem humani generis hostem insigni victoria *a* potiti essent. Non meretur coronam Princeps, nisi pariter subditorum illa clypeus sit, qui Fortunæ sævientis impetus excipiat. Regnare officium est potius, quam dignitas. Imperium quoddam *b* paternum in filios; quod si subditi affectum illum paternum & sollicitudinem non experiantur in Principe, nec amorem, nec obedientiam filialem ei deferent. Rex Ferdinandus, cognomento Sanctus, imperium non aliter atque officium habuit, quod positum esset in subditis tuendis, in administranda justitia, in vitiis castigandis, & remunerandis virtutibus, in procurando denique regni sui incremento; ita ut pro majori ejus bono, nulli parcendum labori existimaret; nec aliter reipsa fecit. Principes montium consimiles sunt (ut alibi dicimus) non tam, quod cæli favoribus propiores sint, quam quod omnes temporum injurias ipsi excipiant: veluti depositarii quidam pruinæ & nivium, quæ colliquefactæ deinde defluant ab iisdem ad moderandam æstivo tempore agrorum sitim, & valles irrigandas; atque ut evecti altiùs corporibus suis umbram faciant aliis, & à solis ardoribus *c* eos tueantur. Ideo sacræ paginæ Principes Gigantes *d* vocant: grandiori enim statura opus habent, quos natura in lucem edidit, ut gubernandi onus humeris suis sustineant. Gigantes sunt, ut labores ferant, & gemant (quemadmodum Iobus *e* loquitur) sub aquis, quibus *f* populi & gentes significari solent; anguli denique *g* sunt, quibus Reipub. ædificium innititur. Princeps, qui natum se non credit, ut idem præstet subditis, neque se parat ad tolerandas pro eorum commodo temporum injurias, montis dignitatem exuat, & vallem potius præoptet agere; si tamen ad otium privatum aspirare ei liceat, quem cælum ipsum ad aliorũ gubernationem jam semel destinavit. Wambæ electo in Regem, & coronam recusanti è Gothis Procetibus Dux quidam

 gladio

a *Domine, ut scuto bonæ voluntatis tuæ coronasti nos.* Psal. 5. 13.

b *Ut enim gubernatio patrisfamilias est regia quædam potestas domi: ita regia potestas est civitatis & gentis unius, aut plurium quasi domestica quædam gubernatio.* Arist. l. 3. Pol. c. 11.

c *Quia factus est fortitudo pauperi, fortitudo egeno in tribulatione sua, spes à turbine, umbraculum ab æstu.* Is. 25. 4.

d *Gigantes autem erant super terram in diebus illis. Isti sunt potentes à sæculo, viri famosi.* Gen. 6. 4.

e *Ecce gigantes gemunt sub aquis.* Iob. 26. 5.

f *Aquæ, quas vidisti, ubi meretrix sedet, populi sunt, & gentes, & linguæ.* Apoc. 17. 15.

g *Applicate huc universos angulos populi.* 1 Reg. 14. 38.

gladio districto, ni morem gereret, minitari cœpit. a *Annunus, inquiens, totius gentis voluntati repugnes, tuaque tranquillitati communem omniũ salutem posthabeas?* Eadem de caussa nec Regi Ioanni Secundo in Parlamento Caracensi permissum fuit, ut regnum Filio Henrico transcriberet: quia nimirum hic admodum erat juvenis; ille vero ea adhuc corporis constitutione, ut præesse porro cum laude posset. E quibus liquido apparet, Principes esse partem Reipublicæ, & certo quodam modo ei subordinari, tanquam instrumenta ad ejus conservationem necessaria, ita ut bona malaque eorundem ad Rempublicam pertineant; quemadmodum Tiberius b ad filios suos ajebat. Qui Davidem poscebant Regem, sic illi acclamabant: c *Ecce nos os tuum, & caro tua sumus*; ut significarent, ipsum esse, qui viribus suis sustentare eos debeat, omnesque eorum dolores ac labores in semetipso quodammodo experiri.

§. Porro Principem à puero sic informare oportet, ut dominationis equum, dum tener est, domare discat ac regere: nam si ad solius arbitrii libitum enutrire eum voluerit: una cum ipso præceps ruet. Rationis fræno hic opus est, habenis scientiæ politicæ, virga justitiæ, & calcaribus fortis generosique animi; opus, inquam, ut Princeps prudentiæ stapedibus firmus semper insistat. Non quicquid ei in mentem venerit, faciendum est illico, sed quod honestum est solum, ne forte pietatem lædat, aut existimationem, aut verecundiam, aut contra bonos mores d committat aliquid. Ne existiment Principes, potestatem suam omnino absolutam esse, sed obstrictam bono publico, & communi Status utilitati: non immensam, sed certis arctatam finibus, & multis casibus expositam. Insignem apparatum navalem Regis Philippi Secundi adversus Angliam unicus ventus dissipavit.

§. Nôrit præterea Princeps autoritatem suam ita supremam non esse, quin aliquid illius in ipsis remanserit subditis, quod aut ab initio ii sibi reservarunt, aut iisdem concessit postea ratio ipsa naturalis, ad defensionem & conservationem propriam contra Principem palam injustum, aut tyrannum. Principibus bonis non omnino displicet libertas aliqua in subditis. Tyrannorum e est absolute dominari velle. A moderata subditorum libertate salus imperii & conservatio dependet. Non magis securus est Princeps ille, qui potentior, sed qui majori cum ratione potentior est. Nec minus supremam obtinet potestatem, qui subditorum jura tuetur ac privilegia, quæ justo titulo possident. Prudentiæ potius est sinere, ut iis frui &

a Mar. hist. Hisp. lib. 6. c. 12.
b *Ita nati estis, ut bona malaque vestra ad Rempublicam pertineant.* Tacit. lib. 4. Annal.
c 2 Reg. 5. 1.

d *Facta, quæ lædunt pietatem, existimationem, verecundiam nostram, & ut generaliter dixerim, contra bonos mores fiunt, nec facere nos credendum est.* lib. 15. ff. de condit. inst.
e *Quomodo pessimis Imperatoribus sine fine dominationem, ita quantuæ egregiis modum libertatis placere.* Tacit. lib. 4. Annal.

& gaudere possint libere: nunquam enim ea Principis auctoritati derogant, nisi aut honorem suum iis lædi putet, aut eâ omnino tollere cogitet. Satis illi sit Coronam suam eadem tueri potestate, qua Majores ipsius fecerant. Hoc ipsum forte Deus per Ezechielem Principes monere voluit (tametsi in alio sensu) cum ei dixit: *a Corona tua circumligata sit tibi*, si quis eam laxet nimium, ei de capite facile decidet.

a Ezech. 24. 17.

SYMBOLVM XXI.

E Iustitiæ centro Coronæ circũferentia ducitur. Neutiquam hac opus foret, si absque illa vivere liceret. (*erenti, Hac una Reges olim sunt fine Dicere jus populis, injustaque tollere facta.*

a *Vetustissimi mortalium, nulla adhuc mala libidine, sine probro, scelere, eoque sine pœna & coercitionibus agebant; neque præmiis opus erat; cum honesta suopte ingenio peterentur, & ubi nihil contra morem cuperent, nihil per metum vetabantur.* Attamen crevit paulatim cum mundi ætate Malitia, & cautiorem virtutem reddidit, quæ sincere alias, & ab omni sollicitudine libera in terris morabatur. *Postquam nimirum exui æqualitas, & pro modestia ac pudore, ambitio & vis incedebat, provenere dominationes.* Nã prudentia urgente necessitate, & naturali suadente lumine homines in civilem coëgit societatem, ubi & virtutes exercerent, ad quas ipsa impellit ratio, & uterentur voce articulata, quam Natura iis largita fuerat, ut sensa mentis & consilia invicem verbis explicando, alter alterum *b* instrueret, juvaret, defenderet.

Constituta itaque civili ista Societate, simul communi & tacita omnium consensione, in tota illa Naturæ lumine illustrata, exorta est Potestas quædam altior ad partiũ conservationem necessaria, quæ nimirum sua sceleribus supplicia, & virtutibus præmia decernendo in justitia, & pace omnes tueretur: quia tamen Potestas ista per universum corpus diffusa esse non potuit, ne alias summa in statuendo & exequendo nasceretur confusio; quia item necesse erat, ut alius imperaret, obediret alius, ultro sese ipsi ea abdicarunt, in unum aliquem, aut paucos, aut etiam plures eam transferentes, quæ sunt tria illa Reipublicæ genera, Monarchia, Aristocratia, & Democratia. Et prima omnium quidem fuit Monarchia: nam initio in suis quique familiis; deinde apud universum aliquem populum eum sibi homines præficiebant, qui aliis in virtute & probitate excelleret, cujus dextram (crescente paulatim auctoritate) sceptro honorarunt, & frontem diademate, in signum eminentiæ, & supremæ in alios potestatis quam in ipsum contulerant; quæque in justitia potissimum consisteret, qua mediante populum

a Tacit. l. 3. Ann.

b *Sermo vero datus est homini ad utile, & inutile, ac proinde justum & injustum declarandum.* Arist. lib. 1. Pol. c. 2.



pulum sibi subjectum in pace tueretur ac conservaret. a *Ubi enim leges non tenent imperium, nulla est Respublica*, & cessat omne Regis officium, quemadmodum in b Castellana Provincia accidit, quæ propter injustitias Ordonii & Froilæ exactis Regibus, per Iudices deinde gubernata fuit.

a Idem Polit. l. 4. c. 4.
b Mar. hist. Hisp. l. 8. c. 3.

§. Iustitia isthæc sola lege Naturali, absque insigni Reipublicæ periculo, recte administrari non posset: cum enim illa sit *constans & perpetua voluntas suū cuique* c *jus tribuendi*, multis exposita foret periculis, si ab opinione & judicio Principis dependeret, & scripta non

c *Iustitia enim perpetua est, & immortalis.* Sap. 1. 15.

non esset. Neque sola ratio naturalis (quantumvis ab affectibus & passionibus libera) sufficeret ad recte semper judicandum in tanta casuum varietate, qui passim incidunt, atque adeo necessum fuit, ut longo rerum usu atque experientia certis quibusdam legibus tam pœnalibus, quam distributivis sese armarent Respublicæ. Illis quidem ad castiganda delicta; his vero ad suum cuique tribuendum. Pœnales leges adumbrantur per gladium, justitiæ Symbolum, id quod Trajanus significare voluit, cum strictum aliquando ensem Præfecto Prætorio in conspectu omnium porrigeret, diceretque: a *Accipe ferrum hoc, & siquidem recte imperium gessero, pro me; sin aliter, contra me hoc utere.* Æqualis illi utrinque acies est tam pro divite, quam egeno. Non ex una parte obtusus, acutus ex altera, ut uni parcat, & lædat alterum. Leges vero distributivæ denotantur per regulam seu amussim, quæ promiscue actiones omnium & jura b dematitur. Ad hanc justitiæ regulam res omnes dirigere oportet, non contrà, Regulam rebus accommodare, quemadmodum regula Lesbia, quod è plumbo esset, inflexa facile omnibus lapidum figuris sese aptabat. Vtrisque legibus spiritum atque vigorem Princeps tribuere debet. Rex Alphonsus Sapiens dicere solebat, Regem cor & animam esse Reipublicæ: c *Ca asi como yaze el alma en el corazon del Ome, e por ela bive el cuerpo, e se mantiene; asi en el Rey yaze la justicia, que es vida, e mantenimiento del pueblo, i de su Señorio.* d Et alibi ait, Regem idem esse ac Regulam, cujus hanc adfert rationem: *Ca asi como por ella se conozen todas las torturas, e se enderezan, asi por el Rey son conocidos los yerros, e emendados.* Rex & Lex non nisi unica discrepant litera. Et aliquid aliud Rex, quam Lex e loquens? quid Lex aliud, quam mutus Rex? Et ita quidem Rex, ut sola esset dominatura, si ipsa sese explicare posset. Prudentia politica divisit quodammodo Principum potestatem, & tametsi in personis ipsis maneat integra, ex parte tamen eam subtiliter in chartam transtulit, ut scriptam reliquit, atque oculis omnium expositam Majestatem, pro justitiæ exercitio, ut anticipatis hac ratione per leges, ante ipsos etiam casus, æquitate & castigatione, sententiæ non adscriberentur arbitrio, aut passione & commodo Principis, neve is in odium offensionemque subditorum incurreret. Lex rigoris excusatio est, elevatio gratiæ, invisibile Principis brachium, quo Reipublicæ habenas moderatur. Nec alia via melior ad conciliandam auctoritatem, & subditos ad officium cogendos. Quare à legum præscripto non recedendum. f *neque utendum imperio, ubi legibus agi possit.* Quod si via g facta procedat Princeps, vim suam ac robur

a Nic. Call. l.3. Ec. hist. c.21.
b *Legem statuis justi, injustique regulam e* c. Sen.
c Lib.5. tit.1. p.2.
d Lib.6. tit.1. p.2.
e *Vere dici potest, Magistratum esse legem loquentem, legem autem mutum Magistratum.* Cic. de leg.
f Tac. lib.3. Annal. g *Alinui jura, quoties gliscat potestas.* Ibid.

robur perdunt leges. Culpa *a* pro innocentia habetur, & justitia *b* pro tyrannide; immo Principis potestas haud parum imminuitur: plus enim semper cum lege, quam absque illa efficere poterit; Lex Principem constituit, tuetur, àrmat ac roborat. Nisi lex esset, nihil inter dominationem & subjectionem discriminis intercederet. Legibus, tanquam fundamentali petræ, non soli arbitrio vera innititur Politica. Regulæ sunt bonæ gubernationis, & viæ regiæ rationis Status, per eas, tanquam per certas quasdam lineas, Reip. navis secura navigat. Muri sunt Magistratus: oculi & anima civitatis, vinculum populi, ac frænum (figura præsentis Emblematis) quod eum regit *c* ac corrigit. Quin ipsa etiam tyrannis absque iis subsistere non potest.

Instabilitati voluntatis, quæ tot affectibus & passionibus est obnoxia, immo per se cœca, rectè committi haud potuit justitiæ judicium: sed necessum fuit ut certis quibusdam decretis & fixis statutis à ratione & prudentia profectis, quæ perinde omnes, & absque discrimine obligarent, illa in officio contineretur. Tales sunt leges, quas pro casibus futuris præteritorum dictavit experientia; cumque ipsæ semet explicare nequeant, sed nuda corpora sint duntaxat, quæ vitam & intelligentiam mutuari debent à judicibus, quorum linguis loquuntur, aut calamis declarantur, & certis applicantur casibus (nam omnes universim comprehendere possib.le non fuit) advertant sedulo Principes, quibusnam hominibus eas exponendas committant: neque enim hoc aliud est, quam vitam suam, & præcipua gubernandi instrumenta iis concredere; facta autem semel electione, prout oportet, exercitium & cursum justitiæ ordinarium ne impediant, sed Magistratui totum permittant. Etenim si Principes interpretari leges voluerint ultra id, quod aut Clementia finit, aut Epiikia, totum ædificium politicum corruet, & quæ firmare illud & sustentare debuerant, ruinam accersent potius. Neque enim tyrannis aliud est, quam quædam legum oblivio & despicientia, dum Principes auctoritatem illarum sibi temere arrogant. Hoc Roma olim dep'o abat, tanquam potissimam servitutis suæ caussam, 'quod nimirum *d* Augustus legum munia ad se traxisset, ut Imperium tyrannide premeret:

e *Postquam jura ferox in se communia Cæsar*
Transtulit, elapsi mores, desuetaque priscis
Artibus, in gremium pacis servile recessi.

Dum

a *Inauditi, atque indefensi tanquam innocentes perierant.* Ibid. lib. 1. Hist.

b *Opus justitiæ pax, & cultus justitiæ silentium & securitas usque in sempiternum.* Is. 32. 17.

c *Facta sunt autem leges, ut earum metu humana coërceatur audacia, tutaque sit inter improbos innocentia; & in ipsis improbis reformidato supplicio, refrænetur audacia, & nocendi facultas.* Isid. lib. 2. etymol. L. legibus C. de Leg.

d *Insurgere paulatim, munia Senatûs, Magistratuum, legum in se trahere.* Tac. l. 1. Annal.

e Claud.

Dum legibus Princeps os obstruit, malitiæ & vitiis illud laxat, ut Claudii *a* Imperatoris temporibus accidit.

§. Tametsi verò leges salus sint Rerumpublicarum, utpote quibus hæ fundari solent & conservari; grande tamen nonnunquam iis creant periculum, quando illæ aut à pietate & ratione deflectunt, aut justum excedunt numerum: nam dum nimium multiplicantur, pariunt confusionem & oblivioni traduntur, aut certe si servari omnes nequeunt, abeunt in contemtum. b *Corruptissima Respublica, plurimæ leges.* Aliæ aliis adversantur, atque ansam præbent interpretationibus malitiosis, & opinionibus variis, unde lites oriuntur & dissensiones. Major populi pars in tribunalibus distinetur. Desunt homines pro colendis agris, pro officiis, pro militia. Pauculi probi multos improbos suis sustentant sumptibus, & mali quam plurimi bonis dominantur. Fora sinus sunt piratarum, & tribunalia latronum nemora. Ii ipsi, qui custodes juris esse debuerant, durissima catena *c* servitutis sunt populo. Neque minus gravantur Respublicæ nimia legum *d* copia, quam ipsis vitiis. Qui multas condit leges, multos spargit murices, in quo omnes offendant. Ita Caligula, qui innocentiæ struebat insidias, variaranciebat edicta, minuto scripta charactere, ut difficulter legi possent: & *e* Claudius die uno viginti publicabat, quibus populum sic obruebat, ut plus laboris esset ea memoria comprehendere, quam reipsa dare effectui. Idcirco Aristoteles dicebat paucas leges sufficere; pro gravioribus casibus, reliquos judicio naturali relinquendos. Nullum damnum intestinum Reip. gravius, quam nimia Legum multitudo. Hinc in gravissimorũ delictorum pœnam Deus olim minitabatur *f* Israëli, quod multiplices iis leges daturus esset. Cui bono ita facile novas antiquis adjicere, si nullus sit casus, qui non evenerit alias, nec ullum incommodum, quod ante non expenderit, aut cui non paraverit remedium observatio diuturna, atque experientia? *g* *Super omnibus negotiis melius atque rectius olim provisum.* Quæcunque nunc remedia in Hispania arbitrium pro recens inventis habet, omnia in antiquis regni Legibus reperientur. Harum custodia gratior erit populo, & minus odii conciliabit Principi, quam aliarum novarum promulgatio. In illis conquiescit judicium; in his vacillat & fluctuat. In illis elucet cura; per has in discrimen venit existimatio. Illæ cum securitate innovantur; hæ sine periculo induci non possunt. Nova

a *Nam cuncta legum & Magistratuum munia in se trahens, materiam prædandi patefecerat.*

b Tac. l. 11. Annal.

c *Deditque jura, queis pace & Principe uteremur: acriora ex eo vincula, inditi custodes,* id. l. 3. Ann.

d *Utque antehac flagitiis, ita nunc legibus laborabatur,* ibidem.

e Tranch. in Claud.

f *Quia multiplicavit Ephraim altaria ad peccandum: facta sunt ei aræ in delictum; scribam ei multiplices leges meas.* Os. 8. 11.

g Tacit. lib. 14. Ann.

experiri remedia, est salutem, & vitam in discrimen abducere. Multæ herbæ antequam sciretur, quomodo præparandæ essent ad usum, venenum fuere. Melius gubernatur respublica, quæ statas habet leges, etsi imperfectas, quam illa, quę frequenter easdem immutat. Vt significarent antiqui a Leges debere esse perpetuas, tabulis æreis eas consignabant, & Deus insculpsit in b lapide æterno digito suo exaratas. Has ob caussas etiam Augustus sic Senatum hortatus est, c *Positas semel leges constanter servate, nec ullam earum immutate. Nam quæ in suo statu, eademque manent, etsi deteriora sint, tamen utiliora sunt Reipublicæ his, quæ per innovationem, vel meliora inducuntur.* Nullum est regnũ, quod Legibus sufficientibus instructum non sit: illud solum cavendum, ne interpretationum varietas eas magis dubias reddat & obscuras, ac lites suscitet; cui rei ante omnia parandum remedium: id quod facile fieret in Hispania, si Rex aliquis, non minus hoc nomine illius reparator, quam Pelagius, controversias omnes ad breves contraheret terminos, & relicto jure civili Legibus patriis uteretur non minus prudentibus & doctis, quam justis. Illud est, quod Rex Reccesvinthus intendebat, cum diceret in quadam lege sui libri, quem *Fuerojuzgo* inscripsit: d *E nin queremos, que de aqui adelante sean usadas las leyes Romanas, nin las estrañas.* Rex quoque Alphonsus Sapiens Iudicibus serio præcepit: e *que los pleitos ante ellos los libren bien, e lealmente lo mas aina, e mejorque supieren, e por las leyes deste libro, e non por otras.* Idem postea confirmarunt Rex Ferdinandus & Ioanna, f uti & Rex Alaricus, qui graves intentavit pœnas judicibus, si allegationes Legum Romanarum admitterent. Neque supremæ jurisdictioni parum derogat, alienis gubernari Legibus. Video duo contra dici posse: unum est, cum Leges istæ lingua Castellana conscriptæ sint, fore ut Latina pessum iret, si Iurisprudentiæ professores in illis solis perdiscendis & explicandis omne ponerent studium. Præterquam quod absque notitia juris civilis, unde istæ trahunt originem, recte intelligi nequeant. Alterum est, cum in omnibus pene Europæ Nationibus commune sit jus civile, secundum quod caussæ decidi solent, & dijudicari in Parlamentis & Curiis exteris jura & controversiæ Principum, plurimum proinde referre, si Viros habeant in dicto jure probe multumque exercitatos. Verum istis incommodis facile occurri poterit aliter, si nimirum aliquas juris civilis cathedras in universitatibus dotent & erigant, quemadmodum in hoc ipso genere fecit (tametsi

a *Usus æris ad perpetuitatem monumentorum jam pridem translatus est tabulis æreis, in quibus constitutiones publicæ inciduntur.* Plin. lib. 34. cap. 1.

b *Deditque Dominus Moysi, completis hujuscemodi sermonibus, in monte Sinai, duas tabulas testimonii lapideas, scriptas digito Dei,* Exod. 31. 13.

c Dion. l. 52.

d L. 8. & 9. tt. 1. l. 2. For.

e Lib. 6. tit. 4. p. 3.

f L. 3. tt. 1. lib. 2. Recop.

(tametsi aliis de caussis) Rex Ferdinandus Catholicus, sic inquiens: *Empero bien queremos, y suffrimos, que los libros de los derechos, que los sabios antiguos hizieron, que se lean en los estudios generales de nuestro Señorio, porque aien ellos mucha sabiduria; y queremos dar lugar, que los nuestros Naturales sean sabidores, e sean porende mas honrados*. Quod si tamen illud omnino fieri nequeat, duo memorati abusus corrigi sic poterunt: Primus quidem, hoc est, nimia illa librorum multitudo, qui in Hispaniã asportantur, simpliciter illud vetando: magis quippe est ad oculos emungendos, quam ad doctrinã comparandam, neque Typographiæ aliud hodie sunt, ac nundinationes & mercaturæ. Varietate illa confunduntur ingenia, intricatur judiciū, & hæret dubium. Minus damni metuendum foret, si deficientibus Legibus scriptis pro controversia aliqua decidenda, Ratio ipsa naturalis tanquam lex viva præ oculis esset, quam rimari justitiam in tam obscura nocte tot opinionum diversa sentientium, pro utraque parte; unde fit, ut res plane arbitraria fiat; & corruptelis ac passioni locus fit. Alter abusus est litium prolatio, quas contrahere oportet; quomodo Mediolani fieri cupiebat Rex Philippus II. quando ea super re cum Senatu deliberationem instituit. Quo in negotio non communi solum subditorum utilitati consulere voluit, sed etiam, ut in statu illo, qui quasi propugnaculum est Monarchiæ totius, & theatrum Martis, pauciores rogati essent, quam qui saga sumerent. Idem conati sunt Imperatores, Titus, & Vespasianus, Carolus V. Reges Catholici, Rex Petrus Lusitanus, & Rex Aragoniæ Iacobus Primus, & Rex Franciæ Ludovicus XI. Nullus tamen hoc institutum ad effectum omnino perducere potuit, nec sperare licet, ut fiat ab aliquo alio, eo quod ad corrigenda tribunalia opus sit in consilium vocare ipsos judices, quorum interest semper, lites proferri longius, non secus ac militum; ut bella diutissime durent. Sola necessitas Serenissimam Reginam Isabellam, a dum Hispali moraretur, impulit, ut ex arbitrio proprio isto remedio uteretur: longas enim moras pertæsa, lites omnes corã opitulantibus doctissimis & expertis Viris, componebat, absque forensi strepitu, absque processuum & informationum accumulatione, feliciter sane, ut experientia docuit. Magna cum prudentia Cantones Helveti Remp. suam moderantur, quia nulli inter eos Iureconsulti. Oretenus in consilio causæ proponuntur: audiuntur testes, & absque ullius rei scriptione, præterquam sententiæ, mox deciduntur. Magis litiganti expedit cita condemnatio, quam sententia etiam propria, post longam multorum annorum contentionem. Qui hodie serit litem, palmam serit; quæ cum fert fructum, pro alio fert. b *Non fuerint concordes unquam, aut inter amantes cives, ubi mutua multa lites judiciales sunt, sed ubi ea brevissima &*

a Anton. Nebriss. dec. 1. c. 6.
b Plato.

paucissima. Minimum ergo pauci sint Iureconsulti, Procuratores, & Notarii. Quomodo quieta esse poterit Respublica, in qua multi, ut vitam sustentent, lites excitant? Quam restitutionem sperare spoliatus poterit, si tam multi eum ante expolient? Et licet omnes viri probi essent, non tamen ideo inter multos sincerior erit justitia, sicut nec semper unam infirmitatem felicius curant plures Medici. Nec è re boni publici est, ut cum jactura tranquillitatis communis, & Fortunarum civium, nimia cum diligentia jura cujusque vocentur in examen, mediocris sufficit & moralis.

§. Nec minus detrimenti adfert multitudo sanctionum pragmaticarum, ad moderandum luxum vestium, & sumptus superfluos: nam plerumque ejusmodi edicta cum contemptu excipiuntur, & vix unquam executioni mandari possunt. Luna eadem, quæ ea sancit, vicissim abolet. Sibyllarum responsa sunt in foliis arborum, ventis tradita. Inobedientia, si semel obtinuerit, magis *a* insolentem & securiorem luxum faciet. De Principis existimatione agitur, quando remedia, quæ ipse præscripsit, aut effectum non habent, aut non adhibentur. Edicta Margaritæ Austriacæ Ducis Parmensis, quia executio defuit, plurimum de auctoritate ejus detraxere in Provinciis Belgicis. Quare dubitari merito posset, num tolerabilius malum sit luxus *b* moderatus, quam prohibitio, cui nemo paret; aut num satius sit dissimulare *c potius prævalida & antiqua, quam hoc assequi, ut palam fiat, quibus flagitiis impares sint* Principes. *Si prohibita impune transcenderis, neque metus ultra, neque pudor est.* Si leges hasce & pragmaticas circa mores corrigendos in semetipso exprimeret Princeps, fieri fortasse posset, ut adulatio, aut inclinatio naturalis, qua minor majorem, subditus Principem facile æmulatur, plus efficeret, quam ipse legum rigor, sine auctoritatis periculo. Parsimoniam, quam introducere non potuerunt leges Sumptuariæ, solo suo exemplo introduxit Vespasianus *d* Imperator. Principem imitari servitus est, quam suaviorem reddit adulatio. Facilius Naturam in suis errare operibus, ajebat Theodoricus Gothorum Rex, quam Rempublicam à moribus sui Principis desciscere. In hoc tanquam in speculo actiones suas componit populus.

——— Componitur orbis
Regis ad exemplum, nec sic inflectere sensus
Humanos edicta valent, quam vita Regentum. e

§. Con-

a *Tot à majoribus reperta, tot quas Divus Augustus tulit, illa oblivione, hæ (quod flagitiosius est) contemptu abolita securiorem luxum fecere.* Tacit. l. 3. Annal.

b *Num coërcitio plus damni in Remp. ferret: quam indecorum attrectare, quod non obtineretur, vel retentum ignominiam & infamiam virorum illustrium posceret.* ibid. l. 3. Annal.

c ibid.

d *Sed præcipuus adstricti moris autor Vespasianus fuit; antiquo ipse cultu victuque. Obsequium inde in Principem, & æmulandi amor validior, quam pœna ex legibus & metus.* ibid. e Claud.

§. Consuetudines Leges sunt, non in charta scriptæ, sed in animo, & memoria omnium, & tanto gratiores, quanto minus mandata sunt aliorum, sed arbitrium potius spontaneum, & certa quædam libertatis species; atque adeo eadem communis consensio, quæ eas in Rempublicam introduxit primum, & quasi usu ipso præscripsit, ut loquuntur, earundem est tenacissima; neque ullo modo cedit hic populus, quantumvis malæ sint, & ideo immutari eas deceat; eo quod plus ea in re communis valeat opinio, qua, postquam ab Antecessoribus approbatæ semel fuerunt, certo sibi persuadet, justas eas esse, & rationi consentaneas; quam alia quæcunque argumenta, immo quam illa ipsa incommoda, quę in illis deprehendit. Quamobrem majoris prudentiæ est tolerare eas, quam penitus tollere. Ii Principum a *tutissime agunt, qui præsentibus moribus, legibusque, etiam si deteriores sint, minimum variantes Rempublicam administrant.* Si tamen aut Virtuti, aut Religioni adversantur, magna cum dexteritate corrigere eas oportet, & sensim disponere populum, ut rationis capax evadat. Rex Froila in grave multorum incurrit odium, quod consuetudinem, qua Clericis matrimonia permittebantur, abrogasset jam ante introductam à Witiza & Græcorum exemplo roboratam.

§. Si Respublica bene constituta non sit, neque dociles aut disciplinæ capaces animi, parum leges b proficient. Quo, credo, innuit Solon, quando rogatus, ecquęnam Leges essent meliores, respondit, *Illa, quibus utitur populus.* Medicinæ morbis incurabilibus adhibitę, nihil quicquam prosunt.

§. Vanæ denique erunt leges, quas Princeps, qui promulgat, non etiam exemplo suo & vita firmet ac roboret. c *Digna vox est Majestate Regnantis, legibus alligatum se profiteri.* Suavis populo videtur lex illa, cui Legislator ipse obedit.

In commune jubes si quid, censesve tenendum.
Primus jussa subi, tunc observantior æqui
Fit populus, nec ferre vetat, cum viderit ipsum
Autorem parere sibi. d

Leges, quas tulit Servius Tullius, non pro populo erant solum, e sed *queis etiam Reges obtemperarent:* per illas controversiæ Principem inter & Subditos dijudicari debent, uti de Tiberio f refert Tacitus. g *Tametsi legibus soluti sumus, tamen* (dicebat Severus & Antoninus Imperatores) *secundum illas vivimus.* Non obligat Principem vis legis præcise sed ratio, cui innititur, quando ista naturalis est, & communis omnibus, non peculiaris subditis, ad bonam eorundem gubernationem: quia in tali casu legum custodia ad hos solos pertinet; quanquam, si res permiserit, valde conveniat etiam Principem iis se conformem gerere, ut aliis tanto suaviores sint. In isto positum videtur myste-

 tium

a Thucyd. b *Quid leges sine moribus vanæ proficient?* S. Aug.

c l. 4. C. de Leg. d Claud.
e Tac. l. 3. Ann.
f *Si quando cum privatis disceptaret forum & jus.* idem lib. 1. Ann.
g l. 3. C. de test.

rium mandati illius, quo Deus quondam præcepit Ezechieli, ut volumen *a* comederet, ut nimirum videntibus aliis, quod ipse primus leges deguſtaſſet, & inſtar mellis dulces expertus eſſet, omnes tanto facilius iſtud imitarentur. Adeo ſubjecti ſunt Legibus Reges Hiſpaniæ, ut Fiſcus in cauſſis patrimonii regii eandem aliam ſubire debeat, quam quivis alius ſubditus, & in caſu dubio pro condemnato habeatur. Ita ſtatuit Philippus II. & cum aliquando ejuſdem Nepos Philippus IV. Seren. Veſtræ Pater coram præſens adeſſet, & in Conſilio regio ſingulorum exquirerentur ſuffragia in cauſſa aliqua ad Cameram pertinente, neque in Iudicibus integritas defuit, aut conſtantia ad illum condemnandum; neque in ipſius Majeſtate rectitudo animi, ad audiendum illos benigne & abſque omni indignatione. Felix Reſpublica in qua cauſſæ *b* Principis deterioris conditionis ſunt.

a *Fili hominis comede volumen iſtud. Et comedi illud; & factum eſt in ore meo ſicut mel dulce.* Ezech. 3. 1. & 3.

b *Quæ gloria tua eſt præcipua, ſæpe vincitur Fiſcus, cujus mala cauſſa nunquam eſt, niſi ſub bono Principe.* Plin. in Pan.

SYMBOLVM XXII.

TAmetſi populi conſenſus juſtitiæ poteſtatem contulerit in Principes, immediatius tamen illam à Deo recipiunt, tanquam ejus in temporalibus Vicarii. Aquilæ regiæ ſunt, Iovis Miniſtri, qui fulmina ejus adminiſtrant, & vicem ſuſtinent, ad decernenda vitiis *c* ſupplicia, & juſtitiam exercendam: qua in re tribus præcipuis Aquilæ dotibus opus habent; Acie oculorum ad delicta cognoſcenda: alarum levitate, pro executione: robore unguium, ne in illa deficiant. *d* In receſſu Galæciæ penitus abſtruſo & abdito effugere non potuit acutiſſimos oculos Regis Alphonſi Septimi, cognomento Imperatoris, injuria illa quam agricolæ cuidam intulerat nonnemo ex Hiſpaniæ Nobilibus; quin incognitus abiit è veſtigio ſumpturus ab illo pœnas, celeritate tanta, ut prius homini manus injiceret, quam ille de adventu ejus quicquam reſciſcere potuerit. O vivam & ardentem legis animam! ſeipſum judicem & executorem conſtituere, ut vindicetur injuria homini pauperculo illata, & in potentis tyrannidem tam acerbe animadvertere. *e* Idem fecit Rex Ferdinandus Catholicus, qui cum aliquando Medinæ Campi degeret, clam Salmanticam profectus comprehendit Rodericum Maldonatum, qui in caſtro Monleon immanes tyrannides exercebat. Quis leges tranſgredi auderet, ſi ſemper in metu eſſet, ne ſimile quid ſibi accideret? Vnus iſtiuſmodi caſus regnum integrum erudire poteſt, & rite componere. Attamen non ſemper expedit Majeſtatem regiam

c *Dei enim Miniſter eſt: vindex in iram, ei qui malum agit.* Rom. 13. 4.

d Mar. hiſt. Hiſp. lib. 10. c. 2.

e Mar. hiſt. Hiſp.



giam ejusmodi imitari exempla. Quando ſtatus Regni bene diſpoſitus eſt; quando ſedent pro tribunalibus cauſarum cognitores; quando viget adhuc legum metus, in eo caſu ſufficit, Principem elaborare in eo, ut miniſtrorum adminiculo juſtitiæ ratio habeatur. At vero, ubi turbata ſunt omnia, quando jacet & ſpernitur Regis au-

ctoritas, quando vacillat ob dientia, uti illis fiebat temp ribus; non obeſſet ſimilis a qua ſubita & gravis anima verſio, ut ſubditi potente Regis manum formidare i cipiant, intelligantque, peri de atque in corpore human ita in Regno animam Ma ſtatis eſſe totam in toto, totam in qualibet parte. A modu

modum tamen expediet moderari rigorem, quando Respublica male affecta est; & vitia consuetudine roborata: nam si virtus nimis etiam acerbe errata ferat, & uno quasi impetu corrigere velit omnia, crudelitas videbitur potius, quam justitia. Cum tempore curandum, quod cum tempore debilitari cœpit. Præcipitare cum medicina, periculosa res est, & quæ facit interdum, ut furorem concitatæ multitudinis Princeps experiri cogatur. Plus dissimulatione & dexteritate efficitur, qua in re mire excelluit Rex Ferdinandus Catholicus; & in eo deceptus forte fuit Rex Petrus, quod viam severitatis solum insisteret, unde Crudelis nomen adeptus est. Tametsi vero una simplex virtus sit justitia, pro temporum tamen varietate, varios operatur effectus. Nonnunquam populus illam omnino respuit, immo per illam magis magisque insolescit: alias idem agnoscit nimiæ suæ licentiæ damna, & quoad potest, collaborat cum Principe, ut medelam adferat, quin ipsemet asperrima quandoque suggerit media contra suam libertatem, quo modo absque ullo periculo Princeps Severi nomen adipiscitur.

§. Nunquam impunita dimittat Princeps paucorum scelera in Rempublicam commissa: si multorum sint, condonet facilius. Agrippa Tiberii jussu è vivis sublato in Insula Planasia (in quam fuerat relegatus) servus quidam cineres ejus clandestine sustulit, & Agrippam se finxit, cui forma erat similimus. Fidem habuit Romanus populus, & fama per Imperium vulgata, tumultus exortus est cum præsentissimo motuum civilium periculo. Sed Tiberius mox servum comprehendi jussit, & clam omnibus extremo supplicio affici. a *Et quanquam multi ex ejus domo equites ac Senatores sustentasse opibus, juvisse consiliis dicerentur*, noluit tamē, ut ea de re quisquam loqueretur. Triumphavit crudelitatē Prudentia; & silentio ac dissimulatione tumultum omnem sedavit.

§. Minoribus delictis Princeps veniam det; grandiora pœnis coërceat. Pœnitudine interdum contentus sit, id quod Tacitus b in Agricola collaudavit. Non imperat melius, qui acrius castigat, sed qui excusat cum prudentia, eaque moderatione, ut ne plectendi ansam porro præbeat; prorsus sicut chirurgo nemo honori tribuit, si multa brachia & tibias resecet. Nemini odio est Princeps, qui castigat, si cum animi dolore, & invitus id faciat; sed quem puniendi delectat occasio, quive illam studiose captat, & prensat. Castigare ad exemplum & correctionem, est misericordiæ; culpam vero inquirere ex passione, & ad Fiscum ditandum, tyrannis est.

§. Non permittat Princeps, ut ullus tam potentem ac legibus solutum se existimet, ut opponere sese audeat iis, qui Ministri sunt justitiæ, & potestatem ejus ac munus repræsen-

a Tacit. lib. 2. Annal.

b *Parvis peccatis veniam, magnis severitatem commendare; nec pœna semper, sed sæpius pœnitentia contentus esse*. Ibidem in vita Agric.

præsentant; alias diu firma non consistet columna a Reipublicæ. Vbi semel audacia illa invaluerit, paulatim corrodet eam contemptus, & diruet. Præcipuum Monarchiæ Hispanicæ fundamentum, & quod eam tantopere evexit, ac etiamnum tuetur, est inviolata illa Iustitiæ custodia, & rigor, quo Reges sanctissime semper curarunt, ut in honore & pretio ab omnibus haberetur. Nulla illius violatio toleratur impune, quantumvis magna sit delinquentis dignitas vel auctoritas. Cordubæ Iudex quidam aulicus ex mandato Regis Ferdinandi Catholici in delictum aliquod inquirebat, quem cum deinde Marchio de Puego conjecisset in vincula, b tantopere offensus fuit Rex, ut tot insignia obsequia totius familiæ istius de Corduba, impedire non potuerint, quin acriter & severe in eum animadverteret, postquam se totum manibus ejus regiis permisisset, hortatu Magni Ducis, qui probe perspectam habens delicti gravitatem, quæ veniam non mereretur, & Regis constantiam in tuenda auctoritate & existimatione justitiæ, & Ministrorum illius, eidem auctor fuerat, ut ad Regis pedes se supplex advolveret: quod si faceret, promittebat fore, ut delictum ea ratione expiaret; sin minus, sciret certo, sibi pereundum.

§. Nec solum punire debet Princeps offensas contra personam suam propriam, aut supremam Majestatem ipso gubernante, factas; sed eas etiam, quæ sub regimine præterito commissæ fuere, tametsi id sub hostium potestate tum fuerit: exempla enim inobedientiæ aut contemptus dissimulata, aut etiam coronata præmiis, periculosa sunt etiam Successoribus. Dignitas semper eadem est, sponsa semper illius, à quo possidetur; quare caussam suam facit, quisquis pro honore ejus sollicitus est, tametsi is ante læsus fuerit. Nullam Princeps post se derelinquere debet memoriam ullius, qui audaciam istam sese opponendi Magistratui impune tulerit. Nam si semel sibi persuaserint subditi, posse sese suam stabilire Fortunam, aut passioni suæ facere satis morte aut offensa Principis, nemini securo vivere licebit. Punitio audaciæ adversus Antecessorem commissæ, Successoris est securitas, & cautio omnibus, ne idem tentare audeant. His rationibus permotus Vitellus interfici jussit, quotquot libellos supplices illi obtulerant; quibus mercedem flagitabant præstitæ operæ in occisione c Galbæ. Vt quisquis alios habet, sic vicissim haberi solet. Dum Iulius Cæsar præciperet, ut Pompei statuæ erigerentur, firmavit suas. Nisi conspirent Principes contra contemptum & infidelitatem, & auctoritas periclitabitur, & fidelitas.

§. Quando in casibus delicti par est omnium conditio, conniveant

a *Hanc P. C. curam sustinet Princeps, hac omnia fundit Remp. trahet.* Tac. l. 3. Ann.

b Mar. hist. Hisp. l. 29. c. 13.

c *Non honor Galba, sed tradito Principibus more, munimentum ad præsens, in posterum ultionem.* Tac. lib. 1. Hist.

niveant Reges cum aliis, alios *a* puniant: nihil enim eos magis reddet invisos, quam ista æqualitas. Vnde Ægyptii paritatem, quæ servanda est in justitia, per pennas Struthionis significabant ex utraque parte æquales.

§. Magna Principis prudentia est, eo uti castigationis genere, ut cum minori delinquentis damno expietur culpa, & offensa facta Reipublicæ. Turbabant Galæciam Viri quidam Nobiles, & tametsi capitis rei essent, accersivit eos ad se Rex Ferdinandus IV. *b* & in muneribus militaribus occupavit; quo factum, ut nonnullos castigaret hostis, alios belli asperitas, & labores, atque ita provincia illa quieti pristinæ restitueretur.

§. Quemadmodum Pacis tempore prosunt quam plurimum Iustitia & Clementia, ita in bello præmiũ & pœna: quia grandia ibi pericula, quæ sine spe magna superari non solent, nec solo metu licentia morum & dissolutio coërceri possunt. *c* *E sin todo esto* (ajebat Rex Alphonsus Sapiens) *son mas dañosos los yerros, que los Omes fazen en la guerra, ca assaz abonda à los que en ella andan de averse de guardar del daño de los enemigos, quanto mas del, que les viene por culpa de los suyos mesmos?* Ea propter Romani diversis pœnarum & infamiæ generibus afficiebant milites, qui officio suo deessent, aut in periculis, aut in disciplina militari; quo fiebat, ut punitionem magis, quam hostem metuerent, mallentque in prælio gloriosam mortem oppetere, quam honoris postea aut vitæ facere jacturam cum ignominia perpetua. Nemo istis temporibus signa sua turpi fuga audebat deserere, quia nusquam in Imperio securus degere poterat. Hoc nostro tempore milites fugitivi non solum non puniuntur ad patrios reversi Lares; sed pugnæ etiam se subducentes, Milano Neapolim abeunt, & tanquam sub alio Principe hactenus meruissent stipendia, cum insigni damno tam obsequiorum suæ Majestatis, quam factorum sumptuum, in Regis militiam denuo adscribuntur. Qua in re Vice-Regibus, vellem, ante oculos propositum esset exemplum Romani Senatus, qui tametsi post prælium Cannense vel maxime egeret copiis, induci tamen nunquam potuit, ut sex illa Romanorum millia, quæ Hannibal offerebat, redimeret, parum iis tribuendum ratus, qui si gloriosam mortem voluissent occumbere, non cum infamia capi se permisissent.

§. Errata Ducum per ignorantiam commissa dissimulanda sunt potius, quam punienda, ne pœnæ aut reprehensionis metus eos reddat timidiores. Accedit, quod insignis etiam prudentia in casibus bellicis falli quandoque soleat; unde misericordia digni sunt magis, quam castigatione. Varro ad Cannas victus fuerat prælio, & Romam redeunti Senatus obviã processit, gratias acturus, quod in tanta clade non penitus rem omnem desperasset.

§. Si

a *Cavendum est, ne iisdem de causis alii plectantur, alii ne appellentur quidem.* Cic. de offic.

b Mar. hist. Hisp. l. 15. c. 9.

c In Proh. tt. 38. p. 2.

§. Si quando dissimulare non licet, sed omnino exercenda justitia, animo prompto id fiat & forti. Qui in occulto eam exequitur, Sicario similior est, quam Principi. Qui suam ipse auctoritatem, quam habet à Corona, arctat & constringit, aut de potestate sua, aut suis meritis dubitat. E diffidentia, qua Princeps sibi ipse in agendo diffidit, contemptio nascitur apud populum, cujus talis fere est opinio (ut alibi diximus) qualem Princeps de se ipse concipit. Perdidit existimationem suam apud subditos Rex Alphonsus Sapiens, *a* quando justitiam secreto exercere visus est. Tunc expediret fortasse, cum ea est perturbatio temporum, ut majora timeantur pericula, nisi punitos ante videat populus, quam comprehensos seditionis auctores. *b* Ita *Tiberius pœnam* servi *illius*, qui Agrippam se finxerat, *palam non ausus, in secreta palatii parte interfici jussit, corpusque clam auferri.* In aliis casibus fortiter Princeps suo fungatur officio, quod Dei & populi nomine sustinet. Iustitia namque fuit, quæ sceptrum illi in manus dedit, & porro conservatura est. Illa mens est Dei: harmonia Reipub. & Majestatis præsidium. Meminerint tamen Principes in locum Patrumfamilias se successisse, immo revera tales esse adhuc ratione subditorum, proindeque Iustitiam Clementia temperent. Oportet, ut bibant peccata populi, quod Deus S. Petro significavit per vas illud animalium immundorum cælitus demissum, è quo comedere *c* illum jussit. Struthionis stomachum Princeps habeat oportet, tam misericordia calidum, ut ferrum digerat; & simul Aquila sit cum Iustitiæ fulmine, quæ feriendo unum, multis minitetur. Si omnes, qui delinquunt, puniendi forent, nemo superesset, cui Princeps imperaret: *d vix enim quisquam adeo mali expers, ut non aliquam mortem mereatur.* *e* Ca *como quier* (verba sunt Alphonsi Regis) *que la Iusticia es muy buena cosa en si, e deque debe el Rey siempre usar: con todo eso faze se muy cruel, quando a las vegadas no es templada con Misericordia.* Non minus periculi est Coronæ, vitæ & Statibus à justitia, si extrema illa sit, quam ab injustitia, Rex Ioannes II. exemplo sit, qui quod plus æquo severus esset, valde se populo invisum reddidit: & Rex Petrus Crudelis regno pariter, & vita propterea exutus fuit. Nexis semper manibus incedant Iustitia & Clementia, copulatæ inter se quasi partes sint unius ejusdemque corporis, nec unquam una istarum aliter uti liceat, quam ut ne offendatur altera. Hac reor de causa non dedit Deus gladium igneum, (quo paradisus custoditur) in manus Seraphino alicui, qui totus amor est & misericordia; sed Cherubino, spiritui scientiæ, qui melius nosset Iustitiam cum Clementia

a Mar. hist. Hisp. l. 12. c. 6.
b Tacit. lib. 2. Annal.

c *In quo erant omnia quadrupedia, & serpentia terræ, & volatilia cœli: & facta est vox ad eum: Surge Petre, occide & manduca.* Actor. 10. 12.
d Tacit. lib. 2. Annal.
e Lib. 2. tt. 10. p. 2.

tia *a* temperare. Nihil perniciosius Principe, ultra quam par est, clemente. Nervæ temporibus dici solebat, pejus esse Principi subjici, qui omnia, quam qui nihil permitteret. Quare haud minus crudelis est, qui omnibus veniam dat, quam qui nemini. Nec minus noxia est Populo clementia nimia quam *b* crudelitas, & gravius interdum impunitate & indulgentia peccatur, quam ipso delicto. Nimiam etiam audaciam sumit Malitia, cum veniam sibi pollicetur. Æque cruentum fuit Regis Henrici Quarti imperium ob nimiam ejus Clementiam (nisi tamen omissio dicenda sit potius) quam illud Regis Petri, cognomento Crudelis, ob ejusdem immanitatem, Clementia, & Severitas, illa effusa; hæc moderata, amari *c* faciunt Principem. Qui ita dextre & prudenter virtutes istas miscere noverit, in gubernatione errare non poterit, immo tota illa suavis quidam concentus erit, & harmonia, sicut quæ ex sonis acuto & gravi inter se contemperatis *d* conficitur. Cœlum fruges procreat roris sui benignitate, & rigore pruinæ ac nivium tutatur eas, & altioribus defigit radicibus. Si Deus clemens non esset, vereretur illum quidem timor, at non observaret cultus. Vtraque virtus & timeri eum facit, & amari. Ideo Rex Alphonsus Aragonius dicere solebat: *Iustitiæ beneficio probos mihi devincio; Clementia improbos.* Vna ad timorem impellit; altera ad amorem obligat. Confidentia veniæ audaces facit Subditos, & Clementia nimia parit contemptũ, gignit irreverentiam, & pessundat Respublicas.

a *Collocavit ante Paradisum voluptatis Cherubin, & flammeum gladium.* Gen. 3. 24.

b *Feliciores enim sunt improbi, supplicia luentes, quam si eos nulla justitiæ pœna coërceat.* Boet. lib. 4. Phil.

c *Mirumque amorem assecutus erat effusæ clementiæ, modicus severitate.* Tacit. lib. 6. Annal.

d *Misericordiam & judicium cantabo tibi Domine.* Psal. 100. 1.

SYMBOLVM XXIII.

NVlli Alchimistæ majores, quam Principes, qui rebus pretium ponunt, quod de se non habent, hoc ipso, quod eas in virtutis *a* præmium proponant aliis. Invenerunt Romani Coronas varias, Murales, Civiles & Navales, ut rerum fortiter & cum laude gestarum gloriosa essent insignia: & licuit hæc ex ipsius naturæ sinu & thesauro depromere, quæ gramen, palmas & lauros affatim suppeditabat, unde sine sumptu coronas illas contexerent. Non suffecissent æraria ad remuneranda obsequia, nisi excogitatum fuisset politicum illud coronarum inventum, quæ præmii loco donatæ in publicum fortitudinis testimonium, pluris etiam, quam ipsum aurum argentumque æstimabantur: nam ultro sese milites ad labores & pericula

a *Imperator aliquando torquibus, murali, & civica donat: quid habet per se corona pretiosum, quid prætexta, quid fasces, quid tribunal, quid currus? nihil horum honor est, sed honoris insigne.* Sen. l. 1. de ben.



cura offerebant, ut iis potiundi daretur occasio. Eodem plane consilio Hispaniæ Reges fundarunt Religiones militares, quarum insignia non solius Nobilitatis, sed virtutis etiam essent indicium. Atque adeo ante omnia danda est opera, ut ejusmodi præmia porro habeantur in pretio; quod fiet, si magna habita ratione meritorum conferantur. Enimvero in tantum æstimari solent, in quantum notæ sunt Nobilitatis & fortitudinis. Quod si absque delectu & discrimine ea instituetur distributio, vilescent paulatim & contemnentur, & poterit Arminius, jure merito ridere fratrem suum Flavium (qui Romanam sequebatur factionem,) quod

cum

cum oculum perdidiſſet in prælio, a *torquem, coronam, aliaque militaria dona memoraret, vilia ſervitii præmia.* Probe intelligebant Romani; quanti ad commune bonum intereſſet, æſtimationem præmiorum iſtorum in hominum animis conſervari; ideo de dotibus, quibus inſtructum eſſe oporteret militem, ut coronam è quercu commereri poſſet, cum Tiberio Imper. conſultatum fuit. In inſignibus S. Iacobi (præſentis Emblematis icone) multę exprimuntur dotes, quas ante conſiderare oportet, quam præmii loco tribuantur. Nam imprimis ſupra concham efformantur, quæ à mari procreatur, nata inter fluctus, & ad labores facta, in cujus candido ſinu reſplendet unio, ob puritatem ſuam, & quia de rore cœli concipitur, Virtutis ac Nobilitatis Symbolum. Si inſignia iſta infantibus in cunis conferentur, aut iis, qui nondum præſtiterunt obſequia, gratia erunt, non præmium. Quis obſequiis ea promereri conabitur, ſi diligentia obtinere poſſit? Pro militia inſtituta fuere, non pro pace; adeoque inter ſolos eos diſtribui oporteret, qui in armis ſuam probaſſent induſtriam, aut quatuor minimum annis ſic meruiſſent ſtipendia, ut digni eſſent centuriis b præfici: quod ſi fieret, plures dubio procul è Nobilitate ad militiam appellerent animum, magiſque artes militares effloreſcerent. *E por ende* c dixit (Alphonſus Rex) *antiguamente los Nobles de Eſpaña, que ſupieron mucho de guerra, como bivieron ſiempre en ella, puſieron ſeñalados gualardones à los que bien fizieſſen.* Hoc quia facere neglexerunt Athenienſes, omnibus fortunis & dignitate expoliati fuere à d Macedonibus. Alexander Severus Imperator, cum probe noſſet referre quam plurimum, ut remunerentur milites, immo fundamentum & ſecuritatem imperii in eo pene conſiſtere, e *aurum & argentum raro cuiquam niſi militi diviſit, nefas eſſe dicens, ut diſpenſator publicus in delectationes ſuas & ſuorum converteret, id quod provinciales dediſſent.*

Reliqua præmia communia ſint omnibus, qui ſeu domi ſeu militiæ florent. In hunc finem opibus, honoribus & muneribus ſceptrum dotatum fuit; nec negata tamen etiam Iuſtitiæ auctoritas, ut hac nimirum Princeps delicta puniat, illis vero Virtutem & animi excelſitatem remuneret. Etenim (uti dixit f Alphonſus Rex) *Bien por bien, e mal por mal recibiendo los Omes, ſegun ſu merecimiento, es Iuſticia, que faze mantener las coſas en buen eſtado.* Rationem infra dat: *Ca dar gualardon à los que bien fazen, es coſa, que conviene mucho à todos los Omes, en que ha bondad, e mayormente à los grandes Señores, que*

a Tacit. lib. 1. Annal.

b *Honoris argumentum non ambitione, ſed labore ad unumquemque convenit pervenire.* l. contra public. C. re mil.

c Lib. 2. tit. 27. p. 2.

d *Tunc vectigal publicum, quo antea milites, & remiges alebantur, cum urbano populo dividi cœptum, quibus rebus effectum eſt, ut inter otia Græcorum, ſordidum & obſcurum antea Macedonum nomen emergeret.* Trog. lib. 6.

e Lamp. in vita Alex.

f Lib. 2. tit. 27. p. 2.

que han poder de lo fazer. Porque en gualardonar los buenos fechos muestrase por conoscido el que lo faze, e otro si por justiciero. Ca la Iusticia no es tan solamente en escarmentar los males, mas aun en dar gualardon por los bienes. E demas desto nasce ende otra pro, ca da voluntad à los buenos, para ser toda via mejores, e à los malos para emendarse. Vbi pœna & præmium deficiunt, ordo Reip. deficit, quia spiritus sunt, qui eam conservat, alit ac fovet. Sine neutro illorum diu salva non posset consistere: nam spes præmii ad cultum obligat; metus autem pœnæ ad obedientiam, vel invita etiam naturali libertate servituti opposita. Hinc antiqui Imperium Symbolicos per flagellum significabant, ut in Monetis quibusdam Consularibus videre est, & dominationis Augusti prognosticon fuit, cum Cicero per quietem vidisset flagellum ei à Iove porrigi, interpretatus hoc omine Romanum ei portendi Imperium, quod pœnæ & præmii beneficio crevisset hactenus, & stetisset. Quis à vitiis se abstineret, si pœna non esset? Quis caput suum periculis objiceret, si præmium sperare non liceret? Solon Rempublicam duabus rebus contineri dixit, Præmio & Pœna. Binos in mundo Deos esse, dicebat Democritus, Pœnam & Beneficium, persuasus nempe, absque his eum gubernari non posse. Hi duo poli sunt orbium Magistratus: duo Reip. luminaria, quæ si deficerent, obscuris illa immergeretur tenebris. Duo ista solium *a* Principum sustentant. Ideo mandabat Ezechiel Regi, ut Coronam, aliaq; insignia Regia deponeret, quod iis indignus videretur, qui præmia cum *b* justitia non distribueret. Dum Princeps agnoscit merita, præmium agnoscit: referuntur enim ad se invicem, & nisi illud largiatur, injustus est. Hanc Præmii Pœnæque utilitatem non bene expenderunt Legum latores & Iurisconsulti, qui toti fuere in solis pœnis & suppliciis statuendis, Præmiorum vero vix uspiam meminerunt. Majorem ejus rei rationem habuit Sapientissimus Legislator in libro suarum legum, quem Hispano idiomate *c Partidas* inscribit: ut enim utrumque conjungeret, peculiarem posuit titulum de Præmiis.

§. Cum ergo tam necessaria sint Principi Pœna & Præmium, ut sine hoc æquilibrio per gubernationis funem secure incedere nequeat, magna utiq; consideratione est opus, ut iis recte utatur. Ea de causa colligati erant Lictorum fasces; coronæ vero, cum è viridibus foliis fierent, quæ cito marcescunt, post obtentam victoriam primum texebantur; ut interim, dum dissolverentur illi, & hæ necterentur, inter delinquendum & puniendum, merendum & præmiandum temporis aliquid intercederet, & merita atque delicta rite expendi possent. Præmia inconsiderate collata gratiarum actionem vix merentur. Cito

a *Iustitia firmatur solium.* Prov. 16, 12.

b *Aufer cidarim, tolle coronam: Nonne hæc est, quæ humilem sublevavit, & sublimem humiliavit?* Ezech. 21. 26.

c Lib. 5. tit. 1. p. 1.

Cito facti eum pœnitet, qui temere largitur aliis, nec virtus secura est ab eo, qui tam in pœnis est præceps. Si in his procedatur ultra limites, excusat Populus delictum in Severitatis odium. Si idem præmium Virtuti tribuatur & Vitio, illa injuriam, hoc vero robur accipit. Si uni (ubi paria sunt merita) majus Præmium detur, quam alteri, invidia hic stimulabitur, & ingratum se præbebit: invidia enim & gratitudo circa unam eandemque rem in una simul sede morari non possunt. Attamen illud etiam considerandum, quomodo Præmium, & Pœnam dispensare oporteat: differri tam diu non debent, ut Præmia tanquam desperata vilescant, aut pœnæ deberi desinant, temporis diuturnitate jam compensatæ, aut quia nunc ad aliorum exemplum utiles non sunt; eo quod nulla amplius delicti supersit memoria. Rex Alphonsus Sapiens è Seren. Vestræ Progenitoribus magno cum judicio Posteros suos admonuit, quomodo in Præmiis & Pœnis gerere se deberent, cum dixit: *Que era menester temperamiento, asi como fazer bien do conviene, e como, e quando; e otro si en saber refrenar el mal, e tollerlo, e escarmentarlo en los tiempos, e en las sazones, que es menester, catando los fechos, quales son, e quien los faze, e de que manera, e en quales largares. E con estas dos cosas se endereza el mundo, faciendo bien à los, que bien fazen, è dando pena, e escarmiento à los, que la merezen.*

§. Expediet nonnunquam differre præmiorum distributionem, ne ex justitia deberi videantur, & ut interim, qui ea expectant, spe ista erecti, majori cum studio præstent obsequia; nec ullam mercem pretio meliori emi crediderim, quam quæ Præmiorum expectatione emitur. Et certe magis ad serviendum allicit spes futuri, quam præmii accepti memoria Atque hinc facile apparet, quam noxiæ sint successiones futuræ in muneribus publicis & præmiis; id quod expendebat Tiberius, cum sese Gallo opponeret contendenti, ut quinto quoque anno nominarentur Candidati, qui successuri essent in legationibus legionum, & Præturis: ita enim fore dicebat, ut obsequia & industria aliorum plane *a* desinerent. Qua in re non istud solum damnum ponderavit Tiberius, sed etiam quod occasionem perderet gratiæ faciendæ, in quo dominatus sui vires consistere *b* autumabat. *Atque ita favorabili in speciem oratione, vim imperii retinuit.* Qui gratia in aulis valent, incerti quam potentia eorum futura sit diuturna, animum advertere haud solent ad incommodum istud successionum futurarum, ut ex iis actiones suas moderentur: hoc enim spectant solum, ut Principis potestatem imminuant, & à Candidatorum importunitate sese liberent.

Cum

a *Subverti leges, quæ sua spatia, exercendæ Candidatorum industriæ, quærendisque aut potiundis honoribus statuerint.* Tacit. l.2. Annal.

b *Haud dubium erat, eam sententiam altius penetrare, & arcana imperii tentari,* idem, l.2, Annal.

Cum Princeps veluti cor sit sui status (quemadmodum *a* Rex Alphonsus dicere solebat) per illum utique vitales spiritus opum & præmiorum in membra alia dispertiri oportet. Etiam quod longissime abest, tametsi Principis præsentia destitutum sit, ejus tamen favoribus fruitur. Isthæc consideratio perraro apud Principes locum invenit. Plerique omnes solos eos afficiunt præmiis, quos præsentes vident, victi importunitate petentium, aut domesticorum adulatione, aut quia ad negandum desit animus. Et sicut fluvii non nisi solum, quod alluunt, madefaciunt: ita illi solos præsentes, quos ante oculos habent, gratiis & beneficiis cumulant, nec cogitant, quod Ministri absentes innumeris cum laboribus & periculis dignitatem eorum tueantur, & faciant, quod per se ipsi non possunt. Gratiæ omnes in eos conferuntur, qui in Palatio & aula versantur. Illa obsequia æstimantur solum, quæ moschum redolent, non ea, quæ pulvere respersa sunt & sanguine: ea, quæ oculis usurpantur, non quæ hauriuntur auribus: tum quia assentatio facilius oculos capit, quam aures; tum etiam, quia mox animum titillat inanis gloria ex submissione præsenti, & gratitudinis indiciis. Eam ob rem in aulis servire, lucrum est potius, quam meritum: ambitio potius, quam zelus: magis commoditas, quàm molestia aut labor. Splendor, qui sibi ipsi satisfacit. Qui absens obsequia præstat, approbationes & plausus promereri poterit, non gratias & beneficia. Vivet spe & inanibus promissis lactatus, morietur vero cum desperatione inglorius. Illud remedium est, ut hi tales per intervalla ad aulam revisant: nullæ enim literæ aut libelli supplices, tam ad persuadendum efficaces sunt, quam præsentia. Spe sola & expectatione haustra & canales non implentur, nisi in ipsas etiam aulæ aquas demergantur. Præsentia Principum fœcunda est, sicut & Solis. Præsente hoc florent, absente marcescunt & exarèscunt omnia. Ei, qui sub arbore consistit, fructus in manus decidunt. Hinc est, quod bene multi ad aulas aspirent, & absentiâ detrectent munera, ubi tamen vel maxime Princeps Ministris suis indiget. Occurri huic malo poterit, si illicium præmiorum projiciatur longius, ut nimirum ibi dispensentur, ubi præcessere merita, non ubi petuntur præmia, absque eo, quod aut libellis supplicibus, aut importunitate præsentiæ opus sit. Theodoricus *b* Italiæ Rex absentes solabatur, dicendo se ex aula sua eorum intueri obsequia, & discernere merita; & Plinius de Trajano testabatur: c *facilius esse, ut oculis ejus vultus absentis, quam animo charitas*, qua in illum ferretur, *excideret.*

§. Isthoc tamen consilium,

a Ibid. ſ. Lib. 3. tt. 1. p. 2.

b *Abunde cognoscetur, quisquis fama tesie laudatur: quapropter longissime constitutum mentis nostræ oculus serenus inspexit, & vidit meritum.* Cassiod. lib. 9. c. 22.

c Plin. in Pan.

ut ſcilicet Miniſtri abſentes interdum ad aulas accedant, in effectum deduci ſic poterit, non miſſionem ab officiis flagitando, ſed iis retentis, adducendo varias rationes, quibus facultatem impetrent ad tempus aliquod Principi ſuo coram ſe ſiſtendi. Ibi enim curare poterunt melius, quod ſperant, retinendo tantiſper, quod Princeps in alium conferre poſſit. Multi aut ſuo male contenti officio, aut majoris alicujus ambitioſe cupidi, illo ſe abdicarunt, quos facti pœnituit poſtea, cum ſpes ſuas & cogitationes viderent cadere irritas; Principes enim illud pro contemptu habent, & quaſi violentiam interpretantur. Nemo quiſquam ſibi, aut ingenii ſui viribus tantum tribuat, ut exiſtimet, Principem ſine ipſo vivere non poſſe: nunquam enim inſtrumenta deſunt pro obſequiis Principum, & ſpreti ſemel ſæpe etiam Miniſtrorum præcipuorum obliviſci ſolent. Atque hæc omnia iis ſolum dico, qui publica ambiunt munera; non iis, qui cognita vanitate, ad vitam ſolitariam & privatam adſpirant. Hoc tamen iis conſiderandum relinquo, magnos animos à Natura ad imperandum factos, non ſemper in ſolitudine & receſſu eam reperire quietem, quam ſibi pollicebantur, & poſtquam eo uſque proceſſiſſe ſe vident, ut mutare amplius non liceat, vivunt, moriunturque infelices.

5. In Gratiis & Præmiis captandis plurimum Modeſtia poteſt, & Prudentia cum quadam dexteritate, ut id fieri potius videatur ad præſtanda meliora obſequia, quam ad exhauriendam Principis liberalitatem; illud quippe eundem magis adhuc obligat, ut in Deo videre fuit, quando Salomon nil ab eo petebat aliud, quam cor docile: neque enim hoc ſolum largitus eſt, ſed divitias *a* etiam & gloriam. Ad hæc peti non debent, quaſi ex Iuſtitia: nam Virtus ſibi ipſa pulcherrimum & ampliſſimum præmium eſt; & quamvis merito illi deferatur aliquid, hoc tamen ex gratia Principis dependet, maluntque omnes, ſibi acceptum referri potius, quam quaſi ex merito eſſet. Vnde porro fit, ut Principes promptiores fere ſint, ad large & liberaliter remuneranda obſequia exigua; majora vero parcius, quia plus gratitudinis ab illis ſibi pollicentur, quam iſtis. Quare qui multas gratias à Principe abſtulit, majores indies ſperare poterit: nam largitas ſemel exhibita ad ulteriora provocat beneficia; præterquam quod mavelit Princeps alium agnoſcere debitorem, quam ſeſe talem fateri: hoc enim ipſi minus honorificum eſt. Ludovicus XI. Galliæ Rex dixiſſe fertur, magis ſe erga eum affici, qui pro obſequiis exiguis magna accepiſſet beneficia, quam erga aliquos alios, qui cum longe majora præ-

a Sed & hæc, quæ non poſtulaſti, dedi tibi, divitias ſcilicet, & gloriam, ut nemo fuerit ſimilis tui in Regibus cunctis retro diebus. 3 Reg. 3. 13.

præstitissent, perparum tamen remunerationis fuissent consecuti. Theodoricus Imperator, ex ambitione oriri ajebat, quod gratiæ alicui exhibitæ mox germinarent, absque eo, quod conferenti crearent fastidium; immo eum provocarent ad majora ei largienda, cui jam semel favorem suum cœpisset *a* impendere. Exemplum est in iis, qui Principi præ cæteris chari sunt: erga hos enim gratia & liberalitas Principis pæne obstinationis quædam species est.

a *Amamus nostra beneficia germinare, nec semel præstat largitas collata fastidium; magisque nos provocant ad frequens præmium, qui initia nostræ gratiæ suscipere meruerunt: novis enim judicium impenditur, favor autem semel placitis exhibetur.* Cass. l. 2. ep. 2.

SYMBOLVM XXIV.

TAmetsi (ut ostensum est hactenus) Iustitia Legibus armata, Præmium item ac Pœna, columnæ sint Reipublicæ molem sustentantes; columnæ tamen erunt in aëre, nisi basi Religionis, quæ Legum est vinculum, innitantur. Enimvero Iustitiæ jurisdictio solos externos actus complectitur legitime probatos; occulti vero & interni ad forum illius non pertinent. In sola corpora auctoritatem habet, non in animos; adeoque magnopere pœnam pertimesceret Malitia, si occulte injurias, adulteria, & rapinas exercendo cupiditati suæ indulgere posset; immo illuderet Legibus, si Lex alia invisibilis non esset, quæ intus, & in animo male agenti minas intentaret. Tam necessarius est in Republica timor iste, ut multis impiis Religio non nisi inventum videatur politicum. Quis absque eo egestate sua & sorte contentus viveret; quæ in pactis & conventis foret fides? quæ in administrandis bonis integritas? quæ fidelitas in muneribus atque officiis? quæ securitas vitæ? Paucos Præmium alliceret, si mediis occultis illud assequi contingeret, nulla habita injustitiæ ratione. Pauci eximia virtutis specie caperentur, nisi immarcessibilem sperantes Coronam potius, quam illam temporariam, strictis continentiæ legibus sese finerent obligari. Mox ordinem Reipublicæ turbarent vitia, sublato jam fine principali felicitatis, quæ in virtute consistit, & fundamento illo ac propugnaculo Religionis, quæ sustentat Magistratum ac tuetur, nisi in animum suum inducerent cives, aliud supremum esse tribunal pro solis mentis cogitatis, quæ vel suppliciis æternis puniet, vel bonis immortalibus munerabit. Spes isthæc & metus à Natura cuivis, quantumvis impio ac barbaro, indita, componunt



hominum actiones. Cajus Caligula Deos irridebat; dum tamen cœlum tonaret, aliam agnoſcebat potentiorem manum, à qua caſtigari poſſet. Nemo eſt, qui eam ignoret; neque ullum cor humanum, quod divino illo Magnete tactum ſe non ſentiat: & ſicut acus nautica ex cognatione quadam Naturæ & conſenſu, quam συμπάθειαν Græci vocant, in perpetuo motu eſt, donec ſeſe firmet ad lucem ſtellæ illius polaris, circa quam volvuntur cœleſtes orbes: ita nobis quietis vivere non licet, donec agnoſcamus & veneremur increatum illud Sidus, in quo vera eſt requies, & unde rerum omnium motus proficiſcitur. Ecquis magis eo intendere debet oculos, quam Princeps, qui Na-

yas

varchi instar Rempublicam moderatur, ut salvam in portu sistat? neque sufficit, quod respicere illud se simulet, si astra alia vana & nebulosa contueatur; sic enim deerrabit à via, Reipublicæ navim in Syrtes & scopulos allidet; & naufragium faciet. Populus in opiniones dispares. primum, deinde in diversa trahetur voluntatum studia, unde seditiones orientur & conspirationes, ex his denique mutationes Rerumpublicarum & dominatuum. *a* Plures Principes dissensionibus in Religione periisse vidimus, quam armis *b* Eam ob rem Concilium Toletanum VI. sapientissime ordinavit, ut nemini Coronæ possessionem adire liceret, nisi prius dato jurejurando adpromitteret, nullum sese in regno suo toleraturum, qui veræ & orthodoxæ fidei mysteriis rite imbutus non esset. Hispania quieta esse non potuit, donec errores Arrii deponeret, & omnes Religionem Catholicam amplecterentur. A quo tempore tam bene fuit universo Populo, ut cum postea Rex Wetericus eandem sectam postliminio conaretur denuo introducere, intra ipsum palatium miserrime fuerit trucidatus. Verum non obstantibus quam plurimis exemplis similibus & experientiis, fuit nonnemo, qui impie docere ausus est Principem, posse eum pro libitu Religionem aut dissimulare, aut fingere. Qui eam fingit, nullam omnino credit. Et si ejusmodi fictio artificium quoddam est politicum, ad copulandos animos, & tuendam Rempublicam, multo id præstabit melius vera Religio, quam falsa: hæc enim caduca est, illa æterna, & immortalis.

Multa Imperia fundata in Religionibus falsis, sed ab ignorantia profectis, longo tempore Deus conservavit, remunerando isthac ratione virtutes quasdam eorum morales, aut cultum cœcum, & victimas barbaras, quibus ipsum inquirebant; non quod hæ illi gratæ essent, sed ob religiosam simplicitatem, qua eas interdum offerebant. Nunquam tamen ea Imperia diu fovit, quæ magis ex malitia, aut arte, quam ex ignorantia, Religionem dissimularent. S. Isidorus moriens vaticinatus est Nationi Hispanicæ, fore ut, si à vera Religione ipsa descisceret, opprimeretur ab hostibus; sin in ea constans persisteret, contra supra omnes Nationes alias evectum iri: id quod reipsa evenit in durissimo Arrianorum jugo, *c* quo opprimi cœpit Hispania, ex quo Rex Witiza Summo Pontifici obedientiam præstare recusavit; ex eo enim tempore libertas cultus, & vitiorum licentia quietem publicam perturbarunt, & periit militare robur: quæ res illi ipsi Regi, ejusque filiis, ac Regno graves calamitates attulit; donec domita tandem & castigata *d* Hispania errores suos agnosceret, & Numen cœleste experiretur iterum propitium in exigua illa Christianorum manu,

a Mar. hist. Hisp. lib. 6. c. 6.
b Concil. Tolet. c. 3.
c Mar. hist. Hisp. lib. 6. c. 19.
d Idem hist. Hisp. lib. 7. c. 2.

eum qua in Ausenæ montis speluncam, cui nomen de Covalonga, Pelagius sese receperat, ubi sagittæ & lapides missi à Mauris insigni miraculo reflecti in ipsos jacientes visi sunt, eosque magno numero vulnerare & sternere. Atque ex eo tempore paulatim sese rursum erigere cœpit Monarchia illa, & assurrexit (quanquam post longam annorum seriem) ad eam amplitudinem, qua etiamnum hodie fruitur in præmium Constantiæ suæ in Religione Catholica.

§. Cum itaque Religio sit anima Rerumpublicarum, omni studio ad eam conservandam incumbere debet Princeps. Primævus spiritus, quem illis instillarunt Romulus, Numa, Lycurgus, & alii, qui eas instituerunt, & erexerunt. Religio *a* fuit: hæc enim magis, quam ipsa necessitas copulat animos, Imperii Romani moderatores Tiberius & Adrianus, proscriptis Religionibus peregrinis dederunt operam unice, ut propriam sartam tectam conservarent, quomodo & fecere Theodosius, & Constantinus, sancitis edictis & pœnis contra eos, qui à fide Catholica deficerent. Reges Ferdinandus & Isabella nunquam aliud Religionis exercitium tolerarunt; qua in re laudabilis fuit constantia Philippi II. ejusque Successorum, qui nunquam induci se passi sunt, ut ad componendas seditiones in provinciis Belgicis, conscientiæ libertatem concederent, tametsi hac ratione dominia illa integra conservare potuissent, & tot parcere sumptibus, quos in bellum impendere opus fuit. Pluris scilicet Dei honorem & gloriam æstimarunt, quam felicitatem suam propriam, secuti exemplum Iovii Flaviani, qui cum ab exercitu Imperator acclamaretur, Imperium acceptare noluit, dicens, Christianum se esse, nec decere, ut Imperator sit eorum, qui Christiani non essent: qua in sententia ita perstitit, ut donec milites omnes promitterent, Christi fidem se amplexuros, Coronam non admitteret. Quanquam hanc tam constantem pietatem etiam à suis Majoribus hæreditare potuerit, cum idem illud de Rege Recesvintho, *b* Concilium Toletanum VIII. memoret. Ea in re insigne pietatis exemplum Serenitati Vestræ Filio suo præbuit Parens gloriosissimus Philippus IV. Cum enim post suscepta regni gubernacula in consilio ageretur de continuandis cum Batavis induciis, quo Consiliarii quidam vehementer propendebant, è ratione status esse arbitrati, ne aut bellum susciperet, aut in principio susceptæ gubernationis quicquam immutaret, mox sese illis opposuit, dicendo: *Nolle se hanc nomini suo notam inurere, ut vel horam unam*

a *Omnium primum, rem ad multitudinem imperitam efficacissimam, Deorum metum injiciendum ratus.* Livius.

b *Ob hoc regni sui apicem à Deo solidari præoptaret, si Catholicæ fidei pereuntium turmas acquireret, indignum reputans Catholicæ fidei Principem sacrilegis imperare.* Conc. Tolet. VIII. c. 11.

nam Pacem servaret cum iis, qui Deo & Coronæ suæ rebelles essent; atque inducias rupit illico.

5. Propter ardentissimum hunc zelum, & constantiam in Religione Catholica promeruere Reges Hispaniæ titulum Catholicorum, qui primum Recaredo datus fuit; uti & Christianissimorum (longe etiam antequam Regibus Franciæ) *a* in Concilio Toletano Tertio, & Barcinonensi, quem titulum conservarunt Reges Sisebutus, & Ervigius, licet posteri eorum eundem deseruerint, donec Catholici titulum assumpserit denuo Rex Alphonsus Primus, ut sese ab Hæreticis & Schismaticis secerneret.

6. Etsi vero ad Regum officium spectat, tueri in regnis suis Religionem, & verum Dei cultum promovere, tanquam qui Vicarii ejus sint in temporalibus, ut gubernationem ad majorem ipsius gloriam, & subditorum incolumitatem dirigant; illud tamen sciant oportet, non posse sese de cultu & controversiis Religionis decidere: hæc enim cura ad Caput Ecclesiæ Spirituale directe pertinet, cui soli hanc potestatem concessit Christus: Regibus sola executio, custodia, & defensio committitur eorum, quæ ab ipso decreta & ordinata fuerint. Oziam *b* Regem graviter increpabant Sacerdotes, & severe castigabat Deus, quod incensum adolevisset: cultum divinum in toto orbe Christiano uniformem esse, & unam eandemque in omnibus partibus Sponsam, illud est, quod ejus puritatem conservat. Brevi nos deficiet Veritas, si unicuique Principum eam rationibus suis ac finibus accommodare liceat. In iis Provinciis ac Regnis, ubi attentatum hoc fuit, vix hodie Religionis vestigium superest, ita ut populus miserandum in modum confusus plane nesciat, quænam vera sit Religio. Distinctæ inter se jurisdictiones sunt, Spiritualis & Temporalis. Hæc illius auctoritate ornatur; illa vero hujus se tuetur potestate. Obedientia heroica est, quæ ultro sese submittit Vicario illius, qui sceptra largitur, & adimit. Glorientur in eo licet Reges, quod Statutis patriæ subjecti non sint, aut Legibus alienis; attamen decretis Apostolicis parere eos oportet. Quin teneri se sciant, ut robur iis dent, & sancte in Regnis suis servari faciant: præsertim, quando non solum ad bonum spirituale, sed etiam temporale ita expedit, ut quod sacra concilia decrevere, mandetur executioni; neque permittant, ut ob fines quosdam particulares, decreta eorum violet aliquis, aut perturbet in damnum & præjudicium subditorum, & ipsiusmet Religionis.

a Conc. Tolet. II. Ioann. Biel. in chron. Roder. Tol. l. 2.

b *Non est tui officii Ozia, ut adoleas incensum Domino, sed sacerdotum.* 2 Par. c. 26.

SYMBOLVM XXV.



SVpra turrim templi nidum suum Ciconia construit, & loci sanctitate successionem suam reddit securiorem. Princeps, qui triangulari Ecclesiæ lapidi Monarchiæ suæ ædificium superstruit, firmabit illud, & stabiliet. Oraculum Delphicum consultum aliquando ab Atheniensibus, qua

qua ratione se contra Xerxem tueri possent, qui cum ingenti classe mille ducentarum triremium illis imminebat, respondisse fertur: tum eos victores fore, si civitatem suam muro ligneo circumdarent. Interpretatus hoc responsum Themistocles, dixit; velle Apollinem, ut cives omnes naves conscenderent; quod ubi factum, evasere superiores, & victoria contra classem tam ingentem potiti sunt. Idem usu veniet Principi, qui Majestatem suam navi Ecclesiæ commiserit: nam si hæc, teste alio Oraculo, non incerto & fabuloso, sed divino & infallibili, submergi non potest, nec ille unquam poterit, qui ea vectus fuerit. Hæc caussa fuit, cur gloriosissimi Majores Serenitatis Vestræ partem spoliorum, quæ hostibus in bello eripuerant, Deo dicare fuerint soliti, tanquam victoriarum Domino, quo in pugnis utebantur propitio, offerendo ad ipsius cultum amplissimos reditus & possessiones, unde ortum habuere innumeræ pene Ecclesiarum *a* dotationes, & fundationes ædium Cathedralium & Cœnobiorum, ita ut in Hispania plusquam septuaginta Templorum millia illi erexerint: inter quos solus Iacobus Primus Aragonius Rex construxit mille, Immaculatæ Virginis Deiparæ honori consecrata, cujus suæ munificentiæ amplissimam tulit remunerationem tot insignibus provinciis, quas in suam redegit potestatem, tot victoriis, quas reportavit. Nam triginta tribus vicibus prælio cum hoste congressus, totidem pariter vicibus felicissime eundem triumphavit. Pia ista opera religiosæ fuerunt Coloniæ, non minus potentes armis suis spiritualibus, quam militares: neque enim tormenta bellica tantum per mœnia patefaciunt aditum, quam ipsa Oratio. Ad septem dierum preces, quibus Populus Israëliticus Dei opem implorabat, muri Ierichuntini *b* conciderе. Melius itaque in Templis, quam in ærariis, divitiæ deponuntur: non pro extrema necessitate solum, verum etiam, ut efflorescente per illas Religione, Imperium una efflorescat. Athenienses thesauros suos asservabant in templo Delphico, cujus custodiæ eos aliæ etiam Nationes committebant. Quæ custodia melior quam illius, qui Regnorum arbiter est? Minimum in Templis cor nostrum erit, si in iis thesauri *c* nostri fuerint. Quare non impium minus, quam imprudens consilium est, sub levissimo necessitatis publicæ prætextu expilare Ecclesias. Providentia divina dignus non est, quisquis potentiæ Dei diffisus, in omni casu mox ad supellectilem domus ipsius adjicit oculos. Regi Ferdinando *d* Sancto Hispalim obsidenti

G 5

a Mar. hist. Hisp. l. 14. c. 2.

b *Igitur omni populo vociferante, & clangentibus tubis, postquam in aures multitudinis vox sonitusque increpuit, muri illico corruerunt.* Ios. 6. 20.

c *Ubi enim est thesaurus tuus, ibi est & cor tuum.* Matt. c. 6. 21.

d Mar. Hist. Hisp.

ſidenti pecunia deerat ad continuandam obſidionem, cumque ſuaderent alii, ut ærarii tenuitatem & inopiam Eccleſiarum theſauris tantiſper ſublevaret, reſpondet ille : *Plus ego mihi de precibus & ſacrificiis Sacerdotum, quam divitiis eorundem polliceor.* Quam pietatem & fiduciam die proxime ſequenti deditione urbis cumulatiſſime Deus compenſavit. *a* Reges alii, qui ſecus fecerunt, graves ſacrilegæ ſuæ audaciæ dedere pœnas. Gundericum Vandalorum Regem S. Vincentii templum ſpoliare parantem, in ipſo templi limine mors repentina oppreſſit. Graves illas calamitates, quibus Rex Alphonſus Aragonius conflictatus fuit, Numinis vindictam plerique interpretabantur, quod ædes ſacras diripuiſſet. Sereniſſima Regina Vraca ad ipſas portas templi S. Iſidori, quod eſt Legione, & in cujus theſauros temere involarat, diem ſupremum obiit. Rex Sanctius Aragonius, quod bonorum Eccleſiæ invaſione manus non ſemel temeraſſet, in obſidione quadam ſagitta ex muro emiſſa ſub axilla confixus interiit. Et tametſi ipſe aliquot annis ante Rotæ in S. Victoriani, ad aram S. Vincentii humillimo corporis habitu, cum gemitu, & lacrymis publice veniam precatus fuiſſet, omnia, quæ ablata fuerant, integra fide reſtituendo, voluit tamen Deus, ut delicti gravitas magis adhuc ex iſta pœna innoteſceret ad exemplum aliorum. Rex Ioannes I. in prœlio ad Aliubarrotam, cæſus fugatuſque fuit cum ſuo exercitu, propter invaſos, ut credebatur, templi Guadulupéi theſauros. Poſtquam Fridericus Rex Neapolitanus Cajetam ad deditionem compulerat, ingreſſi inde Galli *b* binas naves templorum ſpoliis oneraverant ; ſed ambæ (quod pro miraculo habitum) periere.

§. Atque in his omnibus caſibus neceſſitas extrema locum non habuit : in illa ſiquidem recta ratio licitum facit Principibus, ut pro ſui conſervatione uti poſſint iis opibus, quas pia liberalitate in locis ſacris depoſuerunt ; ea tamen lege, ut tantundem ſuo tempore, meliore Fortuna adſpirante, reſtituere parati ſint ; *c* uti fecere Reges Catholici Ferdinandus & Iſabella, obtenta in Parlamento, quod Medinæ Campi coactũ fuir, facultate, ut aurum argentumque Eccleſiarum in neceſſarios belli uſus tantiſper impenderent. Qua in re ſacri Canones, & Concilia certos definiverunt caſus, neceſſitatem item & pericula, in quibus Eccleſiaſtici teneantur ſubſidiis ſuis Rempublicam ſublevare. Et ſane grandis eſſet avaritia, quæ excuſari non poſſet, ſi neceſſitates communes nollent agnoſcere. Quid enim ? Ipſi nobiliſſima & præcipua pars ſunt Reipublicæ, & ſi pro hac & Religione vitam exponere obſtricti ſunt, cur non & ſuas fortunas ? Si eos ſuſtentat & alit

a Mar. hiſt. Hiſp. l. 5. c. 3.

b Mar. hiſt. Hiſp. l. 22. c. 14.
c Idem hiſt. Hiſp. l. 24. c. 1.

alit Respublica, æquum omnino est, ut mutuum vicissim ab illis sperare possit subsidium pro sua conservatione & defensione. Durum erit Populo, decimas semper persolvere, & pia facere opera, si in communi necessitate non sit, qui in oneribus extraordinariis eundem sublevet. Propriam suam pietatem execrabitur, & refrigescet zelus illius & devotio, ne porro novas oblationes, donationes, & legata Ecclesiis faciat. Valde itaque rationi consentaneum est, ut Clerus in ejusmodi casibus reditibus suis impensas publicas adjuvet, non eo solum, quod periculum aut beneficium commune omnibus sit; sed etiam, ne Sæcularium bona & possessiones ita graventur, ut agriculturæ defectu, decimæ quoque, & alia pia opera desinant. Majores opes videntur tempore necessitatis extremæ aurum & argentum Ecclesiarum ductum in laminas in domo monetaria, quam in vasa aut supellectilem sacram in templis.

5. Atque hæc obligatio status Ecclesiastici major est, in necessitatibus gravioribus Regum Hispaniæ: cum enim ab horum pia liberalitate omnes fere fundationes & dotationes Ecclesiarum profectæ sint, tenentur eæ vicissim ex justitia, Patronis suis in necessitate venire subsidio, & sic eosdem obstringere, ut munifici esse pergant alias, ubi tempus & occasio tulerint. Hæ & plures aliæ rationes sacram Sedem Apostolicam impulerunt, ut adeo liberalem sese erga Reges Hispaniæ sæpe præstiterit, concedendo iis usum bonorum Ecclesiæ ad fovenda bella contra Infideles. Gregorius VII. Sanctii Romani Aragoniæ Regis arbitrio permisit decimas & reditus Ecclesiarum, quæ aut recens extructæ fuissent, aut recuperatæ à Mauris, ut de iis pro libitu posset disponere. *a* Quam licentiam etiam fecit Petro I. Aragoniæ Regi, ejusque Successoribus, & Primoribus Regni Vrbanus Papa, exceptis tamen Ecclesiis Residentiæ. Innocentius III. Bullam Cruciatam concessit pro bello Hispaniæ, quod Sacrum vocabant; quam gratiam deinde temporibus Regis Henrici IV. ad vivos pariter, & vita functos extendit Papa Calixtus. Gregorius X. Regi Alphonso Sapienti permisit tertiam decimarum partem, quæ fabricæ destinata erat; quod deinde perpetuum esse cœpit temporibus Regis Ioannis II. & extendit illud Alexander VI. etiam ad Regnum Granatense. Ioannes XXII. decimas redituum Ecclesiasticorum & Cruciatam indulsit Regi Alphonso XI. Vrbanus V. Regi Petro Crudeli tertiam partem decimarum ex beneficiis Ecclesiasticis Castellæ. Pontifici Sixto Quarto placuit, ut Clerus una vice centies mille Ducatos pro bello Granatensi contribueret, & Cruciatam impertiit; quam gratiam deinde plures alii Pontifices prorogarunt. Iulius II. Regi Emanueli Lusitano concessit ter-

a Mar. hist. Hisp. l. 10. c. 2.

tertiam fructuum partem, quæ ad Ecclesiæ fabricam pertinebat, & ut eidem ex reliquis Ecclesiarum reditibus decima eorum pars cederet.

5. Hæc tamen subsidia in necessitatibus, & usus publicos, quibus destinata fuerint, impendi debent; qua in re am religiosa fuit Regina Isabella, a ut cum collectos videret è Bulla cruciata nonaginta milliones, jusserit illico in eos converti usus, quos Bullæ Apostolicæ præscriberent. Magis elucescent gratiæ istæ, & majores ex iis nascentur fructus, si sic impensæ fuerint. Necessitas tamen, & periculum confundere solent omnia, & facile interpretari mentem Pontificum, si aliter fieri contingat, præsertim quando sumptus, qui aliunde in istum finem fiunt, majores sunt, cum perinde sit, ex hisne pecuniis sumantur, an ex aliis.

a Mar. hist. Hisp.

SYMBOLUM XXVI.

IMpia fuit eorum opinio, qui asserere ausi sunt, majori fortitudine Gentiles excelluisse, quam Christianos, eo quod illorum superstitio magis corroboraret animum, & ferociorem redderet tetro illo spectaculo tot cruentarum victimarum, quas Diis offerebant in sacrificiis; eosque solos pro Viris fortibus & magnanimis haberet, qui robore magis virium, quam ratione aliis Nationibus dominarentur: contra vero nostræ Religionis Institutum incusaret hoc nomine, quod demissionem commendaret, & mansuetudinem, quæ duæ virtutes animos facere solent abjectiores. Impia prorsus opinio, & à veritate nimium quantum aliena! Sanguis profusus animum barbarum magis, & crudelem reddere potest, fortiorem ac magis strenuum non potest. Fortitudo & excelsitas animi mox cum ipso pectore nascitur, non oculis hauritur. Nec generosiores sunt, qui magis sanguine & cæde animantium capiuntur, uti nec illi; qui humana carne victitant. Magnanimitatem non spernit nostra Religio; quin ad illam acuit potius. Non præmia proponit nobis temporaria & caduca, uti facit superstitio Ethnica; sed æterna, nullis unquam sæculis finienda. Quod si tunc Corona a aliqua è lauro, quæ simul atque à trunco avellitur, marcescere incipit, tantopere incendit animos: quid non faciet nunc sempiterna illa stellarum, & immortalis? Ac fortasse majoribus sese objecerunt periculis Gentiles, quam Christiani? Si quando illi urbem aliquam aut castrum armis impeterent, clypeis & testudinibus muniti id factitabant. Nunc vero Christianis per densos glandium imbres, per fulmina pulveris pyrii tentandus est aditus. Non adversantur

a *Illi quidem, ut corruptibilem Coronam accipiant; nos autem incorruptam*, 1 Cor. 9, 25.



tur fortitudini demissio animi & mansuetudo; quin ita junctæ sunt inter se, ut absque his exerceri illa nequeat: neque fortitudini locus est, ubi non sunt mansuetudo, tolerantia, & reliquæ virtutes. Namque is solum vir fortis est, qui ab affectibus vinci se non patitur, & à perturbationibus animi liber est, in quo genere plurimum elaborarunt Stoici, & majori postea cum perfectione Christiani. Perparum ex sua parte facit, qui iracundia aut superbia se sinit abripi: illud heroicum, proprias suas passiones & cupiditates frangere. Inter difficiliores arenas animus est, ubi

ista vigent certamina Qui eo usque sese demittere didicit, ut alteri inflectat genua, facile in occasione contemnet periculum, & cervice constanti securim excipiet. Tulerit sane Religio Ethnica Magnos Duces, quales fuere Cæsares, Scipiones, & alii complures; at certe haud minores nobis dedit Catholica in Alphonsis & Ferdinandis Castellæ, uti & in aliis Aragoniæ, Navarræ, & Lusitaniæ Regibus. Quæ tanta animi fortitudo esse potuit, atque illa, quæ in Carolo V. Imp. eminuit? Quem unquam Magnum Ducem celebravit antiquitas, cui pares, aut etiam superiores non fuerint Gonsalvus Ferdinandus de Corduba, Ferdinandus Cortesius, Antonius de Lieva, Ferdinandus Davalus Piscariæ Marchio, Alphonsus Davalus Vasti Marchio, Alexander Farnesius Dux Parmensis, Andreas de Oria, Alphonsus Albuquercius, Ferdinandus Alvarus de Toleto Dux Albanus, Marchiones de sancta Cruce, Comes Fontanus, Marchio Spinola, Ludovicus Fajardo, & alii prope innumeri tam Hispaniæ, quam aliarum Nationum, nunquam laudati satis à fama. De quibus merito dici poterit id, quod Apostolus Paulus de magnis illis Ducibus, Gedeone, Barac, Samsone, Iephthe, Davide, & Samuele commemorat; a *Per fidem devicerunt Regna. Fortes facti sunt in bello, castra verterunt exterorum.* Si Gentilium victorias conferre placuerit cum iis, quas reportarunt Christiani, longe has fuisse majores videbimus. In prælio ad Navas ducenta Maurorum millia cecidere, è nostris non nisi homines viginti quinque. b Hastæ & sagittæ hostium tanta multitudine repertæ, ut duobus diebus, quibus victor exercitus iisdem in locis hæsit, lignorum usum exhibuerint excitandis ignibus; ac ne comburi quidem potuerint, etsi studium adhibebatur. Altero tanto plures in pugna Saladana occubuere, desideratis Christianis solum viginti: & in illustri illa victoria navali ad Naupactum (Lepantum hodie) quam Ioannes Austriacus contra Turcas obtinuit, centum & octoginta triremes partim demersæ fuerunt, partim captæ. Quas victorias non sibi tribuit Christianum pectus, sed vero Domino exercituum, quem veneratur & colit.

c *Que em caos tao estranhos claramente,*
Mais Peleja o favor de Deos, que a gente.

Gloriosus animi triumphus. Non minus hostem confundit cor in Deo confidens, quam manus ense armata, uti Iudas Machabæus d experimento didicit. Deus est, qui corda regit, ipse animum & vires e sufficit, ipse tribuit, & negat

a Heb. 11. 33. & 34.

b Mar. hist. Hisp. lib. 11. cap. 24.

c Camoës Lus. Can. 3.

d *Manu quidem pugnantes, sed Dominum cordibus orantes, prostraverunt non m nus triginta quinque millia,* 2. Mach. 15. 17.

e *Ne dixeres in corde tuo; fortitudo mea, & robur manus meæ, hac mihi omnia præstiterunt. Sed recorderis Domini Dei tui, quod ipse tibi vires præbuerit,* Deut. 8. 17. & 18.

negat victorias. Impostoris notam incurreret, atque à malitia & fraude excusari non posset, si ei adesset potius auxilio, qui falsum colit Numen, & impiis sacrificiis sibi propitium reddere satagit. Quod si etiam interdum iis largiatur victorias, id non invocationi, sed caussis aliis occultis Providentiæ divinæ adscribendum. In siti illa, qua exercitus Romanus laborabat in bello Marcomannico, placari haud potuit Deus sacrificiis & precibus Legionum Gentilium, donec tandem Legio Christianorum decima ejus imploraret auxilium: tunc enim copiosissimum iis imbrem impertivit, & fulmina in hostium direxit aciem, ut facili negotio victores evaderent; unde Legio illa postea Fulminatrix dicta est. Si viva semper esset fiducia illa ac fides, eosdem etiamnum operaretur effectus; at enim, quia aut ista desunt, aut propter alios occultos fines permittit Deus, ut bello subigantur etiam ii, qui verum ei cultum deferunt: quod dum fit, non triumphantium præmium est, sed eorum, qui vincuntur, castigatio ac pœna. Semper itaque in Principum manibus vexillum Crucis sublime volitet: significatum per ensem illum, quem Ieremias Iudæ Machabæo [a] porrexit, ut hostes suos fugaret; sumant item Religionis scutum, & sibi ponant ante oculos æternum illum ignem, qui Persarum Reges anteibat, Symbolum alterius incircumscripti, à quo radios suos Sol accipit. Hæc vera Religio est, quam milites adorabant, quoties provoluti in genua venerabantur vexillum, quod Labarum Constantini Imperatoris vocabatur. Cum enim Crux quædam lucis splendore in cœlo efformata cum inscriptione: *In hoc signo vinces*, victoriam illi contra Maxentium promitteret, vexillum ista forma fieri præcepit, quam præsenti Emblemate exhibeo, superne cum literis [b] X & P. charactere nominis Christi, & literis Græcis Alpha & Omega, quæ Dei sunt Symbolum, [c] principii & finis rerum omnium. [d] Vexillo isthoc usi sunt deinceps Imperatores usque ad tempora Iuliani Apostatæ. Ioannes quoque Austriacus in omnibus suis signis Crucem efformari jussit, cum isto lemmate: [e] *His armis vici Turcas, iisdem victurum me confido & Hæreticos.* Rex Alphonsus Magnus eadem verba Crucis Constantinianæ in alio quodam posuit vexillo, quod in templo Ovetano postea obtulit: & iis ipsis uti placuit, sicut & labaro Constantini pro præsenti Emblemate, ad imprimendam Principum animis fiduciam illam, qua vexillum Religionis contra hostes suos plantare eos oportet. [f] In prælio ad Navas Canonicus quidã Toletanus, Decanus postea, Paschasius nomine,

a *Accipe sanctum gladium munus à Deo, in quo dejicies adversarios.* 2. Mach. 2. 15. & 16.

b Euseb. l. 9. hist. c. 9.

c S. Amb. epist. 29.

d Genebr. lib. 4. Chron. anno 1572.

e Mar. hist. Hisp. lib. 7. c. 16.

f Idem hist. lib. 11. c. 24.

ne, Crucem quam Roderico Archi-Præsuli de more præferebat, per hostium cuneos semel atque iterum circumtulit, & evasit incolumis, tametsi omnium telis peteretur, multæque Maurorum sagittæ hastili infixæ hærerent. Latera vexilli istius spiritus cœlestes stipare solēt. Gemini Angeli equis candidis vecti in prima acie pugnare visi sunt, *a* quando ad Septimancas Rex Ramirus II. Mauros devicit. In alio item prælio ad Clavigirim temporibus Regis Ramiri Primi, uti & in alio ad Meridam temporibus Regis Alphonsi IX. divinum illud fulmen, filius tonitrui sanctus Iacobus Patronus Hispaniæ, in equo albo vexillum præferre visus est, quod rubræ Crucis figura distinctum erat. *b Nullus vobis resistere poterit* (dicebat Iosue ad Principes Israël, jam jam è vita discessurus) si in Deo spem & fiduciam collocaveritis. *c Vnus è vobis persequetur hostium mille viros; Quia Dominus Deus vester pro vobis ipse pugnabit.* Plenæ sunt sacræ paginæ istiusmodi divinis subsidiis. Contra Chananæos stellas *d* ipsas Deus in acie disposuit; contra Amorrhæos Elementa *e* armavit, & lapides è cœlo depluit. Nec opus fuit alio creaturarum ministerio in fidelium favorem adversus Madianitas, *f Immisit Dominus gladium in omnibus castris, & mutua se cæde truncabant.* In semetipsum ultionem provocat, quisquis Dei inimicus est.

a Idem hist. Hisp. l.8. c.5.
b Iof. c.23. 10.
c Iof. ibid.
d De cœlo dimicatum est contra eos stellæ manentes in ordine suo, adversus Sisaram pugnaverunt. Iud. cap. 5. 20.
e Dominus misit super eos lapides magnos. Iof. c.10. 11.
f Iud. c.7. 22.

SYMBOLVM XXVII.

QVod neque vis, neque diuturna multorum annorum oppugnatio adversus Trojam efficere potuit, dolus tandem obtinuit sub specie Religionis, inferentibus in urbem Græcis arma sua intra alvum equi lignei abdita, tanquam si voti, quod Deæ Palladi fecissent, rei essent. Mirum dictu! neque interior armorum concussio & sonitus; neque advertentia prudentiorum civium; neque quod opus foret, dirutis mœnibus eum in urbem inducere, mox posteaquam Græcorum naves solvissent è littore; neque quod intra mœnia commorari deberet, Populo sufficere potuit, ut fraudes agnosceret: tanta Religionis vis est. Ea opportune usi sunt Scipio Africanus, Lucius Sylla, Quintus Sertorius, Minos, Pisistratus, Lycurgus, & alii, ut actionibus suis & legibus conciliarent auctoritatem, & Populo imponerent. Phœnices in Hispaniam ingressi, eo loco, ubi nunc Medina Sidonia cernitur, templum arcis forma construxerunt Herculi dedicatum, ajentes, per quie-

tem



tem ſic juſſos ſe eſſe. Crediderunt Hiſpani, divinum eſſe cultum, quod ſtratagema erat; eſſe pietatem, qui dolus fuit: atque ita Phœnices ſub Religionis prætextu, quo nihil ad ſpeciem fallacius, oppreſſos deinde loci iſtius incolas bonis omnibus & fortunis ſpoliarunt. Alterius item templi beneficio in promontorio Dianeo (ubi nunc eſt Denia) incolæ Inſulæ Zacynthi machinationes ſuas clam habuerunt, cum Hiſpaniam ſibi ſubjicere molirentur. Rex Siſenandus Suinthiſam regno expulerat, atque ut dominatio-

nationem suam magis stabiliret, Concilium Provinciale septuaginta circiter Præsulum convocavit, sub specie quidem Ecclesiasticæ disciplinæ, quæ vitio temporum collapsa erat, novis legibus astringendæ; sed revera præcipua ejus cura erat, ut condemnato Patrum sententiis Suinthila, sibi deinde corona adjudicaretur, & populus in concordiam rediret: quo eodem artificio etiam Ervigius electionem suam & abdicationem Regis VVambæ confirmare studuit. Non ignorat Malitia, quantum apud hominum animos valeat Religio, quare hac potissimum utitur ad exercendas suas technas, quibus simplicem populum facillime decipit, qui cum fines illius omnes penetrare nequeat, sibi persuadet ista solum tendere ad Deum reddendum propitium, ut bona fortunet temporalia, & æterna postea præmia conferat. Et quæso, in quas non impulit fraudes Nationes plurimas Religionis species, dum sese superstitiosis cultibus misere dederent? Quam serviles & truculentos mores ii non introduxerunt, cum libertatis, fortunarum & vitæ dispendio? Advigilent sedulo Principes & Respublicæ, hoc præsertim tempore, quando Politica larvam Pietatis induit, neque facile admittant illos Religionis equos, qui non civitates solum, sed integras etiam provincias, & regna funditus devastarunt. Quod si sub illius titulo ambitio irrepat, & cupiditas, & oneretur graviter populus, suave Dei jugum fastidiet, ob damna & detrimenta rerum temporalium, quæ patitur, & sensim in animum suum inducet, legem naturalem ac divinam Religionis ad rationem status pertinere; Principes vero sub specie illius sua contegere artificia, quibus subditos contineant in officio, & fortunis suis expolient. Perpendant itaque apud se Principes cum omni diligentia, num quod de novo introducitur, Religionis caussa sit, an prætextus solum, in auctoritatis & potestatis illius præjudicium, aut injuriam subditorum, aut contra tranquillitatem publicam: id quod ex fine, quem sibi novitas ista propositum habet, perspicere poterunt; examinando quo spectent tales innovationes, an ad emolumentum proprium, aut ambitionem; an ad bonum spirituale conducant, nec ne; aut num hoc ipsum non mediis aliis, quæ minus adferant præjudicii, procurari queat. In istiusmodi casibus, minori cum periculo damnum præcavetur, quam eidem postea paretur remedium, non dando locum ejusmodi prætextibus & abusibus. Si tamen introducti jam fuerint, magna cura suavitate corrigi eos oportet, non via facti, nec cum violentia & scandalo, nec jure extremo potestatis, præsertim si sub Principis jurisdictionem casus isti non cadant; sed singulari cum solertia, & habita personarum ratione, per manum illius, ad cujus forum

a pet-

a pertinent, edocendo illum sincere de rei veritate, deque damnis & incommodis. Etenim si Princeps sæcularis id facere vi attentaverit, & abusus isti apud Plebem inveteraverint, hæc illud impietati tribuet, & sacerdotibus obtemperabit potius, quam Principi: contra vero, si Populum inter & Sacerdotes non omnino optime convenerit, & ille viderit auctoritatem Ecclesiasticam & sæcularem inter se diffidere, obedientiam abjiciet, & contra ipsam insurget Religionem, declarata Principis voluntate jam factus audacior, & paulatim in eam veniet opinionem, damna ejusmodi contentionum ad substantiam Religionis pertinere; quo fiet, ut facili negotio animum pariter, & illam immutet. Atque ea ratione, si Princeps litibus & controversiis cum Magistratu Ecclesiastico; Populus vero novitate opinionum implicatus fuerit, nullus porro rebus sacris habebitur honos, & graves oborientur errores, confusa illa divina luce, quæ collustrabat animos, & uniebat: unde multorum Principum interitus, & Statuum *b* immutationes nasci vidimus: Magna prudentia opus est, ad recte gubernandã in talibus materiis multitudinem, nam pari facilitate, aut eas spernit, & impia est; aut leviter credit & superstitiosa est; quod postremum frequentius accidit; ipsa enim tanquam imperitior specie religiosi cultus & opinionum novitate continuo capitur, ante etiam quam recta ratio ista omnia ad examen vocet. Quare plurimum refert, omnem illi paulatim ruinæ occasionem præcidere, eas cum primis, quæ oriri solent ex inanibus disceptatiunculis de materiis quibusdam subtilioribus, quæve ad Religionem nihil omnino aut parum faciunt, non permittendo, ut aut defendantur, aut typis imprimantur; alias enim multitudo in diversa trahetur studia, & opinionem suam, tanquam de fide esset, tuebitur mordicus. Quæ res non minores turbas ciere posset, quam ipsa Religionum diversitas, aut iis ansam dare. Eodem periculo territus Tiberius concedere noluit, ut libri Sibyllini *c* inspicerentur, quorum vaticinia tumultus concitare poterant: & in actis *d* Apostolorum legimus, libros igni fuisse traditos, qui vanas curiositates continerent.

5. Solet Populus sub specie pietatis misere decipi, & cœco quodam impetu sese dedere cultibus quibusdam superstitiosis cum submissione prorsus muliebri, quæ hominem melancholicum reddunt & timidum, & imaginationum suarum vile mancipium, quæ animum simul &

a *Labia enim Sacerdotis custodient scientiam, & legem requirent ex ore ejus.* Malach. c. 27.

b *Nulla res multitudinem efficacius regit, quam superstitio.* Curtius.

c *Censuit Asinius Gallus, ut libri Sibyllini adirentur; renuit Tiberius perinde humana, divinaque obtegens.* Tacit. lib. 1. Annal.

d *Multi autem ex eis, qui fuerant curiosa sectati, contulerunt libros, & combusserunt coram omnibus.* Io Act. Apost. c. 19. 19.

& spiritum opprimunt, faciuntque eum otiosum sodalitia obire, & vacare peregrinationibus, ubi multi sæpe abusus committuntur, & vitia. Imperitæ plebeculæ infirmitas illa est, neque parum periculosa veritati Religionis, & saluti publicæ, & nisi principiis quis obstet, gravissima creat incommoda & pericula; nam stultitiæ genus est, quæ sub specie boni temere præcipitat, & novas consectatur Religionis opiniones, & artes diabolicas. Religiosa quædam subjectio utilis est, sed sine superstitione abjecta & humili: talis scilicet, quæ virtutem in pretio habeat, & perhorrescat vitium, quæ statuat laborem & obedientiam majoris esse apud Deum & Principem meriti, quam societates & peregrinationes, quando ejusmodi pietatem convivia, choreæ & lusus comitantur, quomodo Populus Israëliticus in dedicatione vituli *a* factitabat.

5. Quod si forte cœperit multitudo in rebus ad Religionem pertinentibus, nimium suæ tribuere opinioni, & novitates in illam voluerit introducere, extemplo parandum est remedium, & mala sementis radicitus evellenda, priusquam crescat, & serpat longius, ut coalescat in corpus potentius ipso Principe, contra quem deinde, si ejus se opinioni accommodare noluerit, perniciosam regiminis mutationem machinari *b* audeat. Tametsi vero intelligendi vis in eo genere libera sit, & salva sua libertate, ad credendum cogi nequeat, adeoque Dei solius esse videatur, eum corrigere, qui secus de ipso *c* sentit, ac oportet; gravissima tamen inde nascerentur incommoda, si decisio de altissimis fidei mysteriis cœcæ & imperitæ plebeculæ committeretur: atque ideo valde convenit obligare subditos, ut quemadmodum veteres Germani solebant, sanctius ac reverentius ducant; credere res *d* divinas, quam scire. Quis error tam insanus aut fœdus, in quem non incidat regnum aliquod, si de rebus Religionis illi dijudicare liceat? Hinc tanta cura caverunt olim Romani, *ne qui nisi Romani Dei, nec quo alio more, quam patrio colerentur.* Et Claudius graviter cum Senatu conquestus fuit, quod externæ superstitiones *e* introducerentur. Attamen si jam Malitia pedem fixerit, neque correctio adversus multitu-

a *Sedit populus manducare, & bibere, & surrexerunt ludere.* Exod. 32. 6.

b *Eos vero qui in divinis aliquid innovant, odio habe, & coërce, non Deorum solum caussa (quos tamen qui contemnit, nec aliud sane magni fecerit) sed quia nova quædam numina hi tales introducentes, multos impellunt ad mutationem rerum, unde conjurationes, seditiones, conciliabula existunt, res profecto conducibiles Principatui.* Dion.

c *Deorum injurias Diis curæ.* Tacit. lib. 1. Annal.

d *Sanctius ac reverentius visum de actis Deorum credere, quam scire.* Tac. de more Germ.

e *Quia externæ superstitiones valescant.* Tacit. l. 11. Annal.

titudinem vim ac robur habere potuerit, Prudentia operetur necesse est, quod alias ferrum & flamma debuissent efficere: nam augescit interdum delictorum pertinacia, si remedia adhibeantur intempestiva, & plus æquo violenta; neque semper vi cedit ratio. Reccaredus Rex magna cum solertia, tempori tantisper cedendum ratus, nunc dissimulando, nunc blandiendo, sensim effecit, ut subditi ejus omnes Ariana perfidia abdicata ad Ecclesiæ Catholicæ castra commigrarent.

5. Magni heroës olim usi sunt superstitione (ut diximus) ut legibus suis auctoritatem parerent, atque animos adderent Populo, magisque eum in submissione & officio continerent, in hunc finem somnia fingebant divinitus sibi immissa, conversationes secretas & familiaritates cum Diis; & licet hæ artes apud simplicem plebeculam plurimum valeant, utpote cujus ingenium superstitiosum rebus ejusmodi, quæ supra naturam esse videntur, facile capitur: non est tamen Principibus licitum, eam ementitis miraculis, & falsa Religionis specie deludere. Ad quid umbra, ubi luce ipsa frui possumus? Ad quid prodigia illa de cœlo fictitia, si tot ac tanta iis suppetant, ut vidimus, qui firma cum fiducia ea præstolantur à Providentia divina? Quomodo justissimus Deus ejusmodi artibus successum bonum largiri poterit, quæ curam ipsius ac sollicitudinem in rerum harumce inferiorum gubernatione incusant, quæ ipsis potentiam falso confingunt, quæque illi tribuunt, cujus ipse auctor non est? Quam certitudinem in Religione sibi pollicebitur Populus, si eam ad fines Principum particulares, detorqueri videat, eo quod tegumentum tantummodo sit, quo suas cooperiant fraudes, & veritatem mendacii arguant? Non est secura Politica, quæ dolis sese vestit, nec firma ratio status, quæ technis nititur.

SYMBOLVM XXVIII.

Regula & mensura virtutum Prudentia est, absque hac illæ in vitia degenerant. Eam ob rem in mente sedem suam habet, sicut virtutes reliquæ in appetitu: illinc enim omnibus præsidet. Magnam Deitatem illam vocat Agatho. Hæc virtus est, quæ tres Reipublicæ formas constituit, Monarchiam, Aristocratiam, & Democratiam; iisque singulis suas tribuit partes naturæ subditorum convenientes, intentos semper habens oculos in conservationem eorundem, & finem principalem felicitatis politicæ. Anchora statuum Prudentia est; acus nautica Principis. Deficiente hac virtute, anima gubernationis deficit. a *Ca esta* (verba sunt Alphonsi Regis) *faze ver las cosas, ejuzgarlas ciertamente segun son, e pueden ser, e obrar en ellas como deve, e non re-* bati-

a Lib. 8. tt. 5. p. 2.



batosamente. Virtus est Principum *a* propria, & quæ maxime facit excellere hominem, adeoque parce eam Natura dispensat. Multis magna dedit ingenia, magnam prudentiam oppido paucis. Absque illa, quo quique cæteris dignitate magis eminent, eo majori cum periculo præsunt aliis; facile enim rationis transiliunt limites, & pessum eunt; & in eo, qui aliis imperat, judicio claro opus est, quod res omnes, prout sunt in se

a *Nam rectè disponere, rectèque judicare qui potest, is est Princeps, & Imperator*. Menand.

in se dispiciat, & singula suis rite ponderare momentis noverit. Examen hoc magni in Principibus momenti est, & multum in eo potest Natura, plus tamen ipse rerum usus atque experientia.

5. Ea Prudentiæ virtus multis constat partibus, quæ ad tria capita reduci possunt; memoria scilicet præteriti, intelligentia præsentis, & providentia futuri. Omnes istas temporis differentias in Emblemate præsenti Serpens repræsentat; Prudentiæ Symbolum, supra clepsydram arenariam, quæ præsentis currentisque temporis est hieroglyphicum, sceptrum spiris suis ambiens, & contemplans sese in duplici speculo præteriti temporis & futuri; pro lemmate vero ponitur illud Homeri carmen à Virgilio traductum, quod omnia tria complectitur tempora: *a* *Quæ sint, quæ fuerint, quæ mox ventura trahantur.* In quæ intuens Providentia suas moderatur actiones.

Tria ista tempora speculum sunt gubernationis, in quo maculas, & errores præteritos pariter, ac præsentes observando, sese ornat & expolit, adjuta experientia propria, & ipso rerum usu comparata. De propria ago alibi: Quæ comparatur, aut communicatione cum aliis, aut ex Historiis acquiritur. Communicatio cum aliis perquam utilis est, etsi restrictior; nam facilius comprehenditur, & abunde magis satisfacit dubiis omnibus ac quæstionibus, unde Principem melius instruit. Historia omnes quasi mundi ætates subjicit oculis, illiusque beneficio memoria vitam Majorum vivit. Errata eorum, qui fuerunt aliquando, eos, qui nunc sunt, erudiunt. Quare necessum est, ut Princeps amicos fideles & veraces conquirat, qui sincere illum de veritate edoceant in omnibus tam præteritis, quam præsentibus; & quoniam isti, ut solebat dicere Alphonsus Neapolis & Aragoniæ Rex, libri quasi sunt historici, qui neque adulantur, neque celant aut dissimulant veritatem, eos potissimum in consilium adhibeat, observando negligentias & culpas Antecessorum; fraudes, quibus circumventi fuerunt; artes aulicas; intestina & externa regnorum mala, & circumspiciat diligenter, num sibi quoque ab iisdem aliquod periculum sit. Optimus Principum Magister, tempus est. Sæcula præterita veluti Nosocomia quædam sunt, ubi cadavera Rerumpublicarum, & Monarchiarum, quæ aliquando floruerunt, incidendo inspiciunt & rimantur. Anatomici, ut præsentes tanto curent melius. Chartæ nauticæ sunt, in quibus cum alienis tempestatibus, & navigationibus secundis investigantur littora, bolide explorantur maria, brevia deteguntur, deprehenduntur scopuli, & regnandi lineæ designantur. Hinc Alexander Severus Imperator *b* *præficiebat rebus literatos, & maxime, qui historiam norant,*

a Virgil.

b Lamp.

rant, requirens quid in talibus caussis, quales in disceptatione versabantur, veteres Imperatores fecissent. Verum non omnes omnino libri boni consiliarii sunt: nonnulli enim malitiam suadent & fraudes, quæ quia magis in usu sunt, quam veritas, bene multi eos *a* consulunt. Illi maxime securi, quos sapientia divina dictavit. In his reperire licebit Principi pro casibus omnibus politicam quandã perfectam, & documenta certa, quibus se *b* & alios rite gubernet. Ea de caussa Regibus Israël in mandatis dederat, ut Deuteronomii librum semper penes se haberent, & ex eo quotidie legerent *c* aliquid. Deum audimus, à Deo discimus, quoties divina illa oracula evolvimus.

§. Cum hoc historico studio secure sese poterit Serenitas Vestra gubernationis mari committere, dummodo pro nauclero sit rerum præteritarum experientia ad præsentium directionem, quas Serenitatem Vestram ita moderari oportebit, ut oculos suos semper in futuro defigat, ipsumque ante prævideat, ad pericula declinanda, aut saltem, ut præventa *d* minus mali adferant. Iuxta has temporum affectiones judicare debet, & æstimare de futuris prudentia Serenitatis Vestræ, non illas Planetarum, qui cum admodum pauci sint, & status suos habeant motus, non possunt (quantumvis aliqua in illis inesset virtus) tantam eventuum portendere varietatem, quos aut casus invehit, aut liberum disponit arbitrium. Neque speculatio & experientia sufficiunt, ut certam aliquam & securam scientiam, de caussis tam remotis constituant. Conjiciat itaque oculos suos Serenitas Vestra in tempora retro præterita, jam inde à Rege Ferdinando Catholico usque ad Philippum Secundũ, & collatis cum iis, quæ ab eo tempore in hanc nostram ætatem usque effluxerunt, expendat Serenitas Vestra, num Hispania tam sit incolis referta, tam opulenta, & rebus omnibus abundans, atque illis prioribus sæculis. Num tantopere artes & arma floreant; num tam frequentes sint nundinationes, & agrorum culturæ; & si in hisce rebus quisdam defecisse animadverterit, incisionem corporis hujus instituat, exploret arterias ejus omnes, ac partes, quæ sanæ ac integræ sint, quæ non; è quibus item fontibus infirmitates istæ suam trahant originem. Consideret apud animum suum Serenitas Vestra, num forte ex uno aliquo eorum nascantur, qui fere

a *Qui exquirunt prudentiam, quæ de terra est, negotiatores Merrha, & Theman, & fabulatores, & exquisitores prudentiæ & intelligentiæ; viam autem sapientiæ nescierunt.* Baruch. 3. 23.

b *Omnis scriptura divinitus inspirata utilis est ad docendum, ad arguendum, ad corripiendum, ad erudiendum in justitia, ut perfectus sit homo Dei, ad omne opus bonum instructus.* 2 Tim. 3. 16. & 17.

c *Leget illud omnibus diebus vitæ suæ.* Deut. 17. 19.

d *Scit præterita, & de futuris æstimat.* Sap. 8. 8.

fere ordinarii sunt. Ex deductione subditorum in terras exteras; ex defectu propagationis; ex multiplicitate Religiosorum ordinum; ex nimia festorum dierum frequentia; ex multitudine Vniversitatum, & studiorum; ex detectione Indiarum; ex pace non œconomica, ex bello leviter suscepto, aut segniter administrato: ex abrogatione Magisteriorum ordinum militarium: ex raritate præmiorum: ex oneribus cambiorum, & usurarum: ex pecuniarum translatione in alienas provincias: ex disparitate monetarum; aut aliis similibus caussis. Si viderit Serenitas Vestra, quænam ex istis mali fons sit & origo, difficile non erit parare remedium; & cognitis probe duobus temporibus, præterito & præsente, una etiam Seren. Vestra de futuro æstimabit: a *Nihil* enim *sub Sole novum. Quid est, quod fuit? ipsum quod futurum est. Quid est, quod factum est? ipsum quod faciendum est.* Personæ mutantur, non scenæ. Iidem semper mores & modi sunt.

5. Post illam librorum evolutionem plurimum quoque lucis dabit Viris Principibus communicatio cum tot ac tantis ingeniis, quæ cum iis agunt quotidie, atque ad audientiam verba & rationes multum ac diu cogitatas adferunt. Ideo Ioannes Secundus Lusitaniæ Rex dicere solebat, regnum aut invenire Principem prudentem, aut facere. Amplissima est imperandi schola, in qua Ministri summis ingeniis præditi, & experientia insignes, aut domestici, aut exteri, negotia cum Principe conferunt. Hic semper in assidua versatur exercitatione, cum speciali notitia omnium prope, quæ in mundo geruntur. Quæ schola cum maxime conveniat Principi, docet omnino, ut si non ex obligatione, discendi saltem studio, negotiis sese impendat, studeatque ea plene capere & penetrare; nec satis esse credat, si Consiliariis suis ea committat, & ab illis decisionem expectet: nam si negotiis prorsus se abstineat, sylvescit paulatim ingenium, & odisse ea incipit, tanquam onera quædam intolerabilia, & viribus majora, adeoque aliorum mavult curæ relinquere, & industriæ. Quod si deinde ad ipsum referatur, quid aliis ea super re visum fuerit, inscius & imperitus pendet animi, rectene judicatum fuerit, an secus; qua in confusione, necesse est eum suimet pudeat, pigeatque, dum videt se muto simulacro haud multo esse absimilem, cui exterior fit reverentia, alius vero pro ipso responsa dat. Nec alia de caussa Zacharias Propheta eum Principem, qui similis Pastori, gregem suum deserenti, obligationis suæ est immemor, idolum b vocitat: Statua enim est, quæ repræsentat, non exercet Majestatem. Os habet, & non loquitur: oculos habet, & aures, & neque videt, neque c audit, cumque

a Eccl. 1. 9. & 10.

b *O Pastor, & idolum, derelinquens gregem.* Zach. c. 11. 17.

c *Os enim habent, & non loquentur: oculos habent, & non videbunt: aures habent, & non audient.* Psal. 113. 5.

passim pro idolo cultus solum habeatur, non quod efficere quicquam possit, tanquam telluris inutile pondus, ab omnibus *a* despicitur, neque hoc damnum facile sarciet: negotia enim, è quibus usu atque exercitatione experientiam aliquam haurire poterat; præterlabuntur sicut aquæ, quæ nunquam revertuntur; quare cum ipse ignoret, unde negotiorum tela inchoata sit, recte eam pertexere nunquam poterit.

§. Adhæc itaque & alia damna evitanda, expedit omnino, ut Princeps simul atque Rempublicam capessit, animum suum ad negotia publica applicet, ut usu paulatim artem bene gubernandi condiscat: etsi enim illa initio mole sua absterreant Principem; ambitio tamen, & gloria, quæ inde sperari potest, faciunt postea, ut appetantur etiam, & amentur. Non illum arceat errandi metus, quia nulla tanta est prudentia, quæ non quandoque falli possit. Ex erroribus experientia nascitur; ex hac vero optimæ imperandi regulæ. Et si forte eum errare contigerit, illud solatio sit, minus interdum esse periculi, ipsum falli Principem, quam si rem optime gerat per alium. Hoc namque calumniis obnoxium: illud vero facilius tolerat Populus. Obligatio Principis in eo solum consistit, ut quam rectissime velit agere omnia, atque in id omnem suam conferat operam, instructionem admittendo, & consilium, sine arrogantia & fiducia sui nimia: hæc enim ignorantiæ & errorum mater est. Potentia una cum Principibus nascitur, non sapientia. Si audire voluerint, recte gubernare scient. Cum Salomon suam agnosceret infantiam pro gubernando Dei populo, petiit à Deo cor *b* docile: hoc enim solum sufficere putabat, ut recte suo fungeretur officio. Principem zelosum, & qui honestum semper præ oculis habet, Deus quasi manu ducit, ne uspiam in statuum suorum gubernatione offendat.

a *Nihil est idolum in mundo.* 1 Cor. 8. 4.

b *Dabis ergo servo tuo cor docile, ut populum tuum judicare possit, & discernere inter malum & bonum.* 3 Reg. 3. 9.

SYMBOLUM XXIX.

Piscatores in insula Chio, cum jactis aliquando in mare retibus pisces se capturos crederent, tripodem extraxêre, quod vas quoddam erat sacrificiis destinatum aut (ut volunt alii) mensa tripes rotunda, opus admirandum magnique pretii, non tam ob materiam, quamvis ex auro esset, sed ob Vulcanum artificem. Crevit in iisdem, & aliis ejusdem insulæ Piscatoribus cupiditas, & spe vana inaniter delusi iteratis sæpe vicibus retia sua in profundum demisere. O quoties prosperi Principis unius successus



eisdem ipsi & aliis fraudi fuerunt, dum mediis iisdem similem aliquam nancisci Fortunam conati sunt! Non est ita facile, alienos sequi passus, aut relegere proprios, ut eadem semper examussim premas vestigia. Exiguum temporis spacium tot eventuum varietate priora obducit, & quæ de novo imprimuntur, diversa sunt, adeoque non eundem habent exitum.

Multos æmulos atque imitatores habebat Alexander Magnus, qui licet Virtute tum corporis tum animi nihil illi cederent, nunquam tamen tam cumulatam gloriam & felicitatem potuerunt adipisci, aut certe tantum plausum non tulerunt. In nostra est potestate, bonos esse; non item, tales videri aliis. Etiam in rebus Famæ Fortuna ludit, neque semper eadem eidem

respondet facinori. a Quod Sagunto accidit, Estepæ quoque evenit, & hujus tamen vix aliqua superest memoria; tenuior nimirum civitas gloriam istam non obtinuit: nam in Majoribus laudari sæpe solet, quod in aliis minoribus nemo æstimat. Idem prorsus in virtutibus usu venit; propter easdem Princeps unus bene audiet, alius male: temporum hoc vitium est, & subditorum. Si Nobilitas excusso fræno solutior sit, & Populus licentior, mali Principis notam non effugiet, si illos in rationis gyrum reducere voluerit. Vnumquodque regnum Principem cuperet suis conformem moribus; unde fit, ut tametsi unus aliquis Princeps iisdem bonis artibus Rempublicam moderetur, quibus alius gloriosissime eandem moderatus est, æque tamen acceptus futurus non sit, nec parem habiturus laudem, nisi subditorum utriusque quoque Naturas æque probas esse contigerit.

Hinc periculo non caret, si Princeps ad aliorum exempla solum se velit dirigere: est enim perdifficile ne dicam omnino impossibile, ut in uno aliquo casu conditiones eædem ac rationes omnes concurrant, quæ in alio. Hæ caussæ secundæ cælestium orbium semper volvuntur, novosque siderum & astrorum formant aspectus, quibus suos producunt effectus, & rerum mutationes efficiunt: & sicut accessus recessusque stellarum semel facti non iterum eodem modo facile eveniunt, ita neque easdem in hæc inferiora habent operationes, & variatis quibusdam conditionibus, variantur ipsi successus, in quibus casus fere plus potest, quam prudentia. Equidem non minus Principibus fraudi fuisse existimo, aliorum sequi exempla, quam plane nulla. Quare considerandum diligenter, quid evenerit aliis, ut Politica prudens evadat; non ut sua omnia ad aliorum normam dirigat, exponendo se dubiis & incertis casibus. Aliorum eventa documento b sint, non præcepto aut legi. Ea sola exempla secure imitari quis potest, quæ à caussis & rationibus intrinsece bonis, & Iuri naturali ac gentium communibus profecta fuerunt. Illæ enim omnibus temporibus eædem sunt. Vti & sequi exempla eorum Principum, qui cum Religione, Iustitia & Clementia, aliisque virtutibus & actionibus moralibus se suaque conservarunt. Verum etiam in his casibus attentione opus est: mutari enim solent mores, & æstimatio virtutum, nec novum aut insolens, Principem aliquem per easdem, quarum beneficio uno tempore feliciter floruit, alio periisse. Oportet igitur, ut hæc omnia expendat Prudentia, neque ipsa sibi nimium fidat, sed varios consulat casus, qui quotidie incidunt, neque futura pro certis habeat, quantumvis prudens judicium & diligentia iis satis cavisse videantur: non semper enim eventa respondent meritis, neque dependent

a *Mar. hist. Hispan. lib. 2. c. 3.*

b *Plures aliorum eventis docentur.* Tacit. lib. 4. Annal.

dent ab ordinaria caussarum connexione, in qua consiliis humanis aliquis solet esse locus; sed ab alia caussa superiore, quæ cæteras dirigit; ex quo fit, ut incertæ sint cogitationes nostræ, & spes in illis fundata facile fallat. Nemo opinione omniū longius ab Imperio aberat, quam Claudius, & cælum jam illum destinarat, ut in Tiberii locum a sufficeretur. Frequentius istud est in electione Pontificum, in qua humana industria in suis consiliis sæpe deluditur. Non semper Providentia divina naturalibus mediis utitur, aut si utatur, diversos cum iisdem operatur effectus, & lineas rectas ducit ad obliquam regulam, cum non raro damno sit Principi, quod commodo illi esse debuerat. Eadem columna ignea in deserto lucem præbebat Populo Dei, & hostium castra opplebat caligine. Maxima etiam prudentia humana quandoque palpat in tenebris. Vnde salutem quis sperat, inde exitium sibi accersit interdum, uti Viriato accidit, quem proditum ab iis Legatis & neci traditum historiæ referunt; quos ad Consulem Servilium miserat. Damnum, quod semel accepimus, non facile credimus passuros nos denuo; at contra res secundas, aut duraturas nobiscum, aut certe redituras, illico nobis persuademus. Multis isthæc confidentia perniciem attulit, quippe quæ Prudentiam armis suis exuit. Ingens quoddam eventuum mare est hic Mundus, variis & incognitis caussis quasi ventis quibusdam agitatum. Ne animo efferamur, si retia forte votis referta educamus in littus; nec contra dejiciamur, si fuerint vacua. Eadem animi æqualitate jacere ea oportet, & eventum expectare. Quiete frui non potest, qui felicem rei exitum certo sibi pollicitus, secus evenire videt, & remedium in promptu non habet. Qui deteriora animo concepit, ei adversi casus inopinanti obtingere non possunt, neque ob frustrata desideria facile ludibrio fit aliis, quemadmodum Persis factum in bello adversus Athenienses; illi namque longe etiam ante ex insula Paro comparārant marmora, quibus victoriam inscriberent, quam jam pridem spe devoraverant; sed cum postea ipsimet prælio vincerentur, iisdem marmoribus Athenienses usi sunt, ad erigendam Vindictæ statuam, perenne stultitiæ Persicæ monumentum. Præsumptio sciendi futura, rebellio quædam est contra Deum, & concertatio stolida cum Sapientia divina, quæ permisit quidem, ut Prudentiæ humanæ de rebus ejusmodi conjicere liceret, non tamen divinare, ut nimirum in hac casuum incertitudine tanto se Deo conditori suo magis subjectum agnosceret. Ea etiam de caussa tam cauta ac provida est in statuendo Politica, quippe quæ probe perspectum habet, quam parum de

a *Quippe fama, spe, veneratione potius omnes destinabantur Imperio, quam quem futurum Principem fortuna in occulto tenebat.* Tacit. lib. 3. Annal.

futuris prævideat Sapientia humana, & quam facile fallant judicia; quæ opinioni præsumptæ innituntur. Si Principes eventus futuros ante prospicerent, non toties male consilia caderent. Atque hinc factum reor, ut simul ac Saul in Regem electus fuit, Deus ei spiritum prophetiæ *a* infuderit.

Nunc ex iis, quæ hactenus diximus, illud conficitur. Tametsi antiquitas veneranda merito sit, & viæ plane regiæ, quas illa posteritati aperuit, ut per eas securo passu experientia incederet; cum tempore tamen multa videmus immutari, ut iis porro insistere non liceat, adeoque non ita sibi ipse diffidere debet Princeps, aut tam anxie Majorum legere vestigia, ut non etiam alicubi, ubi præsens occasio tulerit, sua ponere audeat. Novitates non semper periculosæ sunt; expedit interdum eas introducere. Mundus nisi innovaretur, perfectior non evaderet. Quo ætate procedit longius, eo sapientior est. b *Quæ nunc vetustissima creduntur, nova fuêre. Quod hodie exemplis tuemur, inter exempla erit.* Quod nunc per experientiam sequimur, absque illa aliquando initium habuit. c *Nostra quoque ætas multa laudis & artium imitanda posteris ferre potest; nec omnia apud priores meliora:* sicut neque quæ nunc facimus, omnia posteritati placebunt. A Majoribus abusus multi ad nos usque *d* manarunt: multos item veterum mores severos ac rudiores mitigavit tempus, & in melius *e* commutavit.

a Et insiliet in te spiritus Domini, & prophetabis cum eis, 1 Reg. 10. 6.

b Tacit. lib. 11. Annal.

c Idem l. 3. An.

d *Vetusta autem pleraque rudiora sunt nobis.* Arist. l. 2. pol. c. 8.

e *Multa duritie veterum melius & latius mutata.* Tac. lib. 3. Annal.

SYMBOLVM XXX.

INgeniosa Roma, ut Virtuti & Fortitudini trophæa statueret, in gloriam & præmium Victoris, æmulationem posterorum, & aliorum civium exemplum, columnas rostratas adinvenit, è quibus suspensæ navium triumphantium proræ post longas navigationes & obtentas victorias, sempiternam navalium præliorum conservabant memoriam, quale monumentum Consuli Duillio pro insigni victoria, qua Carthaginenses triumpharat, pro alia item Marco Æmilio positum fuit. Trophæum istud præsenti Emblemati occasionem dedit, in quo columnæ robur ac firmitas sapientiam repræsentat; proræ vero navium per tot rerum discrimina Oceanum pervagatæ, Experientiam Prudentiæ matrem, qua fulcitur sapientia. Habet hæc pro objecto res universales, ac perpetuas; illa vero actiones singulares. Vna speculatione & studio comparatur: altera (quæ mentis est habitus) partim rerum bonarum, malarumque cognitione; partim exercitatione & usu. Ambæ simul junctæ perfectum Reipublicæ moderatorem



torem efficiunt, una sola non sufficit. E quo facile apparet, quam periculosum sit, si ii rerum potiantur, qui soli scientiarum contemplationi & vitæ solitariæ sunt dediti: ordinarie enim hi tales usu & praxi rerum carent, adeoque actionibus suis, quia aut temerariæ sunt, aut viles & abjectæ, nihil promoverent, præsertim si aut metus, aut zelus nimius eos transversos egerit. Familiaritas eorum, & scripta (in quibus plus ingenium speculativum valet, quam practicum) prodesse poterunt Principi, ut animum ejus excitent, & differendi suppeditent materiam, si ea una cum tempore & experientia in consilium adhibeat. Ars medica remedia præscribit morbis, ea tamen

Medicus non applicat, nisi infirmitatis conditiones, naturam ægri, & constitutionem ante consideret. Quod si isthac ratione arrogantiam suam barbaram temperasset Hannibal, non pro insano derisisset Phormionem, quod armorum inexpertus militandi artem traderet. Quamvis enim speculatio sola ejus praxin neutiquam assequatur; quomodo Poëta ille Lusitanus cecinit:

> a *A disciplina militar prestante*
> *Nâo se apprende senhor na phantasia*
> *Sonhando, imaginando, ou estudando,*
> *Se nâo vendo, trattando, e pelejando.*

Perquam enim difficile est, ut manus accurate imitetur, quod delineavit ingenium aut satisfaciat oculis, quod idea proposuit; præsertim cum à casibus tam variis bellum dependeat, ut ne ipsa quidem experientia in iis interdum sciat, quid facto sit opus. Nihilominus tamen posset Phormio ea dare præcepta Hannibali (quantumvis magno & experto Duci) ut errores caveret ingenii sui fallacis ac subdoli, immanitatis in devictos, & superbiæ erga eos, qui ejus se tutelæ & præsidio commiserant. Rectius uti novisset Cannensi victoria, fugere delicias Capuæ, & conciliare Antiochum. Rex Ferdinandus Catholicus Religiosorum opera usus interdum fuit; sed nescio, an ad ipsam negotiorum tractationem, an ad introductionem solum; aut num ideo forte ad negotia publica eos adhibuerit, ut parceret legationum sumptibus, aut occurreret incommodis, quæ ex contentione de jure præcedenti inter Magnates oriri solent. Per illos tamen secretorum securitati haud satis consulitur: magis enim ab obedientia suorum Superiorum, quam Principum dependent; & si forte cedant è vita, litteræ occultæ, & chartæ omnes in eorum devenient manus. Si officio suo desint, puniri nequeunt; exemplo eorum perturbatur religiosa quies, & candida eorum simplicitas artibus politicis inficitur. Meliores medici sunt pro spiritualibus, quam temporalibus. Sphæra quælibet suam habet activitatem sibi propriam. Illud interim non inficior, reperiri nonnunquam inter illos ingenia scientiarum disciplinis, & rerum usu sic exculta, enutrita in aulis; absque ea animi contractione, quæ vitam monasticam, & ab hominum consortio remotam plerumq; comitari solet, ut majoris etiam momenti negotia recte iis committi queant, ea præsertim, quæ ad quietem publicam, & bonum Ecclesiæ Christianæ pertinent: nam modestia in conversando; moderatio virtutum; gravitas & existimatio religiosæ vestis, plurimum per se commendationis secum adferunt in aulis Principum, ad audientiam facilius obtinendam & disponendos animos.

§. Experientiæ è damnis & periculis alienis felices sunt; attamen non tam ad per-

a Cam. Lus. cant. 10.

persuadendum efficaces, ac propriæ: illas videmus, aut audimus tantum; has etiam sentimus. In imo quasi incisæ pectore diu hærent. Naufragia conspecta è littore movent animum; non ita audita solum ex aliis. Quem semel ex illis evadere contigerit, in memoriam rei sempiternam, clavum in Experientiæ templo suspendit. Eam ob rem, etsi experientiis utrisque Principis juvetur animus, magis tamen ad proprias debet advertere, illud diligenter observando, si ex culpa fiant, amorem proprium solere eas excusare; & veritatem sero, aut nunquam ad aures ejus pertingere, ut fraudes detegat: quoniam aut malitia eam in foribus palatii sistit, aut velat adulatio; & tunc virtus larvam ei detrahere non audet, ne ipsa in discrimen veniat: quia aut ad illam non pertinet, aut certe nil effecturam se videt. Atque ita ignari Principes, ubi suo defuerint muneri, aut quid & ubi in consiliis & actionibus peccatum sit, errata emendare non possunt, neque experientia cautiores fieri, & prudentiores. Nullum delictum, nullum damnum in Republica accidere oporteret, cujus notitia non illico fideliter & sincere ad Principem permanet. Nullus sensus, aut dolor est in quacunque corporis parte, qui non in momento, ad cor usque penetret, tanquam vitæ Principem, ubi anima potissimam sedem suam habet, & tanquam cujus plurimum interest, alia membra integra & illæsa conservari. O si Reges probe nossent, quibus potissimum malis regna sua laborarent, non utique videremus ea tantopere inveterasse. Nunc vero conantur oblectamentis quibusdam musicis Principis auditum in aulis avertere, ne percipiat subditorum gemitus, nec cum Saule dicere possit; a *Quid habet populus, quod plorat?* Quo fit, ut aut necessitates ejus & calamitates ignoret, aut certe tardius intelligere incipiat. Recentissimus erat casus Ionæ, quem vivum balæna ejecerat, & publicis ejus clamoribus in tota urbe Ninive, cui post dies quadraginta interitum comminabatur, personabant omnia; nec tamen fieri potuit, quin Rex ultimus omnium ista rescisceret; cum jam cives omnes à maximo usque ad minimum saccis induti in luctu *b* versarentur. Et quis rei veritatem proponere audeat Principi, aut detegere damna & ærumnas, quæ illi impendent? Vniversus Bethuliæ exercitus ingenti cum clamore & impetu lucente jam sole, imminebat Holofernis tentorio, & qui ei à cubiculis erant, verebantur eum è somno suscitare; sed pedum strepitu signum dabant, ne altius illum *c* inclamarent; post-

 quam

a 1 Reg. 11. 5.

b *Et crediderunt viri Ninivitæ in Deum, & prædicaverunt jejunium, & vestiti sunt saccis à majore usque ad minorem. Et pervenit verbum ad Regem Ninive.* Ion. c. 3. 5.

c Nullus *enim audebat cubiculum virtutis Assyriorum pulsando aut introcundo aperire.* Iudith cap. 14. 10.

quam vero periculum urgens eos introire coegit, jam caput à reliquo avulsum corpore hostis è mœnibus *a* suspenderat. Ita plerumque accidit, ut tunc primum Princeps suos agnoscat errores, quando aut nullum iis superest remedium, aut certe difficulter adhiberi potest. Ministri ei persuadent, omnia bene feliciterque evenire, unde omnem abjicit curam, nullam comparat experientiam, & disciplinam necessitatis negligit, quæ optima est Prudentiæ magistra. Nam etsi è prudentia felicitas nascatur; non tamen è felicitate prudentia.

§. Præcipuum Prudentiæ munus in Principibus, aut aliis qui cum iis egerint, illud est, ut per experientiam nosse condiscant hominum singulorum naturas, quas ex amictu, ex aspectu, ex actionum, oculorumque motu, ex verbis denique licebit *b* perspicere: quod indicium tam humanæ conversationi conveniens duxit ipse Deus, ut illud in singulorum inscriptum frontibus palam intuentium oculis exponeret. Absque eo, nec Princeps recte imperare noverit, nec qui negotia curat, sine suo potiri. Hominum animi æque varii sunt, ac vultus; *c* & licet ratio in se una & eadem sit, diversæ tamen sunt viæ, per quas ratiocinatio eam investigat: & solent illusiones vis imaginatricis tam esse grandes, ut homines nonnulli bruti prorsus & rationis expertes videantur. Quare uno & eodem modo cum omnibus agi non potest, sed variare eum oportet, pro diversitate naturæ illius, quicum negotia tractanda sunt, non secus ac oreas in frænis pro varietate oris equini mutare convenit. Ingenia quædã generosa sunt, & ad magna connituntur: apud ista valent plurimum media honoris & gloriæ. Alia humilia & abjecta, quæ utilitatibus solum & commodis propriis capi se sinunt. Quædam superba sunt, & ad audendum projecta: cum his sic agendum, ut à præcipitio abducantur suaviter. Alia ignava ac timida, & hæc ad negotia ita manuducere oportet, ut periculi vanitatem agnoscant. Quædam servilis conditionis sunt: & apud ista plus virium habent, minæ & pœnarum metus, quam preces. Alia arrogantia: atque hæc auctoritate in viam reduci possunt; submissione omnino pessum eunt. Nonnulla ignea sunt, & in agendo tam expedita, ut eadem celeritate, qua negotium aliquod peragunt, eosdem facti mox pœniteat; & his consilium dare difficile est. Alia tardiora sunt, & quasi semper in ancipiti hærent: hæc suismet damnis, cum tempore erudiri debent; nam ista si urgeant, paulatim sese demittunt. Aliqua rudia sunt & stupida: hæc convincenda non argumentis subtilibus,

a *Mox autem ut ortus est dies, suspenderunt super muros caput Holofernis.* Iudith. 14. 7.

b *Amictus corporis & risus dentium, & ingressus hominis enuntiant de illo.* Ecclef. 19. 27.

c *Ex visu cognoscitur vir, & ab occursu faciei cognoscitur sensatus.* Ecclef. 19. 27.

sed quæ manibus tangi possint. Alia in disceptationem vocant omnia, & acumine nimio extra limites abeunt: hæc sibi relinquenda, ut instar falconum, ita sublime ferantur, donec defatigentur, postea demum ad tintinnabulum rationis revocanda sunt, & ad negotium, quod præ manibus est. Quædam omne aliorum judicium respuunt, & suo proprio dumtaxat innixa sese dirigunt: his consilium dare non expedit, sed solum quasi digito in illa intendere, late iis rem omnem exponendo, ut ultro iis occurrant, & tunc tanquam fœtus suos proprios, & approbent, & exequantur. Alia nec agere quicquam sciunt, nec sine consilio alieno certi aliquid statuere; apud ejusmodi homines frustra est omnis persuasio, adeoq; quod cum iis tractandum fuerit, melius per eorum Consiliarios, aliosvo, quos ipsi præ reliquis caros habent, accurari poterit.

Eadē varietas, quæ in ingeniis cernitur, pariter in negotiis reperitur. Quædam initio facilia sunt; postea vero fluviorum instar incrementum sumunt, variorum incommodorum & difficultatum, quasi rivulorum accessu: hæc celeritate superantur; ut per tempus iis crescere non liceat. Alia contra ventis sunt similia, qui nascuntur cum impetu, & leniter desinunt: in iis tolerantia constantiaque opus est. Alia non nisi cum incertitudine & periculo tentantur; quia ubi minime putes, difficultatum fundus sese aperit in his caute procedendum & fortiter, semper cum conto in manu, & animo adversus quemcumque casum munito. In aliquibus secretum expedit: hic cuniculis clandestinis agendum, ut successus felicior erumpat ante, quam adverti possit. Alia obtineri nequeunt, nisi certa temporis opportunitate, in his media omnia ad manum habere oportet & disposita, ut simul atque secundiores venti flare cœperint, mox pandantur vela. Nonnulla sensim radices agunt, & cum tempore ad maturitatem perveniunt: in iis diligentiæ spargenda sunt semina, expectanda donec germinent, & fructum faciant. Alia nisi confestim bonum sortiantur exitum, nunquam sortiuntur postea; atque hæc facto impetu pertentanda, uno tempore omnia simul applicando media. Quædam tam delicata sunt & fragilia, ut phialæ vitreæ ad instar flatu unico & efformentur, & rursum diffringantur: pro iis leni admodum manu opus est. Alia sunt, quæ si nimium cupiantur & desiderentur, redduntur difficiliora: in iis artes amantium usui erunt, qui spernendo & fugiendo amoris faces magis etiam succendunt. Negotia pauca recte curantur cum impetu: in aliquibus vis valet: in multis tolerantia: & in omnibus fere ratio & utilitas. Importunitas negotia multa evertit, multa etiam obtinuit; quemadmodum de muliere Chananæa dixit S. Hieronymus: a *Quod precibus non potuit, ta-*

a S. Hieron.

dio impetravit. Tam homines petitis abnuendo fessi fiunt quam annuendo. Commoda temporis opportunitas, illa est, quæ ad negotia recte gerenda plurimum momenti adfert, vix unquam non rite & ex animi sententia ea conficit, qui uti illa tempestive noverit: agricola qui naturam soli, & seminandi tempus probe cognita habet, bonam aliquando messem sperare potest. Tempus est, quando omnia conceduntur; tempus item, quando denegantur omnia, prout dispositus fuerit animus, in quo negotiorum incrementa & decrementa facile licet dignoscere; quin amputata non secus ac arbores, luna propitia, succrescunt *a* felicius. Industria quædam in modo proponendi, & persuadendi ab honesto, utili, facili: prudentia in seligendis mediis, & aliæ plures dotes naturales ad negotia rite expedienda plurimum faciunt; præsertim, si ista naturæ munera prudens quædam comitetur urbanitas, & gratia naturalis, animos sibi blande devinciens; vultus enim quidam sunt, & modi agendi tam insuaves & asperi, ut petita etiam negare doceant. Tametsi vero ista media cum bono judicio & industria perquam efficacia sint ad negotia ex voto transigenda, in iis tamen nec nimium confidere oportet, nec etiam desperare. Levissima quandoque negotia grandes pariunt difficultates, & contra gravissima in caussis levissimis sæpe diu hærent. Maxima etiam prudentia in re clarissima cœcutit, & ludit in humanis negotiis Providentia divina, quæ æterno suo decreto, quid de re quaque futurum sit, jam ante dispo-suit.

§. Atque ex ista ingeniorum & negotiorum diversitate videre nunc licet, quantum intersit, Principem tales legere Ministros, qui ad ea tractanda idonei sint. Neque enim omnes ad quævis negotia apti sunt & habiles, quemadmodum nec omnia instrumenta pro qualibet re inserviunt. Ingenia violenta, meticulosa & diffidentia, dura & tetrica in conservatione, quæ nec inservire norunt tempori, nec sese ad naturas aliorum accommodare & mores, citius negotia dissipant, quam componant; facilius hostes pariunt, quam pacem concilient; melius accusatorum funguntur munere, quam negotiorum possint esse curatores. Variis naturæ dotibus pro negotiis opus est. Ille Minister pro iis aptissimus erit, qui in vultu & verbis animum veracem & candidum præ se tulerit: qui se ipso ad sui amorem alliciat: in quo suspicio & astutia ab arte sint, non à natura: qui tacita ea servet in imo pectore, quamdiu publicare non expedit: qui cum suavitate proponat, cum tolerantia audiat, cum energia obsistat, cum solertia dissimulet, cum attentione urgeat; qui liberalitate obliget, argumentis persuadeat, experientiis convincat: qui de-

a Omni negotio tempus est, & opportunitas, Eccl. 8. 6.

denique cum prudentia decernat, & cum efficacia exequatur. Cum istiusmodi Ministris potuit Rex Ferdinandus Catholicus feliciter conficere negotia, quæ in votis habuit. Non minoris momenti est bona horum electio, quam conservatio & incrementum totius alicujus status; ex eo enim, quod singuli suo probe fungantur munere, omnia dependent. Plura regna per Ministrorum ignorantiam pessum iêre, quam Principum. In hanc itaque curam incumbat sedulo Serenitas Vestra, examinet diligenter, quibus naturæ bonis instructi sint subditi, & postquam iis munera quædam commiserit, identidem ad actiones eorundem suos reflectat oculos, neque confestim capi aut inescari se sinat ea delineatione, quam ipsi de curatis à se negotiis transmittunt: perpauci enim sunt Ministri, qui se ipsos ad vivum in iis depingant: & quis tam candidus erit, aut ab amore proprio alienus, qui illico fateatur, quid aut facere, aut prævertere forte prætermiserit, multum erit, si illud sincere referat, quod reipsa fecit; sunt enim, qui perscribant ad Principem, non quæ fecerint, aut dixerint; sed quæ facere, aut dicere debuissent. Omnia mente & animo præconceperunt, omnia designarunt ante, præviderunt, immo & executi sunt. Mirum dictu! negotia in eorum subintrant secreta conclavia velut informes trunci, sed mox inde prodeunt iterum, tanquam è fictorum officina, scite & affabre elaborata. Illic vernice, auro, coloribus illinuntur, ut venustiora appareant, & æstimentur ab aliis. Illic judicia formantur, & variæ excogitantur præventiones, etiam post transacta jam negotia. Illic isti potentiores ipso Deo tempus præteritum faciunt esse præsens, & contra præsens præteritum accommodando in literis datum rerum à se gestarum, prout magis commodum sibi visum fuerit. Ministri sunt, qui imaginatione sola curant negotia; vani sectatores applausuum, & præmiorum falsis literis quæsitorum. Unde gravissimi nascuntur errores, & incommoda; nam consiliarii, qui assistunt Principi, secundum instructiones illas & notitias sua moderantur consilia, & si à vero illæ aberraverint, erronea quoque erunt ipsa consulta & responsa, quæ iis innituntur. Sacræ literæ nos docent, quam Ministri, & nominatim Legati accurate de negotiis sibi commissis ad Principem referre debeant: siquidem Hazaël, qui missus fuerat à Benedado Rege Syriæ, cum mandatis, ut cum Elisæo Propheta de infirmitate Regis deliberaret, nec verbulum datæ sibi commissionis immutavit, nec in tertia persona loqui ausus [a] fuit.

§. Periculosi interdum sunt Ministri magna rerum experientia

[a] *Filius tuus Benadad Rex Syriæ misit me ad te, dicens: si sanari potero de infirmitate mea hac?* 4. Reg. cap. 8. 9.

tientia præditi, aut quia Princeps nimium in iis ponit fiduciæ, aut quia ipsi decepti amore proprio, & sibi præsidentes, de negotiis raro & perfunctorie cogitant, & tanquam naucleri ad superandas tempestates nati, despiciunt nimbos, procellasque incommodorum & difficultatum, & periculis sese exponunt. Tutiores (in quibusdam casibus) ii sunt, qui navigandi nondum admodum periti, litora solum remis suis legunt. Ex utrisque autem optimum & tutissimum conflatur consilium: nam illorum experientiæ horum metu & sollicitudine temperantur; quomodo etiam fit, quando ad eandem consultationem concurrunt consiliarii phlegmatici, & cholerici: audaces, & circumspecti: celeres, & tardi: ex ejusmodi enim mistione salubre quoddam consurgit sententiarum temperamentum, non secus atque in corporibus ex quatuor humorum contrarietate bona temperies oritur.

SYMBOLVM XXXI.

Columna seipsam sustentat, suo librata pondere. Si in alterutram inclinet partem, mox corruit, idque tanto celerius, quo graviori fuerit pondere. Haud aliter suamet auctoritate & existimatione firma subsistunt, & conservantur Imperia. Mox ubi eam perdere cœperint, ipsa labi incipiunt, nec ulla tanta est potentia, quæ ea firmet ac sustentet; imo a *nihil rerum mortalium tam instabile, ac fluxum est, quam fama potentiæ sua vi nixa.* Nemo columnæ ad perpendiculum erectæ nimium confidat; ubi paululum inclinaverit, quivis etiam maxime imbecillus ejusdem ruinam promovet: nam illa ipsa inclinatio nescio quomodo ad impellendum invitet; labentem autem nullum robur, quantumvis firmum, sustinuerit. Vna sola actio omnem interdum existimationem humi sternit; & ne multi quidem eam denuo possunt erigere: nulla enim fere macula ita plane eluitur, quin vestigium aliquod maneat, neque ulla in hominum mentibus est opinio, quæ integre & stirpitus evelli possit. Infamiam cures licet, cicatrices tamen in vultu derelinquit. Quare si corona fixa & firma non steterit supra perpendicularem existimationis columnam, brevi in terram decidet. Alphonsus V. b Aragoniæ Rex famæ auctoritate regnum suum conservavit non solum, sed & Neapolitano potitus est. Eodem tempore Rex Castellæ Ioannes Secundus, quia humili & abjecto erat animo, spernebatur à subditis, usque adeo, ut leges etiam ab iis acciperet, quas ipsi vellent. Provinciæ, quæ temporibus Iulii Cæsaris, & Augusti, Principum magnæ existimationis, constantes fuerant ac fideles, hostiles spiritus induerunt sub Galba, homine ignavo,

a Tacit. lib. 13. Annal.

b Mar. hist. Hisp. lib. 20. cap. 11.



vo, & contempto ab *a* omnibus. Sanguis regius, & Statuum amplitudo ad tuendam existimationem nequaquam sufficit, si desit Virtus, & magnitudo animi propria; perinde ut speculum non limbi exteriores æstimari faciunt, sed intrinseca ejus præstantia. In regia Majestate non plus inest virium quam in existimatione, quæ ex admiratione & metu nasci solet; ex utroque vero obedientia & subjectio, quæ si defuerint, non sese diu tuebitur Principis dignitas, in aliena opinione fundata; & purpura regia irri-

a Melius Divo Iulio, Divoque Augusto notos eorum animos, Galbam & infracta tributa, hostiles spiritus induisse. Tac. l. 4. Histor.

sionis

sionis potius signum videbitur, quam eminentiæ præ aliis & Majestatis, uti in rege Henrico Quarto cernere licuit. Spiritus & nativus calor corpus humanum in pedes erectum sustinent; sola tibiarum basis non sufficeret. Et quid aliud est existimatio, quam Spiritus quidam tenuis, in opinione omnium accensus, qui sceptrum recta sursum erigit, & sustentat? Curet itaque Princeps, quoad fieri potest, ut omnes actiones suæ, & operationes tales sint, quæ spiritus istos foveant, ac nutriant. In existimatione fundabant Parthi petitionem suam, cum rogarent Tiberium, ut iis sponte sua Phrahaten Phrahatis Regis filium Roma *a* mitteret.

§. Isthæc existimatio & auctoritas majores etiam in militia effectus operari solet, ubi plus metus potest, quam gladius; & efficacior est opinio, quam ipsum aut animi aut corporis robur, adeoque non minus de illa laborandum, quam de armorum viribus. Eam ob rem prudentissime suadebat Othoni Suetonius Paulinus, ut Senatum Romanum in suam semper trahere partem conaretur, quippe *b* cujus *nunquam obscura* possint esse *nomina, etsi aliquando obumbrentur*. Quæ etiam caussa fuit, cur provinciæ non paucæ in ipso spem suam & fiduciam *c* collocarent. In dissidiis illis magnorum Ducum, Cæsaris & Pompei præcipuum utriusque studium erat, ut alter alterius auctoritatem vinceret potius, quam arma: satis enim noverant animos, & perinde vires, famæ clamorem sequi magis, quam sonitum tympani. Rex Philippus Secundus eximius plane fuit in hac arte tuendæ existimationis: siquidem in hujus beneficio è privato cubiculo Mundi utriusque habenas sic moderatus est, ut obsequentissimas eas semper habuerit.

§. Quin tum etiam, cum ruina statuum præ oculis est, præstat eorum permittere interitum, quam existimationis jacturam facere: sine hac enim illi in integrum restitui nunquam possunt. Quapropter in gravissima illa tempestate conspirationis Cameracensis, etsi Respublica Veneta perditam se videret; prudentissimus tamen ille & fortissimus Senatus satius esse duxit constantem ea in re se præbere, quam aliquam prodere ignaviam, mediis utendo illicitis. Dominandi libido serviles reddit Principes. Id quia expendere omittebat Otho, passim *d protendens manus adorare vulgum videbatur, jacere oscula, & omnia serviliter pro dominatione gerere*; hoc ipso nimirum, quo ambiebat Imperium, quam eo indignus esset, palam omnibus faciens. Ne in inopia quidem & indigentia expedit mediis uti violentis, & minus decoris, aut subsidia ab extraneis petere; utrumque

a *Nomine tantum, & autore opus, ut sponte Cæsaris, ut genus Arsacis, ripam apud Euphratis cerneretur.* Tac. lib. 6. Annal.

b Tacit. l. 2. Hist.

c *Erat grande momentum in nomine urbis & prætextu Senatus*, Idem l. 1. Hist.

d Ibidem.

que enim periculosum, & neutrum ad egestatem sublevandam sufficit. Quid? quod tenuitati isti existimatione consulitur melius. Tam quis opinione locuples est, ac alius multis reconditis & occultis opibus. Ita Romani sibi olim persuadebant; quare etsi in diversis occasionibus afflictæ fortunæ iis offerrent Provinciæ pecuniaria & frumentaria subsidia, gratiis tamen actis, ea noluerunt admittere. Perierant aliquando in mari duæ legiones; a *cæterum ad supplenda exercitus damna certavere Gallia, Hispania, Italia: quod cuique promptum, aurum, equos, arma offerentes; quorum laudato studio, Germanicus armis modo, & equis ad bellum sumptis, propria pecunia militem juvit.* Binis item aliis temporibus, cum in maxima rerum calamitate & penuria Senatui Romano pateræ quædam aureæ magni pretii offerrentur, *b* una vice *legatis gratia acta pro magnificentia, curaque; patera, quæ ponderis minimi fuit, accepta; c* & alia vice, rursum *gratia acta, aurum non acceptum.*

5. Auctoritas & existimatio Principis variis ex caussis nascitur. Aliæ ad personam ipsius pertinent, aliæ ad ejus statum. Quæ ad personam pertinent, aut corporis sunt, aut animi: Corporis, si apte conformatum illud sit, & dispositum, ut Majestatem sustinere valeat; etsi Naturæ defectus animi virtutes interdum supplere soleant. Erant illi sane non exigui in Carolo Emanuele Sabaudiæ Duce; excelsitas tamen animi & magnitudo, ingenii vivacitas, aptissimi pro aula mores, & urbanitas, suspici eum faciebant. Motus aliquis severus & gravis in caussa est, ut pro Principe habeatur is, qui absque eo spretus fuisset ab omnibus; cui tamen sic miscere oportet humanitatem, ut servetur auctoritas, non ut incurratur in odium, aut arrogantiæ nota contrahatur, quo nomine à Tacito collaudatur d *Germanicus, qui visu & auditu juxta venerabilis, cum magnitudinem & gravitatem summæ fortunæ retineret, arrogantiam & invidiam effugerat.* Ad hæc pretium quoque & splendor vestium admirationem pariunt apud alios, & auctoritatem conciliant: plebs enim his exterioribus capitur, & cor humanum oculos non minus, quam intelligentiam in consilium adhibet; e quare optime dixit Rex Alphonsus Sapiens, *que las vestiduras faz en mucho conozer à los Homes por nobles, o por viles. E los Sabios antiguos est ablecieron, que los Reyes vistiessen paños de seda con oro, e con piedras preciosas, porque los Homes los puedan conoscer luego, que los viesen a menos de preguntar por ellos.* Rex Assuerus petentibus aures dabat, *indutus vestibus regiis, auroque fulgens, & pretiosis lapidibus.* Ideo Deus præcepit Moysi: *Faciesque vestem Sanctam Aaron fratri tuo in gloriam, & decorem.* Et fecit eam ex purpura auro intertexta, aliisque maximi pretii

a Tacit. lib. 1. Annal.
b Liv. l. 22.
c Ibid.
d Tac. lib. 2. Annal.
e L. 5. tt. 5. p. 2.

pretii rebus *a* exornata, quâ usi sunt postea successores, uti & etiamnum faciunt summi Pontifices, etsi majori cum modestia minorique sumptu. Quod si Pontifex Dei brachium *b* est in terris, si tonitrui instar censuras fulminat, æquum omnino est (quicquid cavilletur Impietas) ut sicut Deus ornatur splendore *c* lucis (vestimento cæli) ita ipse quoque terrena vestiatur pompa, & sublimis in sede à succollantibus *d* deportetur. Eadem ratio in Principibus locum habet, qui Dei vicem in temporalibus *e* obeunt.

Ampla item & sumptuosa Palatia, magnifico ornatu *f* instructa: nobilitas & claritas *g* familiæ; custodiæ Nationum, quarum fidelitas explorator *h* est, splendor & amplitudo aulæ, aliæque ostentationes publicæ, existimationem pariunt potentiæ Principis, & Majestatem addunt. Ejusdem excellentiam indicant illustriores tituli statuum aut industria, aut hæreditate acquisitorum, qui eidem solent tribui. Sic Isaias supremi rerum omnium effectoris ac Principis Majestatem variis nominibus ac titulis *i* explicat. Hisce itaque studeat Seren. Vestra personam suam regiam illustriorem reddere: modo tamen non ex levitate deferantur aut adulatione; sed ex universali omnium applausu, fundato in virtute & vera animi fortitudine, quales fuere, quibus honorati sunt olim Serenitatis Vestræ Antecessores, Rex Ferdinandus Sanctus, Alphonsus Magnus, Sanctius Fortis, Iacobus Pugnator, Alphonsus Magnanimus, & alii.

§. Præstantia virtutum, aliæque naturæ perfectiones, quæ in bono Gubernatore requiruntur, existimationem & auctoritatem conciliant Principi. Vna sola, quæ reluxerit in illo, seu ad militiam pertineat, seu ad pacem, aliarum defectus abunde supplere solet, ut si seipsum impendat negotiis, tametsi non omnino satisfaciat: nam omnia ad Ministros remittendo, valde vis Majestatis imminuitur, quare & *k* *Sallustius Crispus Livium monuit, ne Tiberius vim Principatus resolveret, cuncta ad Senatum revocando.* Vna aliqua res sapienter laudabiliterq; statuta à Principe opportuno tempore sine consultatione aliena: una indignatio, & potentiæ suæ vires vel leviter ostendisse, timeri eũ faciũt & suspici. Animi itẽ con-

a *Ipsa quoque textura & cuncta operis varietas erit ex auro, & Hyacintho & purpura.* Exod. 27. 8. Esth. cap. 15. 9. Exod. 28. 2.

b *Si habes brachium sicut Deus, & si voce simili tonas.* Iob c. 40. 4.

c *Decorem induisti: amictus lumine sicut vestimento.* Psal. 103. 2.

d *Circumda tibi decorem, & in sublime erigere, & esto gloriosus, & speciosis induere vestibus.* Iob. 40. 5.

e *Ego dixi; Dii estis, & filii excelsi omnes.* Psal. 81. 6.

f *Magnificavi opera mea, ædificavi mihi domos.* Eccles. 2. 4.

g *Nec erit ante ignobiles.* Prov. 22. 29.

h *Potestas & terror apud eum.* Iob. 25. 2.

i *Et vocabitur nomen ejus, Admirabilis, Consiliarius, Deus, fortis, Pater futuri sæculi, Princeps pacis.* If. cap. 9. 6.

k Tacit. lib. 1. Annal.

constantia in utraque fortuna: existimat enim vulgus supra communem esse naturam, secundis rebus non attolli, adversis non dejici; immo divinū aliquid in tali inesse Principe.

§. Æquabilitas in operando magnam insuper existimationem Principi comparat: judicii enim compositi & prudentis indicium est. Si favores suos intempestive impertiverit aliis, aut offensas leviter ulcisci voluerit, timebitur quidem; sed non æstimabitur, quomodo, a *Vitellium subitis offensis, aut intempestivis blanditiis mutabilem contemnebant, metuebantque.*

§. Ad tuendam prætérea existimationem etiam Prudentia conducit, ne videlicet conetur Princeps, quod potentia obtinere non potest. Immensa ea sit oportet, si Princeps bellum suscipiat, in quo nulla victoriæ spes, aut plus à subditis deposcat, quam liceat, & fieri possit, nec tamen occasionem iis det obedientiæ adjiciendæ. Attentare illud, nec posse ad effectum perducere, in Principe indecorum est, temerarium in subditis.

§. Tanti fiunt Principes, quanti semetipsi faciunt: etsi enim honor in existimatione aliena positus sit; hæc tamen ex præjudicata opinione fere de unoquoque formari solet, quæ major est, aut minor (si prudens saltem) prout animus ipse aut spiritus sumit à fortitudine, quam in semetipso experitur, aut eosdem perdit, si meritis careat. b *Optimi quippe mortalium altissima cupiunt*; ignavi vero nihil audent, & indignos se omni honore judicant. In his non semper demissio virtus est, & modestia, sed vilitas quædam animi; unde jure merito spernuntur ab aliis, dum dicunt ideo se altiora non appetere, quod sciant, se ea non promereri. Parum aberat, quin Blæsus Imperio indignus videretur, eo quod rogatus illud suscipere c contemneret. Infelix status, cujus caput aut Principis titulo indignum se reputat, aut plus etiam quam Principem æstimat. Primum illud, abjectio animi est, hoc alterum pro tyrannide habetur.

§. In istis animi dotibus etiā casus locum habet; contingit enim cum iis ipsis vilipendi Principem, quando Prudentia minus felix est, aut eventus non sat respondent consiliis. Gubernatio in se bona est, sed ita infausta, ut omnia minus recte sub manus succedant. Quod non semper providentiæ humanæ vitio accidit; sed divina potius sic disponit & ordinat, dū fines hi particulares hujusce inferioris regiminis, cū iis, quos gubernatio illa suprema & universalis sibi habet propositos, non omnino consentiunt.

§. Addo illud etiam, non sufficere omnes animi & corporis dotes, ad tuendam Principis existimationem, si ipsa ejus familia dissoluta sit. Ab illa tota ejus dependet auctoritas, neque ulla res difficilior, quam domum propriam habere bene composit am. Sane minus arduum plerisque videri solet

a Tacit. lib. 2. Hist.
b ibidem. l. 4. Annal.

c *Adeo non Principatus appetens, ut parum effugeret, ne dignus crederetur*, ibidem. l. 3. Hist.

ſolet integram gubernare Provinciam quam unam domum, eo quod Princeps curam iſtam in poſtremis habeat, animo ad majora attento, aut quia obſtat amor proprius, aut deeſt animi robur ad id neceſſariũ, aut eſt naturalis quædam ignavia, aut illi certe, qui circa Principem ſunt, inſolentias domeſticas & famulorum delicta ſic norunt tegere, ut remedium ijs adhibere non poſſit. Non minima Agricolæ laus fuit, *domum ſuam primam coercuiſſe*, nunquam permittendo, ut aut liberti, aut ſervi *a* publicis rebus ſe immiſcerent. Multi Principes Status ſuos regere ſciunt, pauci ſuas domos. Galba Imperator erat minime malus, ſuo tamen palatio non optime præfuit: neque enim in iſto minora dominabantur vitia, quam in Neronis *b* aula. Laudi datum Tiberio Imperatori non exiguæ, quod *modeſta* illi eſſent *ſervitia*. Nulla Gubernatio recte laudabiliterque inſtitui poterit, *c* ubi domeſtici ſimul imperant, & prædas agunt; aut ſuperbia ſua aliiſque vitiis auctoritatem ejus proſtituunt. Si boni illi ſunt, Principem quoque bonum efficiunt; ſi improbi, tametſi bonus ſit Princeps, improbus tamen videbitur. Ab illis actiones Principis ſuum mutuantur pretium, & bona ejuſdem fama dependet pariter, & mala; ſiquidem aliorum virtutes & vitia ipſi ſolent tribui. Si prudentes ſint domeſtici, errata ejus diſſimulant, immo quo ad fieri poteſt, omnes ejus actiones ab errore vindicant, & deprædicando, magis illuſtres reddunt. Relatæ ab illis cum quadam gratia, admirationem pariunt. Quicquid de Principe manat in publicum, id magnum judicatur à populo. Intra palatia Principes aliorum hominum conſimiles ſunt; exiſtimatio tamen majores eos fingit, & receſſus ille atque à communi aliorum conſortio ſegregatio, ſegnitiem eorum & inertiam contegit: quod ſi famuli minus prudentes ſint, & ſecreti haud ſatis tenaces, per eos tanquam per rimas quaſdam illam indagat populus, & reverentiam exuit, qua eos antea ſuſpiciebat & venerabatur.

§. Deniq; ex ipſo etiam ſtatu augeſcit exiſtimatio Principis, ſi nimirum leges optime conſtitutas habeat, & Magiſtratus, ſi in eo Iuſtitia vigeat; ſi unam tueatur Religionem; ſi Majeſtati ſupremæ honorem & obedientiam deferat; ſi annonæ & ubertatis curam habeat; ſi artes & arma floreant, & eluceat in rebus omnibus ordo quidã conſtans, & æqualis harmonia, à manu Principis profecta; immo etiam ſi felicitas ſtatuum ab ipſomet dependeat Principe: nam ſi abſque hoc illa potiri poſſint, facile eum deſpiciunt. *d Aratores in Ægypto cœlum non ſuſpiciunt*; cum enim Nilus inundatione ſua omnes late agros irriget, fœcundetque, nubibus haud quaquam indigent.

a Primum domum ſuam coërcuit, quod pleriſque haud minus arduum eſt, quam Provinciam regere: nihil per libertos, ſervoſque publicæ rei. Tac. in vita Agric.

b *Iam afferebant cuncta venalia prapotentes liberti, ſervorum manus ſubitis avida, tanquã apud ſenem feſtinantes* id. l. 1. Hiſt. c Tac. l. 4. Hiſt.

d Plin.

SYM-

SYMBOLVM XXII.



Concha de rore cœli concipit, & in candidissimo ejus sinu nascitur, & sese prodit pulcherrimus ille margaritæ partus. Nemo tantam ejus elegantiam ab exteriori forma tam rudi & impolita conjiceret. Haud aliter sensi falli solent in actionum exteriorum examine, si secundun extimam rerum faciem judicent solum, nec ad interior penetrent. Veritas ab opinione non pendet. Aspernetu

tiam a *nihil gloriosum, nisi tutum, & omnia retinenda Dominationis honesta*; neque enim quod indecens est, bonum medium esse potest ad illam tuendam; neque si fuerit, ideo honestum erit, aut excusandum. Illud solum contendo, ut Principis animum opinionibus vulgaribus superiorem faciam, & constantem adversus vanas Populi obtrectationes. Ut sciat cedere tempori, & dissimulare offensas, deponere gravitatem regiam: aspernari inanem famam, oculis in vera illa & solida defixis: in arena denique ut ajunt, ac necessitate consilium capere, si ita expedire visum fuerit ad status sui conservationem; nec decipi se sinat vanis quibusdam gloriolæ umbris, pluris scilicet eam æstimando, quam utilitatem publicam; id quod Regi Henrico Quarto vitio datum fuit, nolenti eorum sequi consilium, qui suasores illi fuerant, ut Ioannem *b* PaciechumVillenæ Marchionem comprehenderet, tumultuum & commotionis inter regni Proceres auctorem & incentorem: excusando se, quod fidem illi publicam dedisset Madritum veniendi, contra quam agere sibi non liceret. Frivola excusatio, inane fidei & clementiæ specimen vitæ suæ & saluti publicæ anteferre, ergà eum præsertim, qui concessa sibi securitate abuteretur ad perniciem ipsi personæ regiæ machinandam, unde gravissima ad ipsum Regem, & universum ejus regnum manarant damna ac detrimenta.

a Salust.

b Mar. hist. Hisp. 23. c. 7.

Nil Tiberius Cæsar morabatur, vitio sibi verti à nonnullis, quod tanto tempore in insula Capreis cunctaretur, in solos calumniatores intentos habens oculos, neque Galliæ laboranti succurreret, cujus bona pars jam tum perierat, neque legiones in Germania componeret. Hæc, inquam, nihil ille morabatur, quin *tanto impensius in securitatem compositus, neque loco, neque vultu mutatus*, c *sed ut solitum per dies illos egit*. Constantia prudens audit, non curat magnopere judicia & sensus imperitæ multitudinis, sciens rebus bene gestis, obtrectationem postea in majorem cedere gloriam, & seipsa sensim evanescere. Diffidebat exercitus electioni Saulis in Regem, eumque aspernando dicebat: d *Num salvare nos poterit iste?* Dissimulavit tamen verba ista Saül, & surdis accepit auribus (neque enim Principes audire omnia convenit) & milites suum postea damnantes errorem palinodiam cecinerunt, immo & in obtrectationis auctorem inquisiverunt, infami mulctandum morte, si e deprehenderetur. Non fuisset factum prudens, electionem suam in discrimen objicere, præ se ferendo notitiam sinistri illius popularis judicii. Nimia viatoris esset levitas, si ab importuno locustarū stridore moras sibi in itinere injici pateretur. Ex rumore vulgi

c Tacit. lib. 3. Annal.

d 1 Reg. 10. 27.

e *Quis est iste, qui dixit: Saul num regnabit super nos? Date viros & interficiemus eos.* 1. Reg. 11. 12.

eam Princeps, si è rationis præscripto egisse se sciat. Nihil magnopere arduum aut eximium audebit aggredi, si ad sensum vulgi cum metu suo velit in deliberationem descendere. In semetipso se quærat, non in aliis. Regnandi ars ob tenues istas existimationis umbras conturbari se non finit. in illo Rege hæc major est, qui pacis, bellique artes rite moderari noverit. Subditorum honos è quacunque re nævum contrahit; ille autem Regis cum beneficio publico conjunctus est: durante hoc crescit; imminuto interit. Nimium etiam haberet periculi gubernatio, fundata in legibus existimationis à levi vulgo institutis. Earum despicientia, animi magnitudo, & constantia est in Principe, cui pro suprema lege salus Populi est. Gloriabatur olim in Senatu Tiberius, *a* quod *offensionum pro utilitate publica non pavidum* se exhiberet. Animus erectus & alacer incertos vulgi rumores, & famam popularem nil metuit. Qui inanem spernit gloriam, vera solidaque fruetur. Non ignorabat id Fabius Maximus, cum salutem publicam rumoribus, & querelis vulgi anteponeret, qui tarditatem ejus incusabat; uti & magnus ille Dux in captivitate Ducis *b* Valentini, qui etsi sese illius commisisset potestati, fidemque securitatis publicam ab eo accepisset, propter occultas tamen mores, quas denuo illum Regem Catholicum Magnus Dux rescierat, in custodiis eum detinuit, ratus nimirum incommodorum potius, quæ ex libertate illius oriri possent, habendam esse rationem, quam sermonum contra se, & querimoniarum, quasi datam fidem violasset; qua de re ut se purgaret *c* tunc palam, nullo modo expedire videbatur. Rex Sanctius, cognomento Fortis, gloriosus fuit, & bellicosus, surdus tamen ad obtrectationes suorum Subditorum, prælium ad Cæsarianum (sic urbem vocant, quæ vulgo Xeres dicitur) detrectavit. Satius est, Principem ut prudentem timeri ab hostibus, quam ut præcipitem aut temerarium.

§. Hi discursus non eo spectant, ut Principem abjectum & vile Reipublicæ mancipium esse velim, adeo ut quacunque de caussa, aut utilitatis specie fallat datam fidem, aut pactis conventisque contraveniat: talis enim fidei violatio nec ipsi aut ejus Statui ullum accerset commodum, sed ruinam potius, & publicum pariet detrimentum; neque diu securum esse potest, quod honestum non est: uti in Aragoniæ regno videre fuit, turbato toties, totque sæpe calamitatum, ac imminentium subditis miseriarum procellis agitato, eo quod Rex Petrus Quartus tam pacis quam belli tempore ad commodum magis, quam ad existimationem & famam cuncta referebat. Utilitas & honestas junctæ, & pari passu ambulent, oportet. Nec in eam me adduci patior sententiam

a ... 4. Annal.
b ... Hisp. l. 28. c. 8.
c idem, hist. Hisp. l. 14. c. 8.

tiam a *nihil gloriosum, nisi tutum, & omnia retinenda Dominationis honesta*; neque enim quod indecens est, bonum medium esse potest ad illam tuendam; neque si fuerit, ideo honestum erit, aut excusandum. Illud solum contendo, ut Principis animum opinionibus vulgaribus superiorem faciam, & constantem adversus vanas Populi obtrectationes. Vt sciat cedere tempori, & dissimulare offensas, deponere gravitatem regiam: aspernari inanem famam, oculis in vera illa & solida defixis: in arena denique ut ajunt, ac necessitate consilium capere, si ita expedire visum fuerit ad status sui conservationem; nec decipi se sinat vanis quibusdam gloriolæ umbris, pluris scilicet eam æstimando, quam utilitatem publicam; id quod Regi Henrico Quarto vitio datum fuit, nolenti eorum sequi consilium, qui suasores illi fuerant, ut Ioannem *b* PaciechumVillenæ Marchionem comprehenderet, tumultuum & commotionis inter regni Proceres auctorem & incentorem: excusando se, quod fidem illi publicam dedisset Madritum veniendi, contra quam agere sibi non liceret. Frivola excusatio, inane fidei & clementiæ specimen vitæ suæ & saluti publicæ anteferre, ergà eum præsertim, qui concessa sibi securitate abuteretur ad perniciem ipsi personæ regiæ machinandam, unde gravissima ad ipsum Regem, & universum ejus regnum manarant damna ac detrimenta.

a Salust.
b Max. hist. Hisp. 23. c. 7.

Nil Tiberius Cæsar morabatur, vitio sibi verti à nonnullis, quod tanto tempore in insula Capreis cunctaretur, in solos calumniatores intentos habens oculos, neque Galliæ laboranti succurreret, cujus bona pars jam tum perierat, neque legiones in Germania componeret. Hæc, inquam, nihil ille morabatur, quin *tanto impensius in securitatem compositus, neque loco, neque vultu mutatus*, *c* *sed ut solitum per dies illos egit*. Constantia prudens audit, non curat magnopere judicia & sensus imperitæ multitudinis, sciens rebus bene gestis, obtrectationem postea in majorem cedere gloriam, & seipsa sensim evanescere. Diffidebat exercitus electioni Saulis in Regem, eumque aspernando dicebat: *d* *Num salvare nos poterit iste?* Dissimulavit tamen verba ista Saül, & surdis accepit auribus (neque enim Principes audire omnia convenit) & milites suum postea damnantes errorem palinodiam cecinerunt, immo & in obtrectationis auctorem inquisiverunt, infami mulctandum morte, si *e* deprehenderetur. Non fuisset factum prudens, electionem suam in discrimen objicere, præ se ferendo notitiam sinistri illius popularis judicii. Nimia viatoris esset levitas, si ab importuno locustarū stridore moras sibi in itinere injici pateretur. Ex rumore vulgi

c Tacit. lib. 3. Annal.
d 1 Reg. 10. 27.
e *Quis est iste, qui dixit: Saul num regnabit super nos? Date viros & interficiemus eos.* 1. Reg. 11. 12.

eam Princeps, si è rationis præscripto egisse se sciat. Nihil magnopere arduum aut eximium audebit aggredi, si ad sensum vulgi cum metu suo velit in deliberationem descendere. In semetipso se quærat, non in aliis. Regnandi ars ob tenues istas existimationis umbras conturbari se non sinit. in illo Rege hæc major est, qui pacis, bellique artes rite moderari noverit. Subditorum honos è quacunque re nævum contrahit; ille autem Regis cum beneficio publico conjunctus est: durante hoc crescit; imminuto interit. Nimium etiam haberet periculi gubernatio, fundata in legibus existimationis à levi vulgo institutis. Earum despicientia, animi magnitudo, & constantia est in Principe, cui pro suprema lege salus Populi est. Gloriabatur olim in Senatu Tiberius, *a* quod *offensionum pro utilitate publica non pavidum* se exhiberet. Animus erectus & alacer incertos vulgi rumores, & famam popularem nil metuit. Qui inanem spernit gloriam, vera solidaque fruetur. Non ignorabat id Fabius Maximus, cum salutem publicam rumoribus, & querelis vulgi anteponeret, qui tarditatem ejus incusabat; uti & magnus ille Dux in captivitate Ducis *b* Valentini, qui etsi sese illius commisisset potestati, fidemque securitatis publicam ab eo accepisset, propter occultas tamen molitiones, quas denuo illum adversus Regem Catholicum suscepisse Magnus Dux resciverat, in custodiis eum detinuit, ratus nimirum incommodorum potius, quæ ex libertate illius oriri possent, habendam esse rationem, quam sermonum contra se, & querimoniarum, quasi datam fidem violasset; qua de re ut se purgaret *c* tunc palam, nullo modo expedire videbatur. Rex Sanctius, cognomento Fortis, gloriosus fuit, & bellicosus, surdus tamen ad obtrectationes suorum Subditorum, prælium ad Cæsarianum (sic urbem vocant, quæ vulgo Xeres dicitur) detrectavit. Satius est, Principem ut prudentem timeri ab hostibus, quam ut præcipitem aut temerarium.

§. Hi discursus non eo spectant, ut Principem abjectum & vile Reipublicæ mancipium esse velim, adeo ut quacunque de caussa, aut utilitatis specie fallat datam fidem, aut pactis conventisque contraveniat: talis enim fidei violatio nec ipsi aut ejus Statui ullum accerset commodum, sed ruinam potius, & publicum pariet detrimentum; neque diu securum esse potest, quod honestum non est: uti in Aragoniæ regno videre fuit, turbato toties, totque sæpe calamitatum, ac imminentium subditis miseriarum procellis agitato, eo quod Rex Petrus Quartus tam pacis quam belli tempore ad commodum magis, quam ad existimationem & famam cuncta referebat. Vtilitas & honestas junctæ, & pari passu ambulent, oportet. Nec in eam me adduci patior sententiam

a Tacit. lib. 4. Annal.
b Mar. hist. Hisp. l. 28. c. 8.
c idem. hist. Hisp. l. 14. c. 2.

tiam a *nihil gloriosum, nisi tutum, & omnia retinenda Dominationis honesta*; neque enim quod indecens est, bonum medium esse potest ad illam tuendam; neque si fuerit, ideo honestum erit, aut excusandum. Illud solum contendo, ut Principis animum opinionibus vulgaribus superiorem faciam, & constantem adversus vanas Populi obtrectationes. Vt sciat cedere tempori, & dissimulare offensas, deponere gravitatem regiam: aspernari inanem famam, oculis in vera illa & solida defixis: in arena denique ut ajunt, ac necessitate consilium capere, si ita expedire visum fuerit ad status sui conservationem; nec decipi se sinat vanis quibusdam gloriolæ umbris, pluris scilicet eam æstimando, quam utilitatem publicam; id quod Regi Henrico Quarto vitio datum fuit, nolenti eorum sequi consilium, qui suasores illi fuerant, ut Ioannem *b* Paciechum Villenæ Marchionem comprehenderet, tumultuum & commotionis inter regni Proceres auctorem & incentorem: excusando se, quod fidem illi publicam dedisset Madritum veniendi, contra quam agere sibi non liceret. Frivola excusatio, inane fidei & clementiæ specimen vitæ suæ & saluti publicæ anteferre, erga eum præsertim, qui concessa sibi securitate abuteretur ad perniciem ipsi personæ regiæ machinandam, unde gravissima ad ipsum Regem, & universum ejus regnum manarant damna ac detrimenta.

a Salust.
b Mar. hist. Hisp. 23. c. 7.

Nil Tiberius Cæsar morabatur, vitio sibi verti à nonnullis, quod tanto tempore in insula Capreis cunctaretur, in solos calumniatores intentos habens oculos, neque Galliæ laboranti succurreret, cujus bona pars jam tum perierat, neque legiones in Germania componeret. Hæc, inquam, nihil ille morabatur, quin *tanto impensius in securitatem compositus, neque loco, neque vultu mutatus*, c *sed ut solitum per dies illos egit*. Constantia prudens audit, non curat magnopere judicia & sensus imperitæ multitudinis, sciens rebus bene gestis, obtrectationem postea in majorem cedere gloriam, & seipsa sensim evanescere. Diffidebat exercitus electioni Saulis in Regem, eumque aspernando dicebat: d *Num salvare nos poterit iste?* Dissimulavit tamen verba ista Saül, & surdis accepit auribus (neque enim Principes audire omnia convenit) & milites suum postea damnantes errorem palinodiam cecinerunt, immo & in obtrectationis auctorem inquisiverunt, infami mulctandum morte, si *e* deprehenderetur. Non fuisset factum prudens, electionem suam in discrimen objicere, præ se ferendo notitiam sinistri illius popularis judicii. Nimia viatoris esset levitas, si ab importuno locustarũ stridore moras sibi in itinere injici pateretur. Ex rumore vulgi

c Tacit. lib. 3. Annal.
d 1 Reg. 10. 27.
e *Quis est iste, qui dixit: Saul num regnabit super nos? Date viros & interficiemus eos.* 1. Reg. 11. 12.

eam Princeps, si è rationis præscripto egisse se sciat. Nihil magnopere arduum aut eximium audebit aggredi, si ad sensum vulgi cum metu suo velit in deliberationem descendere. In semetipso se quærat, non in aliis. Regnandi ars ob tenues istas existimationis umbras conturbari se non sinit. in illo Rege hæc major est, qui pacis, bellique artes rite moderari noverit. Subditorum honos è quacunque re nævum contrahit; ille autem Regis cum beneficio publico conjunctus est: durante hoc crescit; imminuto interit. Nimium etiam haberet periculi gubernatio, fundata in legibus existimationis à levi vulgo institutis. Earum despicientia, animi magnitudo, & constantia est in Principe, cui pro suprema lege salus Populi est. Gloriabatur olim in Senatu Tiberius, *a* quod *offensionum pro utilitate publica non pavidum* se exhiberet. Animus erectus & alacer incertos vulgi rumores, & famam popularem nil metuit. Qui inanem spernit gloriam, vera solidaque fruetur. Non ignorabat id Fabius Maximus, cum salutem publicam rumoribus, & querelis vulgi anteponeret, qui tarditatem ejus incusabat; uti & magnus ille Dux in captivitate Ducis *b* Valentini, qui etsi sese illius commisisset potestati, fidemque securitatis publicam ab eo accepisset, propter occultas tamen molitiones, quas denuo illum adversus Regem Catholicum suscepisse Magnus Dux rescierat, in custodiis eum detinuit, ratus nimirum incommodorum potius, quæ ex libertate illius oriri possent, habendam esse rationem, quam sermonum contra se, & querimoniarum, quasi datam fidem violasset; qua de re ut se purgaret *c* tunc palam, nullo modo expedire videbatur. Rex Sanctius, cognomento Fortis, gloriosus fuit, & bellicosus, surdus tamen ad obtrectationes suorum Subditorum, prælium ad Cæsarianum (sic urbem vocant, quæ vulgo Xeres dicitur) detrectavit. Satius est, Principem ut prudentem timeri ab hostibus, quam ut præcipitem aut temerarium.

§. Hi discursus non eo spectant, ut Principem abjectum & vile Reipublicæ mancipium esse velim, adeo ut quacunque de caussa, aut utilitatis specie fallat datam fidem, aut pactis conventisque contraveniat: talis enim fidei violatio nec ipsi aut ejus Statui ullum accerset commodum, sed ruinam potius, & publicum pariet detrimentum; neque diu securum esse potest, quod honestum non est: uti in Aragoniæ regno videre fuit, turbato toties, totque sæpe calamitatum, ac imminentium subditis miseriarum procellis agitato, eo quod Rex Petrus Quartus tam pacis quam belli tempore ad commodum magis, quam ad existimationem & famam cuncta referebat. Utilitas & honestas junctæ, & pari passu ambulent, oportet. Nec in eam me adduci patior sententiam

tiam

a Tacit. lib. 4. Annal.
b Mar. hist. Hisp. l. 28. c. 8.
c idem. hist. Hisp. l. 24. c. 2.

tiam a *nihil gloriosum, nisi tutum, & omnia retinenda Dominationis honesta* a; neque enim quod indecens est, bonum medium esse potest ad illam tuendam; neque si fuerit, ideo honestum erit, aut excusandum. Illud solum contendo, ut Principis animum opinionibus vulgaribus superiorem faciam, & constantem adversus vanas Populi obtrectationes. Vt sciat cedere tempori, & dissimulare offensas, deponere gravitatem regiam: aspernari inanem famam, oculis in vera illa & solida defixis: in arena denique ut ajunt, ac necessitate consilium capere, si ita expedire visum fuerit ad status sui conservationem; nec decipi se sinat vanis quibusdam gloriosæ umbris, pluris scilicet eam æstimando, quam utilitatem publicam; id quod Regi Henrico Quarto vitio datum fuit, nolenti eorum sequi consilium, qui suasores illi fuerant, ut Ioannem b PaciechumVillenæ Marchionem comprehenderet, tumultuum & commotionis inter regni Proceres auctorem & incentorem: excusando se, quod fidem illi publicam dedisset Madritum veniendi, contra quam agere sibi non liceret. Frivola excusatio, inane fidei & clementiæ specimen vitæ suæ & saluti publicæ anteferre, ergà eum præsertim, qui concessa sibi securitate abuteretur ad perniciem ipsi personæ regiæ machinandam, unde gravissima ad ipsum Regem, & universum ejus regnum manarant damna ac detrimenta.

a Salust.
b Mar. hist. Hisp. 23. c. 7.

Nil Tiberius Cæsar morabatur, vitio sibi verti à nonnullis, quod tanto tempore in insula Capreis cunctaretur, in solos calumniatores intentos habens oculos, neque Galliæ laboranti succurreret, cujus bona pars jam tum perierat, neque legiones in Germania componeret. Hæc, inquam, nihil ille morabatur, quin *tanto impensius in securitatem compositus, neque loco, neque vultu mutatus*, c *sed ut solitum per dies illos egit.* Constantia prudens audit, non curat magnopere judicia & sensus imperitæ multitudinis, sciens rebus bene gestis, obtrectationem postea in majorem cedere gloriam, & seipsa sensim evanescere. Diffidebat exercitus electioni Saulis in Regem, eumque aspernando dicebat: d *Num salvare nos poterit iste?* Dissimulavit tamen verba ista Saül, & surdis accepit auribus (neque enim Principes audire omnia convenit) & milites suum postea damnantes errorem palinodiam cecinerunt, immo & in obtrectationis auctorem inquisiverunt, infami mulctandum morte, si e deprehenderetur. Non fuisset factum prudens, electionem suam in discrimen objicere, præ se ferendo notitiam sinistri illius popularis judicii. Nimia viatoris esset levitas, si ab importuno locustarū stridore moras sibi in itinere injici pateretur. Ex rumore vul-gi

c Tacit. lib. 3. Annal.
d 1 Reg. 10. 27.
e *Quis est iste, qui dixit: Saul num regnabit super nos? Date viros & interficiemus eos.* 1. Reg. 11. 12.

solet integram gubernare Provinciam quam unam domum, eo quod Princeps curam istam in postremis habeat, animo ad majora attento, aut quia obstat amor proprius, aut deest animi robur ad id necessariũ, aut est naturalis quædam ignavia, aut illi certe, qui circa Principem sunt, insolentias domesticas & famulorum delicta sic norunt tegere, ut remedium ijs adhibere non possit. Non minima Agricolæ laus fuit, *a domum suam primam coercuisse*, nunquam permittendo, ut aut liberti, aut servi *a* publicis rebus se immiscerent. Multi Principes Status suos regere sciunt, pauci suas domos. Galba Imperator erat minime malus, suo tamen palatio non optime præfuit; neque enim in isto minora dominabantur vitia, quam in Neronis *b* aula. Laudi datum Tiberio Imperatori non exiguæ, quod *modesta* illi essent *servitia*. Nulla Gubernatio recte laudabiliterque institui poterit, *c* ubi domestici simul imperant, & prædas agunt; aut superbia sua aliisque vitiis auctoritatem ejus prostituunt. Si boni illi sunt, Principem quoque bonum efficiunt; si improbi, tametsi bonus sit Princeps, improbus tamen videbitur. Ab illis actiones Principis suum mutuantur pretium, & bona ejusdem fama dependet pariter, & mala; siquidem aliorum virtutes & vitia ipsi solent tribui. Si prudentes sint domestici, errata ejus dissimulant, immo quo ad fieri potest, omnes ejùs actiones ab errore vindicant, & deprædicando, magis illustres reddunt. Relatæ ab illis cum quadam gratia, admirationem pariunt. Quicquid de Principe manat in publicum, id magnum judicatur à populo. Intra palatia Principes aliorum hominum consimiles sunt; existimatio tamen majores eos fingit, & recessus ille atque à communi aliorum consortio segregatio, segnitiem eorum & inertiam contegit: quod si famuli minus prudentes sint, & secreti haud satis tenaces, per eos tanquam per rimas quasdam illam indagat populus, & reverentiam exuit, qua eos antea suspiciebat & venerabatur.

§. Deniq; ex ipso etiam statu augescit existimatio Principis, si nimirum leges optime constitutas habeat, & Magistratus, si in eo Iustitia vigeat; si unam tueatur Religionem; si Majestati supremæ honorem & obedientiam deferat; si annonæ & ubertatis curam habeat; si artes & arma floreant, & eluceat in rebus omnibus ordo quidã constans, & æqualis harmonia, à manu Principis profecta; immo etiam si felicitas statuum ab ipsomet dependeat Principe: nam si absque hoc illa potiri possint, facile eum despiciunt. *d Aratores in Ægypto cælum non suspiciunt*; cum enim Nilus inundatione sua omnes late agros irriget, fœcundetque, nubibus haud quaquam indigent.

a Primum domum suam coërcuit, quod plerisque haud minus arduum est, quam Provinciam regere: nihil per libertos, servosque publica rei. Tac. in vita Agric.

b *Iam afferebant cuncta venalia præpotentes liberti, servorum manus subitis avidæ, tanquã apud senem festinantes* id. l. 1. Hist. c Tac. l. 4. Hist.

d Plin.

SYM-

SYMBOLVM XXII.



Concha de rore cœli concipit, & in candidissimo ejus sinu nascitur, & sese prodit pulcherrimus ille margaritæ partus. Nemo tantam ejus elegantiam ab exteriori forma tam rudi & impolita conjiceret. Haud aliter sensus falli solent in actionum exteriorum examine, si secundum extimam rerum faciem judicent solum, nec ad interiora penetrent. Veritas ab opinione non pendet. Aspernetur

eam

eam Princeps, si è rationis præscripto egisse se sciat. Nihil magnopere arduum aut eximium audebit aggredi, si ad sensum vulgi cum metu suo velit in deliberationem descendere. In semetipso se quærat, non in aliis. Regnandi ars ob tenues istas existimationis umbras conturbari se non finit. in illo Rege hæc major est, qui pacis, bellique artes rite moderari noverit. Subditorum honos è quacunque re nævum contrahit; ille autem Regis cum beneficio publico conjunctus est: durante hoc crescit; imminuto interit. Nimium etiam haberet periculi gubernatio, fundata in legibus existimationis à levi vulgo institutis. Earum despicientia, animi magnitudo, & constantia est in Principe, cui pro suprema lege salus Populi est. Gloriabatur olim in Senatu Tiberius, a quod *offensionum pro utilitate publica non pavidum* se exhiberet. Animus erectus & alacer incertos vulgi rumores, & famam popularem nil metuit. Qui inanem spernit gloriam, vera solidaque fruetur. Non ignorabat id Fabius Maximus, cum salutem publicam rumoribus, & querelis vulgi anteponeret, qui tarditatem ejus incusabat; uti & magnus ille Dux in captivitate Ducis b Valentini, qui etsi sese illius commisisset potestati, fidemque securitatis publicam ab eo accepisset, propter occultas tamen molitiones, quas denuo illum adversus Regem Catholicum suscepisse Magnus Dux rescierat, in custodiis eum detinuit, ratus nimitum incommodorum potius, quæ ex libertate illius oriri possent, habendam esse rationem, quam sermonum contra se, & querimoniarum, quasi datam fidem violasset; qua de re ut se purgaret c tunc palam, nullo modo expedire videbatur. Rex Sanctius, cognomento Fortis, gloriosus fuit, & bellicosus, surdus tamen ad obtrectationes suorum Subditorum, prælium ad Cæsarianum (sic urbem vocant, quæ vulgo Xeres dicitur) detrectavit. Satius est, Principem ut prudentem timeri ab hostibus, quam ut præcipitem aut temerarium.

§. Hi discursus non eo spectant, ut Principem abjectum & vile Reipublicæ mancipium esse velim, adeo ut quacunque de caussa, aut utilitatis specie fallat datam fidem, aut pactis conventisque contraveniat: talis enim fidei violatio nec ipsi aut ejus Statui ullum accerset commodum, sed ruinam potius, & publicum pariet detrimentum; neque diu securum esse potest, quod honestum non est: uti in Aragoniæ regno videre fuit, turbato toties, totque sæpe calamitatum, ac imminentium subditis miseriarum procellis agitato, eo quod Rex Petrus Quartus tam pacis quam belli tempore ad commodum magis, quam ad existimationem & famam cuncta referebat. Vtilitas & honestas junctæ, & pari passu ambulent, oportet. Nec in eam me adduci patior sententiam

a Tacit. lib. 4. Annal.
b Mar. hist. Hisp. l. 28. c. 8.
c idem, hist. Hisp. l. 14. c. 2.

tiam a *nihil gloriosum, nisi tutum, & omnia retinenda Dominationis honesta a*; neque enim quod indecens est, bonum medium esse potest ad illam tuendam; neque si fuerit, ideo honestum erit, aut excusandum. Illud solum contendo, ut Principis animum opinionibus vulgaribus superiorem faciam, & constantem adversus vanas Populi obtrectationes. Vt sciat cedere tempori, & dissimulare offensas, deponere gravitatem regiam: aspernari inanem famam, oculis in vera illa & solida defixis: in arena denique ut ajunt, ac necessitate consilium capere, si ita expedire visum fuerit ad status sui conservationem; nec decipi se sinat vanis quibusdam gloriolæ umbris, pluris scilicet eam æstimando, quam utilitatem publicam; id quod Regi Henrico Quarto vitio datum fuit, nolenti eorum sequi consilium, qui suasores illi fuerant, ut Ioannem *b* PaciechumVillenæ Marchionem comprehenderet, tumultuum & commotionis inter regni Proceres auctorem & incentorem: excusando se, quod fidem illi publicam dedisset Madritum veniendi, contra quam agere sibi non liceret. Frivola excusatio, inane fidei & clementiæ specimen vitæ suæ & saluti publicæ anteferre, ergà eum præsertim, qui concessa sibi securitate abuteretur ad perniciem ipsi personæ regiæ machinandam, unde gravissima ad ipsum Regem, & universum ejus regnum manarant damna ac detrimenta.

a Salust.
b Mar. hist. Hisp. 23. c. 7.

Nil Tiberius Cæsar morabatur, vitio sibi verti à nonnullis, quod tanto tempore in insula Capreis cunctaretur, in solos calumniatores intentos habens oculos, neque Galliæ laboranti succurreret, cujus bona pars jam tum perierat, neque legiones in Germania componeret. Hæc, inquam, nihil ille morabatur, quin *tanto impensius in securitatem compositus, neque loco, neque vultu mutatus, c sed ut solitum per dies illos egit.* Constantia prudens audit, non curat magnopere judicia & sensus imperitæ multitudinis, sciens rebus bene gestis, obtrectationem postea in majorem cedere gloriam, & seipsa sensim evanescere. Diffidebat exercitus electioni Saulis in Regem, eumque aspernando dicebat: d *Num salvare nos poterit iste?* Dissimulavit tamen verba ista Saül, & surdis accepit auribus (neque enim Principes audire omnia convenit) & milites suum postea damnantes errorem palinodiam cecinerunt, immo & in obtrectationis auctorem inquisiverunt, infami mulctandum morte, si *e* deprehenderetur. Non fuisset factum prudens, electionem suam in discrimen objicere, præ se ferendo notitiam sinistri illius popularis judicii. Nimia viatoris esset levitas, si ab importuno locustarũ stridore moras sibi in itinere injici pateretur. Ex rumore vulgi

c Tacit. lib. 3. Annal.
d 1 Reg. 10. 27.
e *Quis est iste, qui dixit: Saul num regnabit super nos? Date viros & interficiemus eos.* 1. Reg. 11. 12.

gi statuere vecordia *a* est. Timere illum, & quæ statuta sunt semel, revocare, prorsus indignum. Vix unquam firmū esset ullum consilium, si à vulgo dependeret, qui caussas, quæ impulerint Principem, omnes penetrare non potest, neque eas publicare expedit: hoc enim esset sceptri auctoritatem illi tribuere. In Principe tota populi potestas sita est. Principis est agere, Populi jussa exequi, bona interim fide sibi persuadendo, recte ac juste ita præcipi. b *Si, ubi jubeantur, quærere singulis liceat, pereunte obsequio, etiam Imperium intercidit.* Tam hæc ignorare oportet eū, qui paret, quam scire *c* alia. Principibus *summum rerum judicium Deus dedit*, subditis *obsequii gloria relicta* d *est.* Illud solum postulatur à Principe, ut obligationi suæ in statuendo & decernendo faciat satis; quod si postea non omnia è voto succedant, animo ne cadat: satis enim est, nihil imprudenter egisse. Quod optimum etiam videtur consilium, infirmum est, & casibus variis obnoxium. Quo Monarchia est amplior, eo magis exposita est eventibus minus prosperis, quos aut casus secum trahit, aut judicium humanum præcavere satis haud potest. Grandia corpora grandes infirmitates pati solent. Nisi Princeps fortiter constanterque negotiis insisteret, quicquid obtrectent alii, infelicissimam vitam viveret. Si errare eum contingat, animo opus est, ne metu percellatur, aut in statuendo deinceps fiat anceps & tardior. Princeps qui leviter suspicatur, omnia, quæ egerit, improbatum iri ab aliis, nimis etiam potentiæ suæ coarctat limites multisque inanibus Phantasiæ terroribus sese objicit; id quod à persuasione quadam propria superstitiosa, aut melancholici humoris abundantia plerumque nascitur. Isthæc incommoda David agnovisse videtur, cum Deum precaretur, ut tolleret à se opprobria, quæ ipse sibi *e* imaginabatur. Constantia itaque sese armet Princeps adversus quoscunque eventus, & vulgi opiniones, & fortem se præstet, in tuenda vera & solida existimatione personæ suæ, & armorum, quando illa amissa, aut violata, una secum Imperium in discrimen adducit. Optime hanc rem intellexit Rex Ferdinandus *f* Catholicus, quando monitus à suo Patre Rege Ioanne Secundo Aragonio, ut tempori, necessitatique cederet, & Coronam suam collocaret in tuto, conciliando sibi animos Marchionis Villenæ, & Archi-Præsulis Toletani, Alphonsi Carrilii, honestissimis quidem mediis illud effectum dare studuit; induci tamen nunquam potuit, ut auctoritatem suam regiam subditorum furori ac violentiæ minus decen-

a *Non ex rumore statuendum*, Tacit. lib. 3. Annal.

b idem lib. 1. Hist.

c *Tam nescire militem, quam scire oportet.* Tac. l. 1. Hist.

d *Tibi summum rerum judicium Dii dedere, nobis obsequii gloria relicta est*, Idem l. 6. Ann.

e *Amputa opprobrium meum, quod suspicatus sum*, Ps. 118. 39.

f Mar. hist. Hisp. l. 29. c. 9.

decenter aut indecore inclinaret, in hoc enim plus inesse periculi augurabatur, quam beneficii in eo, quod voluntatum studia sibi pararet apud alios. Tempus, optimus artium magister est, & tale esse poterit, ut actiones humiles heroïcas efficiat, & ipsas etiam submissiones ac deditiones in alterius potestatem fortitudini tribuat. Finis honestus ac licitus est, qui eas nobilitat. Vitellio *a* Tacitus exprobrat, quod *sectari cantantem* Neronem fuerit *solitus, non necessitate, qua honestissimus quisque, sed luxu & sagina mancipatus, emptusque*. Non minus constanti animo opus est, ad parendum necessitati, quam ad illam superandam, & quod abjectio interdum putatur, & vilitas, honoris est studium, quando nimirum ad hunc non amittendum aut certe ad conservandum, dissimulantur ad tempus offensæ. Qui illico ultionem parat, magis passione duci se finit, quam honore. Iracundiæ quidem fit satis; at divulgatur amplius, & publicatur infamia. O quoties profusus sanguis rubrica fuit, qua conscriberentur injuriæ! quoties in ipso offendentis vultu vulneribus conciso legere licuit cicatricibus quasi literis quibusdam exaratam offensi infamiam! Sæpius vindicta, quam dissimulatione deperditus fuit honos: hæc oblivionem inducit, illa memoriam: magisque in eum conjicimus oculos, qui injuriam accepit, quam qui ultionem sustinuit. Qui prudens honoris sui æstimator est, in bilance eum pendit, ac librat cum vindicta, cui ille, adjecto quocunque farcomate notitiæ publicæ multum præponderat.

Etsi vero Principi suaserim, ut famam popularem insuper habeat; hoc tamen in casibus solum allatis velim intelligi, si nimirum jacturam illius bonum publicum compenset, aut aliter impediret negotia magni momenti, quæ Populus aut non capit, aut certe non recte intelligit: nam postea successus iste felicior & rei honestas, amissam famam cum usura etiam existimationis & honoris restituunt. Interim prudenter fecerit Princeps, si quoad fieri potest, semper actiones suas, ad popularem auram accommodare studeat: eosdem enim fere effectus, ac vera illa gloria operari solet. Vtraque in hominum imaginatione est posita, & vox popularis nonnunquam, licet falsa sit, tantam meretur fidem, ut nullo unquam postea tempore, aut actione contraria obliterari valeat.

a Tac. l. 2. Hist.

SYMBOLVM XXXIII.

Qvod speculum integrum repræsentat, idem etiam confractum in qualibet sua particula exhibet; sic Leo in utroque speculi fragmento præsentis Emblematis se contuetur, fortitudinis, & generosæ constantiæ Symbolum, quam in omni casu Princeps conservare debet. Speculum nempe publicum est, in quo Mundus se contemplatur, ut



recte dixit Rex Alphonsus Sapiens, agens de actionibus Regum, & expendens quales eas esse deceat. a *Porque los Omes tomen exemplo dellos, de lo que les ven fazer, e sobre esto dijeron por ellos, que son como espejo, en que los Omes ven su semejanza de apostura, o de enatieza.* Eam ob rem, sive eum fortuna secunda servet integrum, sive frangat adversa, idem semper in eo vultus appareat oportet. Quod quidem in secunda difficilius, quia affectus de se facile emicant, & ratio cum gloria evanescit. Attamen magnanimum pectus à summa etiam felicitate efferri se non sinit; uti in Vespasiano videre licuit: nam etsi communi omnium consensione Imperator consalutaretur, b *nihil* tamen *in ipso*

a L. 4. tit. 5. p. 2.

b Tac. l. 2. Hist.

ipso tumidum, arrogans, aut in rebus novis novum fuit. Quisquis una cum fortuna animum mutat, fatetur etiam se non promeruisse;

a *Frons privata manet, non se meruisse fatetur,*
Qui crevisse putat.

Hæc constans modestia etiam in Pisone enituit: nam adoptatus à Galba, b *nullum turbati aut exultantis animi motum prodidit: sermo erga patrem Imperatoremque reverens: de se moderatus: nihil in vultu, habituque mutatus: quasi imperare posset magis, quam vellet.* Sed & à casibus adversis Fortitudini solet esse periculum: illi enim homines plerumque nec opinantes obruunt; cum nemo quisquam fere sit, qui calamitates omnes, quæ accidere sibi possunt, serio cogitet. Quæ caussa est, cur plerosque incautos, & ex improviso eæ opprimant, & cur tantopere tunc conturbetur animus, aut propter nimium felicitatum amorem, quas amittit, aut ob periculum vitæ, cujus prorogandæ desiderium omnibus à natura est inditum. In aliis locum habeant licet passiones istæ, non in Principe, cujus est regere alios tam in adversa fortuna, quam prospera, & placidum semper ac compositum præ se ferre vultum, & verba intrepida; qualis Otho fuit, etiam Imperio exutus, c *Placidus ore, intrepidus verbis, intempestivas suorum lacrymas coercens.* In cruento illo prælio ad Navas Tolosæ Rex Alphonsus Nonus eadem semper animi, vultusque serenitate inter arma perseveravit. Nullus unquam casus Regis Ferdinandi Catholici affectum aut passionem detegere potuit. Læsus aliquando graviter à furioso quodam Barcinone, nihil ideo commoveri visus fuit, illud solum præcepit, ut invasorem coërcerent. Carolus Quintus Imperator, cum Ingolstadium obsideret, nec vultum immutavit nec locum, quantumvis hostes continua tormentorum explosione tentorium ejus dilacerassent, & nonnulli juxta à latere interfecti cecidissent. Non minori cum constantia Rex Hungariæ (Augustissimus nunc Imperator) & Serenissimus Infans Ferdinandus (ambo fortitudinis & facinorum Caroli V. gloriosi æmuli) perstitere intrepidi in prælio Nordlingano, nil quicquam territi Chiliarchæ cujusdam morte, qui proxime illos tormenti majoris ictu interierat. Nec omittendum hoc loco exemplum Maximiliani Bavariæ Ducis, & sacri Romani Imperii Electoris, qui tot victoriis celebris, quas, dum exercitui Vnionis Catholicæ summa cum auctoritate præesset, reportaverat; non ideo superbia elatus fuit, neque postea fortuna adversa animum suum heroïcum frangi passus est, tametsi Status suos videret perditos, & in Monacensi suo palatio (digna fabrica tanto Principe) hospitantes Regem Sueciæ, & Comitem Palatinum Fridericum, ipsumque Fridtlandiæ Ducem non minus sibi infensum & hostem, quam duos illos experiretur.

Dividat sane instabilitas tem-

a Claud.
b Tac. l. 2. Hist.
c Tac. l. 2. Hist.

temporum atque invidia, & in diversas distrahat partes speculum statuum, in qualibet tamen illarum, quantulacunque etiam sit, Majestas semper integra perseveret. Quisquis ad Sceptrum natus est, mutari non debet ad quemcunque eventum & casum. Nec ullum tam gravem aut acerbum ducat, ut ideo à se ipso desciscat, aut personam, quam sustinet, dissimulet. *a* Rex Petrus, etiam postquam in manus Regis Henrici fratris sui & capitalis hostis incidisset celare noluit, quis esset; quin potius, cum dubitaretur, num ipsus esset, alta voce ultro exclamavit: *Ego sum, Ego sum.* Quid? quod hæc ipsa constantia servandi in rebus adversis decorum & Majestatem regiam, unicum & ultimum earum interdum remedium sit, uti Poro *b* Indorum Regi accidit, qui captus aliquando ab Alexandro Magno, & rogatus, quomodo tractari vellet, *Regie*, inquit. Subjicienti vero Alexandro; Nunquid etiam aliud? Respondit iterum Porus; *Omnia hoc verbum complectitur, Regiè.* Quod heroïcum responsum sic affecit Alexandri animum, ut eum non modo in regnum suum restitueret, sed plures etiam illi provincias addiderit. Acerbitatibus & ærumnis cedere, est ad earum quasi partes sese adjungere. Fortitudo invicto etiam Victori placet, aut quia triumphum ejus clariorem efficit, aut propter ipsam virtutis vim. Animus violentiæ non paret, neque quicquam in eum potest Fortuna. Graves minas Carolus Quintus Imperator intentabat Ioanni Friderico Saxoniæ Duci, quem captivum tenebat, ut ad dedendum sibi Ducatum Wittenbergicum eum compelleret; ipse vero libere respondit: *Poterit quidem sua Majestas Cæsarea statuere de me, quicquid libuerit; ut tamen timorem huic incutiat pectori nunquam efficiet.* Id quod in occasione alia longe difficiliori reipsa satis ostendit: contigit enim, ut dum latrunculorum lusui intentus esset, capitis sententiam in se latam intelligeret; quo nuntio neutiquam ille turbatus, perinde quasi nihil ad se pertineret, Ernestum Ducem Brusvicensem, quicum ludebat, libera voce cohortatus est, ut non obstante illo ludere pergeret. Quod heroïcum responsum infamem rebellionis notam detersit aliquantum, & clarum eum reddidit. Actio unica generosioris animi, etiam cum vis ipsa ad mortem rapit, vitam illustrem relinquit & celebrem: quemadmodum hac nostra ætate evenisse meminimus Roderico Calderonio Septem Ecclesiarum Marchioni, cujus Fortitudo vere Christiana, & heroïca constantia toti mundo admirationi fuit, adeo ut æmulationem & odium commune tantæ ipsius fortunæ in laudem & commiserationem verteret. Ignavia & timiditas animi è violentis casibus neminem eripiunt, nec quicquam periculo turbatio detrahit. Constantia illud aut vincit, aut certe famosum efficit. E vultu Principis periculi gravitatem vulgus colligit, haud secus atque ex naucleri oculis ii, qui in

a Mar. hist. Hisp. l. 17. c. 13.
b Plutarch. in apoph. Regum & Imp.

in eadem navi sunt, num tempestas grandis sit. Atque ob eam rem valde expedit æqualem semper & serenam exhibere frontem, seu tranquilla sint tempora, seu turbida, ut neque metu Princeps concidat, neque superbia efferatur, neque alii de communi rerum statu judicium ferre valeant. Eadem de caussa Tiberius tristissima quæque maxime occultare *a* laborabat. Perturbatio & confusio rerum omnium oritur, quoties è facie Principis tanquam illa cæli, perspicere licet tempestates, quæ impendent Reipublicæ. Mutare colorem ad quamvis Fortunæ auram judicii levitas est, & ignavia animi. Constantia & æquabilitas vultus Subditos erigit, & hostes in admirationem rapit. Omnes in Principe suos defigunt oculos, & si metuat, ipsi quoque metuere incipiunt: ita b *Othonis vultum intuebantur*, quotquot cum eo accumbebant in convivio, *atque evenit inclinatis ad suspicionem mentibus, cum timeret Otho, timebatur*; ubi vero timori & diffidentiæ locus est, ipsa quoque fides facile *c* deficit. Hoc tamen in iis casibus velim intelligi, quando periculum dissimulare, & celare calamitates expedit: in aliis enim publicæ tristitiæ significatio Principem minime dedecet, ut sic affectum suum palam faciat subditis, & eorū sibi conciliet animos. Carolus V. Imperator lugubri indūtus veste mœrebat ob Romanæ urbis expilationem. d *Apprehendens David scidit vestimenta sua*, cum mortem Saulis & Ionathæ intelligeret. Idem fecit Iosue propter cladem ab incolis urbis Hai acceptam, & e *pronus cecidit in terram coram arca Domini*. Nec quicquam justius, quam in communi calamitate sic Deo se submittere; nam rebellionis quoddam genus esset, de manu illius bona solum velle suscipere, non autem *f* mala. Qui castigationi sese subjicit, Deum ad misericordiam commover.

5. Controverti hic potest, an tum saltem illa animi constantia minus potenti suadenda sit, cum potentioris auxilio indiget. Sed ea in re peculiari distinctione opus est. Qui oppressus ab hostibus petit suppetias, non se demittat nimium, nec nimis sollicite alienam imploret opem, alias Fortunam suam prorsus desperatam faciet. Nullus enim est Princeps, qui sola motus misericordia jacenti dexteram porrigat, aut qui tueri velit eum, qui de se ipse rebusque suis jam sperare desiit. Pompeji caussa haud paullulum in opinione Ptolomæi deperdidit, cum tantam legatorum ejus submissionem coram usurparet oculis. Majori animo Rex Cheruscorum fuit, qui postea quam regno pulsus esset, Tiberii favore sibi utendum ratus, ad eundem dedit litteras, g *non ut profugus, aut sup-*

a *Hac audita, quanquam abstrusum, & tristissima quæque maxime occultantem Tiberium perculere*. Tacit. lib. 2. Annal.

b Idem lib. 1. Histor.

c *Fides metu infracta*. Tac. lib. 3. Hist.

d 2 Reg. c. 1. 11.

e Iosf. 7. 6.

f *Si bona suscepimus de manu Dei, mala quare non suscipiamus?* Iob. 2. 10.

g Tac. l. 2. Annal.

supplex, sed ex memoria prioris Fortunæ. Nec minus illustre est exemplum Regis Mithridatis, qui victus ab Eunone hoste, constantia plane regia sic eum fertur allocutus: a *Mithridates terra marique Romanis per tot annos quæsitus sponte adsum, utere ut voles, prole magni Achemenis, quod mihi solum hostes non abstulerunt.* Quæ res Eunonem permovit, ut ipse deinde pro Rege Mithridate apud Imperatorem Claudium b intercederet. Qui Principi suo fidelia præstitit obsequia, loquatur libere, si injuriam sibi fieri animadvertat. Ita fecere Hermannus Cortesius Carolo Quinto, & Segestes c Germanico. In casibus aliis Prudentia necessitatem, tempus, & res ipsas expendat, & sequentes diligenter observet maximas: quod potentior intrepidum inferioris animum pro injuria fere accipiat, perinde quasi hic sese illi æquare velit, aut eum præ se contemnat. Quod item inferiorem facile contemnat, si nimium is sese abjiciat & demittat. Ea de caussa Tiberius, Senatores nominabat, qui ad serviendum à natura facti essent; & tametsi his talibus opus haberet, illam tamen animorũ vilitatem ferre nullo modo d poterat. Norunt scilicet Principes cujusque alacritatem & animi robur, & facile in eos sunt injurii, quos sciunt id minime graviter accepturos. Ex eo fundamento Vitellius Valerio Mario dignitatem consularem, quam Galba in eum contulerat, tanto tempore liberius distulit, quod e *mitem, & injuriam segniter laturum* eum crederet. Quamobrem modestia quædam fortis, & fortitudo modesta perquam utilis erit Principi, & si omnino pereundum illi est, præstat animo magno & generoso id fiat, quam abjecto, & humili. Habebat illud præ oculis Marcus Hortalus f *avitæ nobilitatis etiam inter angustias fortunæ retinens*, cum Tiberius extremæ ejus necessitati remedium adferre nollet.

§. Quando is, qui potentior est, alteri honores debitos denegat (in actibus præsertim publicis) consultius est, etiam vi & astu quodam eos præripere aliis, quàm ea de re verbis contendere. Qui dubitat, merito suo diffidit. Qui dissimulat, tacite suam fatetur indignitatem, & Modestia postea pro ridiculo habetur. Qui de facto animo forti, & bona cum gratia primas præ aliis occupat, quæ sibi debentur, nec offeruntur tamen, facili deinde negotio eas servat & retinet. Ita quondam Germaniæ Legatis contigit, qui cum in Pompeji Theatro inter Senatores assistere cernerent Legatos Nationum, quæ fortitudine animi, & constanti cum Romanis amicitia alias antecellerent, dixerunt, g *nullos mortalium armis aut fide ante*

a Tac. l. 12. Annal.

b *Mutatione rerum & prece haud degenere permotus.* Idem l. 12. Annal.

c *Simul Segestes, ipse ingens visu & memoria bonæ societatis impavidus: verba ejus in hunc modum fuere.* Idem l. 2. Annal.

d *Etiam illum, qui libertatem publicam nollet, tam projectæ servientium patientiæ tædebat.* idem lib. 3. Ann.

e Idem lib. 2. Hist.

f Idem lib. 2. Annal.

g Idem lib. 13. Annal.

ante Germanus esse, & inter eosdem Senatores sessum ceperunt. a *Quod comiter à visentibus exceptum, quasi impetus antiqui, & bona æmulatione.*

§. De favoribus & gratiis, quæ à Principis dependent arbitrio, tametsi aut meritis, aut virtuti videantur debitæ, Subditus conqueri non debet, quod in se illæ non conferantur, immo gratiæ potius agendæ sub honesto aliquo titulo, quomodo Vitelli tempore fecerunt nonnulli ab officiis suis *b* remoti: nam aulicus prudens omnes suos cum Principe sermones gratiarum actiones solet concludere. Seneca ista prudentia usus est, postquam cum Nerone collocutus esset de iis, in quibus eum nonnulli *c* accusabant. Qui querelis utitur, fatetur injuriis se affectum; in eo autem, quem offensum credunt non valde confidunt Principes. Omnes ea in re Deo cupiunt esse similes, de quo in miseriis nostris non querimur, immo gratias potius pro illis agimus.

§. In deliberationibus & accusationibus constantia plurimum prodest: nam qui confestim iis cedit, reum se constituit. Qui innocens suas negat actiones, sontem se constetur. Mens recte conscia, & præsidio virtutis armata de æmulis triumphat. Si torpere incipiat, nec contra casus adversos nitatur fortiter, eorum obruetur fluctibus, non secus ac fluvius aliquis aquarum impetu sternit arbores minus radicatas; eas vero, quæ altiores habent radices, movere loco non potest. Omnes Sejani amici, labente ipsius fortuna, ipsi etiam periere. Vnus Marcus Terentius, qui ejus amicitiam se ambivisse & æstimasse constanter confessus est, eo quod illius beneficio gratiam Imperatoris Tiberii promeruisset, in judicio absolutus fuit, multatis exilio aut morte aliis qui eum *d* accusaverant. Dantur quidam casus, quando adeo constanti securitate opus est, ut nec conscientia se excuset, ne timidior videatur, nec commemorentur obsequia, ne exprobrari putentur; uti quondam Agrippa, cum accusaretur, quod Plauto imperium procurasset, *e nihil pro innocentia, quasi diffideret, nec beneficiis, quasi exprobraret, disseruit.*

§. Nec solum per se ipsum subditis suis speculum se Princeps exhibeat, sed & per statum suum, qui quædam illius est idea, atque adeo non minus, quam in propria ejus persona eluceant oportet Religio, Iustitia, Benignitas, & virtutes aliæ dignæ Imperio. Quia vero partes speculi illius sunt Consilia, Tribunalia, & Cancellariæ, etiam in his eædem virtutes reperiri debent, immo in Ministris singulis, qui speculum illud repræsentant: multum enim de Principis decedit existimatione, si ipse quidem beni-

a Ibid.

b *Actaque insuper Vitellio gratiæ consuetudine Servitii.* idem l. b. 2. Hist.

c *Seneca (qui finis omnium cum dominante sermonum) grates agit.* idem l. 14. Annal.

d *Constantia orationis, & quia repertus erat, qui efferret, quæ omnes animo agitabant, eo usque potuere, ut accusatores ejus, additis quæ ante deliquerant, exilio aut morte multarentur.* Tacit. lib 6. Annal.

e idem lib. 13. Ann.

benignum se exhibeat gratiam postulanti, & bona spe promissisque plenum abs se dimittat; ex alia vero parte colludat cum iis, qui sibi à secretis sunt, aliisque suis Ministris, ut aspero suo agendi genere petentem absterreant. Dolus, qui facile & brevi tempore deteget artificium, indignum generoso & regio pectore. Minister moneta publica est, Principis signata effigie, & nisi probata illa sit, & hunc ad vivum exprimat, tanquam adultera *a* rejicietur. Si caput, quod præest, aureum sit, manus quoque, quibus utitur, aureæ sint oportet, quales erant illæ sponsi in divinis *b* literis.

§. Sunt præterea principales hujus speculi partes etiam Legati, qui Principis auctoritatem sustinent: & sane male consuleretur fidei publicæ, nisi istius verba & veracitas, in illis quoque reperirentur; & sicut hi vicem illius obeunt, quantum ad potentiam & animi magnitudinem attinet, ita in omni casu eam præ se ferre sic debent, ac si Princeps ipse coram præsens adesset. Ad hunc modum egit *c* Antonius Fonseca, qui postquam Regem Carolum Octavum nomine Regis Catholici monuisset, ne arma Neapolitanis finibus inferret, donec via Iustitiæ, quis potior Iure esset, declararetur; nec quicquam se proficere videret, insigni cũ animi libertate palam edixit, Regem suum conscientiæ jam suæ satisfecisse, ut deinde liberata fide, viribus & copiis in eam partem se dare posset, quam æquiorem judicaret. Nec ultra moratus coram Rege, & Proceribus, qui in conventu aderant, initi antea fœderis tabulas laceravit. Sicuti Ministrum Principis sui maximis instructum esse decet, ita & Majestate illius, fortitudine, & præstantia animi,

a *Præfectus, nisi formam tuam referat, mali fati instar subditis efficitur.* Them. orat. 17.

b *Caput ejus, aurum optimum, Manus illius tornatiles aureæ.* Cant. 5. 11. & 14.

c Mar. hist. Hisp. l. 16. c. 7.

SYMBOLVM XXXIV.

QVi fruticem rosaceũ spinis & sentibus asperum intuetur oculis, is persuadere sibi vix poterit, è tam spinosa matre, adeo bellam venustamque filiam, qualis est Rosa, progenerari posse. Magna utique fiducia opus est, ad irrigandum & expectandum, dum viriditatem induat, & protrudat admirabilem illam foliculorum pompam, quæ odore tam delicato nares recreat. Longa tamen spe, & tolerantia experiri tandem licet, laborem non fuisse inutilem, nec male collocatas spinas, quæ florem adeo bellum fragrantisq; odoris produxerunt. Spinosi & asperi sunt naturæ nostræ corruptæ primi virtutis rami, sed post pulcherrimus illius flos tandem subnascitur. Ne Principem terreat primus rerum aspectus: per enim pauca sunt in regimine, quæ prima fronte jucunda appareant. Omnia spinis referta videntur, & difficultatibus. Sed experiundo multa fuere facilia, quæ segnibus ardua



dua videbantur. Ne itaque animo cadat Princeps; nam si iis leviter cedat, à suamet apprehensione vincetur potius, quã rei veritate. Toleret fortiter, speret patienter & constanter, nec tamen interim media dimittat è manibus. Quisquis sperat, fideli & optimo utitur comite, Tempore nimirum. Vnde Regem Philippum Secundum dicere solitum accepimus: a *Ego & tempus contra duos*. Impetus furoris effectus est, è quo grandia nasci solent pericula. Theobaldus Campaniæ comes successionem suam in Navarræ regnum valde reddidit dubiam, eo quod moræ impatiens in præstolanda morte Regis Sanctii patrui sui, adhuc ipso vivo regni occupandi

I 5 occulte

a Mar. hist. Hisp. l.12. c.16.

occulte consilia agitasset cum Proceribus; hinc enim factum, ut Rex Sanctius Iacobum Primum Aragoniæ Regem hæredem adoptaret. Patientia multis trophæis inclyta est, & excelluit in ea Scipio, qui etsi in Hispania multas haberet offensionum occasiones, adeo tamen fuit patiens, a *ut nullum ferox verbum* illi *excideret*, quare etiam illud effecit, ut quæ in animo intenderet, feliciter & è voto illi succederent. Qui sperat & sustinet, Fortunæ superat ludibria, & eam sibi obstrictam reddit: quippe quæ ejusmodi spem & fiduciam in tot tantisque suis mutationibus pro blanditiis habet. Incertis Oceani fluctibus non absque gravi periculo sese Columbus objicit, ut novas inquirat Provincias; neque eum terret inscriptio illa Herculis in columnis Caspes & Abyles, *Non plus ultra*; neque aquarum montes, quæ proposito ejus obstare videbãtur. Navigatione sua Solis passus numerat; atque anno dies, horas diebus suffuratur. Acum nauticam polus deficit, chartas marinas æquoris lineæ, & itineris comites patientia. Omnia contra eum conspirant, at ipse forti animo difficultates omnes & obstacula spe & tolerantia superat, donec tandem novus Orbis invictam ejus constantiam præmio coronavit. *Ferendum & Sperandum*, Empedoclis fuit dictum, & postea Imperatoris Macrini Symbolum, unde huic Emblemati lemma sumptum. Pericula quædam sunt, quæ superare facilius est, quam fugere; id quod probe scivit Agathocles, cum victus, & Syracusis in Sicilia hostilibus armis cinctus, non turpiter sese hosti dedidit, sed relicta ibidem militum manu, quantum ad defendendam urbem satis esset, cum exercitu adversus Carthaginem profectus est, & is, qui uno in bello victor esse non poterat, artificio isto, è bellis duobus duplicem triumphum reportavit. Periculum temeritate interdum vinci solet, & despicientia illius varias hosti cogitationes injicit. Videns Hannibal Romanos post Cannense prælium auxiliares copias in Hispaniã mittere, potentiam eorum & vires formidare cœpit. Nemo rebus secundis nimium confidat, aut desperet in adversis. Inter utrasq; versatur Fortuna, tam prompta ad extollendum quam deprimendum. Servet itaque Princeps in omni casu animum constantem & robustum, paratum ad omnia, quicquid denique acciderit, nec perturbari se sinat majorum tempestatum minis: nonnumquam enim fluctus quẽ exturbant è navi, quæ interitura est, projiciunt in aliam, quæ salva portum tenebit. Animus magnus & generosus cælum ipsum propitium habet. Ne temere desperet Princeps ob pericula aliena, aut ea, quæ fortuiti casus secum afferunt. b *Qui observat ventum, non seminat; & qui considerat nubes, nunquam metet.* Non existimet, afflictionibus suis se quemquã obligare. Lamentis & lacrymis sese turpiter dedere, muliebre est: non illis Fortuna placari solet. Animus excelsus sibi ipsi satis-

a Tit. Liv.

b Eccl. 11, 4.

ſatisfacere ſatagit, aut ſolari ſeſe actione aliqua heroica & generoſa, uti fecit Agricola, filii ſui morte intellecta; *a quem casum, neque ut pleríque fortium virorum ambitioſe, neque per lamenta rursus, ac mœrorem muliebriter tulit: & in luctu bellum inter remedia erat.* Nihil omnino commoverit, aut vana gloria eſſe ſolet, aut nimia è caſu conſternatio.

§. In muneribus & honoribus petendis doctrina præſentis Emblematis utiliſſima eſt. Qui ſuſtinere & ſperare novit, fortunam novit triumphare, & vincere. Qui moræ impatiens auxilia & ſubmiſſionem animi vilitatem eſſe putat, contemptus jacebit, & derelictus ob omnibus. Honorem in eo ponere, ut alteri non obtemperes, eſt nemini imperare velle. Media ex fine metienda. Si in hujus conſecutione plus honoris inſit, quam per illa amittatur, omnino iis uti convenit. Nolle ſuſtinere patienter, animi excelſitatem arbitramur, & imprudens ſuperbia eſt. Obtentis honoribus, mox obducuntur paſſuum veſtigia, quibus ad illos aſcenſum fuit. Multa ferre & pati, ut poſtea ad altiores honorum gradus evehatis, non vilis abjectio eſt, ſed eximium animi ad magna connitentis robur. Quædam ſunt ingenia quæ moram ferre nequeunt, exiguo temporis ſpatio omnia volunt confici. Ita *b Brutidium artibus honeſtis copioſum, etſi rectum iter pergeret, ad clariſſima quaque iturum feſtinatio ſtimulabat, dum æquales, dein ſuperiores, poſtremo ſuaſmet ſpes anteire parat.* Illo abrepti impetu media ſe- curiora aſpernantur, quia tarda & brevioribus, etſi magis periculoſis, uti *c* malunt. His evenire ſolet, quod ædificiis ſubito & tumultuario opere extructis antequam tigna & trabes recte ſubſidere, & exſiccari potuerint, quæ mox iterum collabuntur.

§. In ſperando & ſuſtinendo maxima imperii præſidia conſiſtunt: iis enim mediis fit, ut omnia agamus cum tempore, ſine quo res nulla maturitatem aſſequi poteſt. Arbores, quæ mox ad primum calorem flores emittunt, cito eoſdem deperdunt, eo quod expectaverint, donec hyemis aſperitas præteriiſſet. Negotiorum fructu gaudere non poteſt, qui ea manibus ad maturitatem perducere contendit. Impatientia abortuum cauſſa eſt, & pericula *d* creat; & quia ea patienter ferre non poſſumus, ſed ex iis quam primum emergere cupimus, majora ea facimus. Eam ob rem in iis tum internis, tum externis Reipublicæ malis, quæ per negligentiam noſtram incrementum ſumpſerunt, conſultius erit ſinere, ut curſum ſuum teneant, & ſenſim curentur cum tempore, quam accelerare remedium, ſi plus inde periculi ſit. Si ante prævidere ea non potuimus, tolerare ſaltē diſcamus poſtea. Ab oppoſitione incrementum capiunt: ea enim ratione fit, ut periculum, quod antea aut occultum erat, aut minus notabatur, palam fiat, & majora ei

a Tacit. in vita Agric. *b* Tac. lib. 3. Annal. *c Multos etiam bonos peſſum dedit, qui ſpretis quæ tarda cum ſecuritate præmatura, vel cum exitio properant.* Tac. lib. 3. Annal. *d Impatiens operabitur ſtultitiam.* Prov. 14. 17.

ponat obstacula, quem impedire cogitabat. Timor imprudenter armatus, contra superiorem potestatem, magis eam fatigat & spoliis suis illustriorem reddit. Eo modo Cerialis Trevirensium composuit animos, ne potentiæ Romanæ sese opponerent, dicendo: a *Octingentorum annorum Fortuna, disciplinaque, compages hæc coaluit: quæ convelli sine exitio convellentium non potest.* Multa non æque caderent irrita, nisi timor noster & impatientia festinantius agerent. Metus & suspicio tyrannidis, ubi innotuerint, faciunt, ut jam esse reipsa incipiat, licet antea tyrannis non fuerit. Vnde non minoris fortitudinis est in his talibus casibus nosse dissimulare, quam præcipitare cum remedio. Illud prudentiæ effectus proprius est, hoc vero ex metu oriri solet.

a Tacit. lib. 4. Hist.

SYMBOLVM XXXV.

QVanto spiritus in campestri tuba magis arctatur & comprimitur, tanto majori cum Harmonia & vocum varietate inde egreditur postea; ita prorsus b *multorum improbitate depressa. Virtus emergit, & innocentia defensio interclusa respirat.* Flamma generosæ mentis facile extinguitur, nisi Fortunæ adversæ ventus eam exsuscitet. Excitatum ab illa ingenium de mediis circumspicit, quibus eam meliorem reddat. Felicitas tanquam rosa, è spinis & ærumnis nascitur. Victus fuerat in navali prælio contra Genuenses, & captus Alphonsus Quintus Aragoniæ Rex, & ecce, quæ res expeditionem ejus adversus regnum Neapolitanum retardatura videbatur, eandem majori cum felicitate, auctoritateque maturavit, facto nimirum fœdere cum Philippo Duce Mediolanensi, à quo captivus tenebatur, qui & libertati illum restituit, & vires ad occupandum illud regnum suppeditavit. Necessitas eum impulit ad conciliandum sibi hospitis animum; nam rebus prospere fluentibus sibi ipsi quis vivit; in adversis tum sibi tum aliis. Illæ in apertum produnt passiones animi, suimet aliàs obliti; his vero factus cautior, idem animus c virtutibus sese munit, ut mediis ad veram constantemque felicitatem; ex quo illud etiam fit, ut haud paulo facilius fit ex adversa emergere Fortuna, quam conservare semet in prospera. In captivitate primum enituere insignes animi dotes & ornamenta, quæ in Rege Alphonso eo usque latuerant abdita, & captus illorum amore Dux Mediolanensis amicum eum habere voluit, & sic obstrictum abs se dimisit. Plus victus obtinuit, quam victor sperare potuisset. Ludit inter extrema Fortuna, & gaudet potentiæ suæ dare specimen, ab uno migrando ad alterum. Nulla virtus est, quæ in casibus adversis non elucescat;

b Cicero.

c *Secunda res acrioribus stimulis animum explorant: quia miseria tolerantur, felicitate corrumpimur.* Tac. lib. 1. Hist.



ſcat; haud aliter, atque in obſcura nocte ſtellæ coruſcant lucidius. Pondus ſupra injectum tum palmæ oſtendit robur, cum una cum illo altius aſſurgit. Inter urticas diutius foliorum vigorem ſervat roſa, quam inter ipſos flores. Niſi virtus etiam in adverſis ſeſe exerceret, non victorias, non ovationes aut triumphos mereretur. a *Virtus, dum patitur, vincit.* E quo nemini non liquido apparet, quam impius ſit error (refutatus à nobis alibi) eorum, qui ſuadent Principi, ut abdicata tantiſper virtutum conſtantia, vitiis ſeſe accommodet, ubi neceſſitas

I 7 poſtu-

a. S. Chryſ.

postulaverit, quo tempore vel maxime in illis constantem persistere oporteret, & majori cum spe successus melioris: quomodo plerumque eveniebat Ferdinando Secundo Imperatori, felicissimæ memoriæ, qui in maximis suis periculis constanter affirmabat, *malle sese imperio fortunisque omnibus exui, & cum universa sua Familia stipem ostiatim colligere, quam Majestatis tuendæ caussa contra jus fasque admittere aliquid.* Dignissima sane verba tam sancto Principe, cujus pietas singularis ac fides tantopere Deo placuit, ut ipse sceptrum illius moderari, & vicem Imperatoris hic in terris gerere voluerit, multas non absque insigni miraculo victorias illi largiendo. In periculis & calamitatibus maximis, cum spes omnis deficeret, atque adeò fortitudo & prudentia humana omnibus destituerentur mediis, felicior semper, & majori cum triumpho eluctatus est. Vivebant olim Romani Imperatores in pacis & deliciarum ubertate, suarummet tamen passionum pressi tyrannide, & variis jactati formidinibus. At sanctus iste Heros quietem & tranquillitatem animi reperit inter ipsos sævientes fluctus, quos contra Imperium, & Augustissimam ejus domum rebellium furor concitarat. Cantat in ærumnis justus, & plorat impius in sceleribus suis. Pueris sane Babylonicis succensa fornax chori musici instar *a* fuit.

a *Et non tetigit eos omnino ignis, neque contristavit, nec quicquam molestiæ intulit. Tunc hi tres quasi uno ore laudabant, & glorificabant, & benedicebant Deum*, Dan. 3. 50. & 51.

5. Miseriæ & ærumnæ magna secum emolumenta adferunt: nam corrigunt superbiam Principis, eumque in gyrum rationis revocant. Quam furioso impetu nonnunquam consurgunt venti! Quam arroganter exæstuat & fremit mare, tumentibus undis quasi montibus quibusdam terræ cæloque minitando! & tamen modica pluvia illud componit iterum, & malaciam reducit. Dum ærumnæ è cælo depluunt, elatio & jactantia Principis humi sternitur. Illæ è Tyranno moderatorem æquum efficiunt, ex incurio & rerum suarum negligente solertem ac providum: ipsa enim tum cogit necessitas, ut populi curam suscipiat, habeat in pretio Nobilitatem, honoret Fortitudinem, exerceat Iustitiam, & Religionem veneretur. Potentia nunquam in majori versatur discrimine, quam cum prospere, & ad nutum fluunt omnia: sepositis enim tunc curis, Consilium & providentiam nimia securitas facile jugulat. Plures Principes otio & quiete perierunt, quam labore & ærumna, idem nimirum illis accidit, quod corporibus, quæ motu aliquo conservantur vegeta, absque eo vero facile languere incipiunt. Ex quo illud etiam liquet, quam in judicando de malis & bonis erremus graviter, nunquam fere ea conjectantes, quæ nobis magis sunt proficua. Fortunæ acerbitatem, rigorem & castigationem interpretamur, & nescimus admonitionem esse, & documentum. Munere illo inaurium & oviculæ, quo Iobum quondam donabant cognati ejus

ejus & amici, innuere voluisse mihi visi sunt, æquo & patienti animo ferenda omnia, & pretiosa quædam Dei esse monita afflictiones illas, quæ ipsi in aurem *a* loquerentur. Mira Dei misericordia est, si nos affligat interdũ; & contra, dum præmia confert, castigatio est: nam præmio rationes debitorum expedit, & satisfaciendo aliquibus nostris meritis manet offensatum creditor; at quando nos affligit, sibi ipse solutionem præstat, & nos ad emendationem exstimulat.

a *Et dederunt ei unusquisque ovem unam, & inaurem auream unam.* Iob. c. 42. 11.

SYMBOLVM XXXVI.

NAuta peritus ac solers non semper ad venti arbitrium navigat, quin potius illius beneficio navigii sui vela ita novit disponere, ut optatum portum teneat, atque adeo eodem omnino vento ad quamcunque è duabus oppositis placuerit partem, suam appellit navem absque ullo itineris dispendio.

b *Porque siempre por via yra direita,*
Quem do opportuno tempo se approveita.

At quando tranquillum est cęlum, velorum remorumq; subsidio ipsum etiam ventum navigando superat. Non minori cum cura ac diligentia Princeps Reipublicæ navim moderari debet in imperii sui procelloso mari ad omnes tempestates gnaviter advigilando, ut iisdem prudenter juxta ac fortiter suo tempore & loco uti valeat. Naucleri officio fungitur, cujus fidei vita salusq; omnium commissa est, neque ulla navis periculosior, quam Corona exposita tot ambitionis procellis, tot scopulis hostiũ, tot Populi tempestatibus. Magna industria Regis Sanctii, cognomento Fortis, opus fuit, ut adversus Fortunam armaret sese, & regni sui jus in tuto poneret. In eo tota fere consistit scientia politica, ut recte discernere quis norit tempora, & iis uti; interdum enim citius in portum tempestas devehit, quam malacia. Qui Fortunæ adversę impetum novit frangere, prosperam eam facit. Qui cognito periculo, eidem cedit, & tempus indulget, illud superat. Vbi nauta animadverterit, fluctibus obsisti non posse, ab iis jactari se sinit, vela demittens; & quia resistentia vim potius vento adderet, exiguo aliquo utitur sinu, ut respitet aliquantulum navis, & sese supra fluctus elevet. Aliquid dare oportet periculis, ut ex iis emergere tandem liceat. Intellexerat Iacobus Primus Aragoniæ Rex, Nobilium, Populique contra se concitationem & odium; quia tamen nequaquam expediebat, importune obnitendo novum furori isti robur adjicere, sed tempus potius aliquod ei concedere, donec suapte sponte defervesceret; uti rivulis accidit, qui sæviente aliqua tempestate, subita aquarum inundatione altum intumescunt, falli ultro se passus est, & tanquam in captivitate detineri, usque dum in pri-

b Cam. Lus. Cant. 1.



priſtinam quietem & ſerenitatem reſtituit omnia, & Regni habenis iterum potitus eſt. Simili prudenti moderatione uſa eſt Regina Maria, *a* quando accommodando ſe Regni Proceribus, & ambitionibus eorum ſatisfaciendo; Caſtellæ Coronam ſartam tectam conſervavit, in pupillari ætate filii ſui Regis Ferdinandi Quarti. Si nauta honori ſibi duceret, tempeſtati non cedere, & contra eam vi & remis navem vellet impellere, actum de eo foret. Conſtantia non in eo poſita eſt, ut intempeſtive quis obluctetur; ſed ut ſperet, atque ita toleret *b* periculum, ut

a Mar, hiſt, Hiſp. l. 15. c. 1.

b *Majori animo tolerare adverſa, quam relinqui.* Tac. lib. 2. Hiſt.

ut tamen à Fortuna superari se non sinat. Gloria in ejusmodi occasionibus in eo consistit, ut quis evadat incolumis. Quod in illis vilitas animi videbatur, magnanimitas est postea, prospero successu coronata. Videns aliquando Rex Alphonsus *a* Sapiens Regno se privatum, spe fiduciaque in Regis Marrocii subsidiis posita, supplex petere non dubitavit ab Alphonso Gusmanio sancti Luciveri Regulo, qui tum in aula Regis illius ob acceptas quasdam injurias morabatur, ut earum oblitus, & veteris amicitiæ suæque avitæ nobilitatis memor, opem rebus afferret, pecuniamque & copias militares sibi in auxilium mittendi, Regi Marrocio auctor existeret. Quæ literæ etiamnum in Illustrissima & antiquissima illa Domo asservantur.

5. Verumtamen non debent reges violentiæ Subditorum cedere, nisi forte in extremæ disperationis casibus: parum enim auctoritati suæ consulit, qui nimium sese demittit, & abjicit. Iis de familia Laræ nullam attulerunt quietem conditiones minus decentes, *b* quas Rex Ferdinandus Sanctus iis posuit, sua coactus minorennitate. Neque Isabella reducere potuit Alphonsum Carrilinum Archiepiscopum Toletanum, tametsi Alcalam ultro ad eum ipsa inviseret. Solet, fateor, prudentia in extremis periculis omnes tentare conditiones, quas casus reddere potest possibiles. Magna animi fortitudo est & rationis vis, in ejusmodi occasionibus generosæ indolis spiritus cohibere, & necessitatem præsentem periculique magnitudinem cum eo, quod ad statum conservandum magis expedit, ad trutinam expendere. Nemo auctoritatis suæ magis retinens unquam fuit, quam Tiberius, & dissimulavit tamen Lentuli Germanici audaciam, qui Germanicis Legionibus Præfectus scribere illi ausus fuit, etiam minis additis, ne sibi successorem mitteret, *c firmando velut fœdus, quo Princeps cæterarum rerum potiretur, ipse Provinciam retineret*, & qui anteà suorummet filiorum æmulationem ferre non sustinuit, hunc tamen despectum toleravit. Non ignorabat, quanti periculi esset ejusmodi inobedientia, si foret impunita; verum si se illi opponeret, *d reputabat publicum sibi odium, extremam ætatem, magisque fama, quam vi stare res suas.* Perparum Subditi fortitudini deberent Principis, cujus nutu gubernantur, si in adversa Fortuna necessitati illico cederet; parum item prudentiæ, si cum illa superari nequeat, ei tamen se opponeret. Fortitudinem solertia & sagacitas moderari debet. Quod per vires non licet, ars & industria efficiant. Non minor gloria est evitare periculum, quam illud vincere. Fugere illud, semper ignavia est. Expectare vero, aut ignorantia est, aut timoris confusio; desperare omnino vecordia. *e Fortes & strenui viri etiam contra fortunam insistunt.* Ad officium aut finem Principis minime pertinet

a Mar. hist. Hisp. l. 14. c. 5.
b Mar. hist. Hisp. lib. 12. c. 5.
c Tacit. lib. 6. Annal.
d Idem lib. 6. Annal.
e Tacit. lib. 2. Hist.

pertinet de fluctibus apud Rempublicam leviter conqueri, sed illam in portum conservationis, salutisque deducere. Fortis sapientia illa censetur, quæ ex casibus adversis beneficium elicit; illa item, quæ contra nitendo fines suos assequitur citius. a *Reges Domini rerum, temporumque trahunt consiliis cuncta, non sequuntur.* Nulla est ædificii ruina, quæ fragmentis suis aliisque, quæ industria solet adjicere, non ad majorem fabricam possit assurgere. Nec ullus Status ita ab omni Fortuna desertus, quem conservare & erigere nequeat Fortitudo, si Prudentiam super eventibus vocet in consilium, iisque recte uti noverit, aut certe eos in suum vertere commodum. Partiti inter se fuerant Regnum Neapolitanum Rex Ferdinandus b Catholicus, & Rex Franciæ Ludovicus Duodecimus; cumque probe intelligeret Magnus Dux in Coronæ circulo non nisi unum centrum esse posse, neque Imperium admittere socios, eam partem quæ ad Regem suum pertinebat, mox acquirere studuit, ut subortis postea offensarum difficultatibus, quas videbat forte inter ambos illos Reges, tanto esset expeditior, iisque deinde uti posset, ad vi ejiciendum (uti reipsa accidit) è divisa jam parte ipsum Regem Galliæ.

§. Vis aliqua inest in casibus; nos tamen hos aut majores facimus aut minores, pro eo ac in iis nos gerimus. Ignorantia nostra Deitatem, & vim fortunæ tribuit, quia variis ejus mutationibus leviter nos sinimus abripi. Si quoties illa temporum mutat vices, nos mores mutaremus, & media, nequaquam tam foret potens, neque nos imperio ejus subjecti tantopere. Vestium formas immutamus cum tempore; animum autem & mores immutare nolumus. Quo demum vento petitus nauta pro sua navigatione non utitur? ut ille variat, ita hic sua vela, adeoque omnia ad propositum illi finem conducunt & deserviunt. Habitus pravos Naturæ nostræ exuere nolumus, quia aut amor proprius id vetat, aut non sinit imprudentia, & postea casus incusamus. Ante desperati cadimus animis, quam rebus afflictis quæramus remedium, & pertinaces aut incauti à desperatione nos sinimus opprimi. Nescimus in ærumnis superbiam, iram, inanem gloriam, maledicentiam, aliaque vitia deponere, quæ prosperitas in nobis aluit; nec ea facile agnoscimus, quæ in statum illum tam infelicem nos detruserunt. Omni momento, in omni negotio, cum quocunque subditorum egerit Princeps, à seipso differre debet, & naturam immutare. Neque ea in re magna scientia opus est: sed solum dispositione aliqua, ut se casibus accommodet, & prudentia, quæ eos ante prospicere noverit.

§. Vti autem in Fortuna improspera naufragium facimus, eo quod affectuum & passionum vela contrahere nesciamus, & illi ad tempus cedere; ita etiam nobis ipsis & Principibus exitiū accersimus, dum

a Livius.
b Mar. Hist. Hisp. lib. 27. c. 9.

dum imprudentes, & obstinati horum commoda, affectus, passionesque commodis nostris, nostraque natura metiri volumus: cum fieri nequeat, ut Minister ad liberalitatem propensior, generosæ mentis suæ consilia exequi possit, cum Principe avaro & tenaci; aut Minister fortis & animosus, cum Principe ignavo & timido. Agere oportet secundum activitatem sphæræ Principis: is enim est, cui placere illud debet, quive probare illud habet, aut effectum dare. Peccavit ea in re Corbulo: nam in obsequio cum esset Claudii Principis pusilli & abjecti animi, multa audebat temere, quibus fieri non poterat aliter, quin prægravis illi esset, & a molestus. Zelus imprudens in Ministris quibusdam erroris illius causa esse solet, in aliis vero (quod frequentius evenit) amor proprius, vanitas & cupiditas gloriæ, qua prudentes aliis videri cupiunt, plurimum posse, perinde quasi per illos solos rem bene gerat Princeps; erret vero, quoties aut se solo, aut aliorum opera moliatur aliquid: atque adeo zeli specie occultos gubernationis defectus in apertum proferunt, & Principis existimationem violant, artes, quæ plerumque in ipsius Ministri postea redundant caput, dum gratia Principis excidit. Qui rebus suis prospicere voluerit melius, & suam stabilire Fortunam, velis remisque fugiat affectationes ejusmodi, Principi & aliis nimium quantum odiosas; plus obsequii præstet, quam verbis significet; naturæ & conditioni Principis sese accommodet, ad gyrum rationis & officium eum revocando obsequii specie, & animi submissione, quieta cum industria, absque rumore & b arrogantia. Ruina fortitudinis & virtutis est, si constantiæ suæ nimium tenaces sint, in eaque omnem existimationem collocent; præmia item & dignitates iis præripiunt interim alii, qui ingenio & moribus variis flectere sese norunt, & ad Principis naturam componere. His artibus ait Tassus Poëta Aletum ad maximos Regni honores grassatum fuisse:

c *Mà l'inalzàro à i primi honor del Regno.*
Parlar facundo, e lusinghiero, e scorto,
Pieghe voli costumi, e vario ingegno.
Al finger pronto, all' ingannare accorto.

Verum id fieri non debet animo fallendi, uti Aletus factitabat; sed ne quis seipsum in aulis imprudenter perdat, aut ut Principi meliora præstare possit obsequia: sunt enim nonnulli ita comparati, ut omnino necesse sit, Ministrum naturam illorum induere, & quasi intra illosmet ipsos subin-

a *Cui hostem concret? adversa in Remp. casura: sin prospere egisset, formidolosum paci virum insignem, & ignavo Principi prægravem.* Tac. lib. 11. Annal.

b *Vis consiliorum penes Annium Bassum legionis Legatum. Is Silvanum socordem bello, & dies rerum verbis terentem, specie obsequii regebat, ad omniaque, quæ agenda forent, quieta cum industria aderat.* Idem lib. 3. Hist.

c Tass. can. 2.

ingredi, ut moveant sese, & agant aliquid: a *neque enim alienis consiliis regi se sinunt, neque sua expedire* norunt. Atque adeo Principi suaderi non debet id, quod magis expedit, sed quod ratione muneris sui tenetur exequi. Vana fuerunt fortia illa consilia, tametsi optima, quæ dabantur Vitellio: nam cum ad exequendum deesset animus, surdis auribus ea *b* solebat accipere. Ministri quasi vela sunt, quibus Princeps navigat, quod si ampla illa sint, navicula autem principis exigua, & porro laxari velint potius quam contrahi, ejus se capacitati aptando, navem omnino demergent.

a Tac. lib. 3. Hist.

b *Surda ad fortia consilia Vitellio aures.* Idem lib. 3. Histor.

SYMBOLUM XXXVII.

Ut Princeps è tempestate emergat instructus de omnibus casibus, in quos illum Fortuna adversa potest conjicere, Emblemate præsenti ante oculos propono electionem damni minoris, quando majora evitari nequeunt. Ita Nauclerus solet, qui ab omni salutis spe derelictus, obluctando tempestati, aut dextre illa utendo, explorat litus, & navi terram petit, ubi si illa frangatur, vitam tamen & merces servat integras. Romanis, laudi datum fuit, quod saluti propriæ consulerent, quoties Fortunæ sese opponere *c* non liceret. Fortitudo Principis non in resistendo solum consistit; sed in eo etiam, ut expendat pericula, & cedat minoribus, si majora superari non possint. Etenim sicuti Prudentiæ est prævenire, ita Fortitudinis & Constantiæ æquo animo tolerare id, quod Prudentia declinare non potuit. Qua in re eximius plane fuit Rex *d* Alphonsus VI, in rebus secundis modestus, fortis in adversis, ad omnem eventum semper paratus. Inanis est illa gloria Principis, qui majori cum temeritate, quam constantia animi eligit, mori potius in periculo graviori, quam in minori salvus evadere. Magis famam suam in consilium adhibet, quam salutem publicam; nisi illud etiam sit, quod deficiat animus ad spernendas opiniones Vulgi, qui temere & absque notitia casuum, ea quæ prudenter statuta sunt, improbat, & dum in periculo est, nollet effectui dari, quæ tam periculosa sunt, & violenta. Animus fortis videtur interdum, & ignavia est: cum enim fortitudo desit ad sperandum in periculo, nos in illud ipsum turbatio metus *e* conjicit. Quando fortitudinem Prudentia comitatur, considerationi locus est, & si in minori periculo satis secura non sit, majus subire non veretur. Metu emori debilitas animi est. Nulla major fortitudo, quam quæ ab extrema necessitate

c *Validam & laudatam antiquitatem, quoties fortuna contra daret, saluti consuluisse.* Tac. l. 11. Annal.

d Mar. histor. Hispan. lib. 10. cap. 7.

e *Timidos & ignavos ad desperationem formidine properare.* Tacit. lib. 2. Hist.



ceſſitate *a* oritur. Remedium nec ſperare, nec deſperare, ultimum rebus deſperatis ſolet eſſe remedium. Sic navis interdum ſervata fuit: nam cum litus, quod arenoſum non eſſet, ſecura petere non auderet, alto mari ſeſe commiſit, & vi fluctuum evaſit incolumis. Periculum unum alterius ſolet eſſe *b* remedium. Eo ſpectabant, ni fallor, ii, qui in conjuratione contra Galbam auctores ei erant, ut primo mox furori *c* occurreret. Armis propugnabat Garſias Gomeſius

a *Acerrima neceſſitas eſt, quam ultima neceſſitas extundit*, Sen.

b *Imminentium periculorum remedium ipſa pericula ratus*. Tac. lib. 11. Annal.

c *Proinde intuta, quæ indecora: vel ſi cadere neceſſe ſit, occurrendum diſcrimini*, idem lib. 1. Hiſt.

mesius castrū MundanæCęsarianæ (cui temporibus Regis Alphonsi Sapientis is præerat Gubernator) & tametsi millites suos omnes aut interfectos cerneret, aut vulneribus saucios; dedere tamen illud noluit, nec accipere conditiones quantumvis honestas ab Africanis sibi oblatas: horum enim fidei non satis fidendum ratus, inter fidelitatis suæ brachia occumbere gloriose maluit, quam inter hostiles manus; & quod mortem illi allaturum videbatur, mire illi conciliavit animos hostium, qui tantam generosę mentis constantiam & fortitudinem admirati, injecto in castrum unco vivum inde extraxerunt, magna illum tractantes cum humanitate, curatis etiam vulneribus, quæ obsidione durante acceperat. Tanta Virtutis vis est, ut ipsis etiam hostibus grata sit. Longe pluribus vitam fortitudo dedit, quam metus. Nescio quis Deus illam comitetur, qui eam è periculis eruat. Eo tempore, *a* quo Rex Ferdinandus Sanctus Hispalim armis cinxerat, Garsias Peresius Vargas civis Toletanus, & alius quidam, divulsi à cæteris ripam Bætis fluminis inambulabant, cum ecce ex improviso septem sibi Mauros equites imminere conspiciunt: monet socius cedendum; Garsias tamen, ne turpi fuga ignaviæ ignominiam susciperet, diducta casside, & lanceam manu vibrans solus adversum progreditur; hostes cognito quis esset, & admirati imperterritum illum animum, transire illum sinunt, & certamine abstinent: saluti nimirum fuit heroica illa fortitudo; nam si una cum socio se dedisset in fugam, insecuti illum fuissent hostes, & captivum abduxissent. Animo soluto ac libero opus est ad examinanda pericula, quoad rumorem primum, tum quoad eorum gravitatem. Quoad rumorem quidem, nam ob distantiam plerumque æstimantur majora; vulgus ad audita trepidat, & seditiose cum augmento latius ea spargit ac disseminat, exultans gaudio in malis suis propriis ob casuum novitatem, aut quia præsentem gubernationem improbat. Decet igitur, ut Princeps constantem se gerat, & vanas ejusmodi apprehensiones auctoritate sua dissipet. Exemplo Tiberius docuit: quicquid enim ferret rumor, de trium nobilissimarum Provinciarum Hispaniæ, Galliæ & Germaniæ defectione, ipse tamen *b tanto impensius in securitatem compositus, neque loco neque vultu mutato, sed, ut solitum, per illos dies egit: altitudine animi, an compererat modica esse, & vulgatis leviora?* Si Princeps semel succumbat formidini, nil deinceps certi statuere poterit; *c quia in metu consilia prudentium, & vulgi rumor juxta audiuntur.* Vti Vitellio accidit in bello civili cum Vespasiano. Pericula imminentia ideo majora videntur, quia metus horrore quodam ea vestit, & præsentia grandiora efficit; dumque evitare ea cupimus, in alia incidimus, longe graviora, quæ tametsi lon-

a Mar. Histor. Hispan. lib. 18. cap. 7.

b Tac. lib. 3. Hist.
c idem lib. 3. Hist.

longinqua appareant, vicina tamen postea experimur. Fallimur profecto, si putemus interjecto à nobis temporis spatio differri aut arceri ea posse. Multa evanuere, quia ultro iis itum est obviam! contra multa sese armarunt fortius adversus eos, qui ea fugere cogitabant, & reipsa periculum esse cœpit, quod antea sola fuerat imaginatio; quemadmodum Syriorum exercitui accidit in obsidione urbis *a* Samariæ. Plures periculi metus sustulit, quam ipsum periculum. Quid vanus timor possit, ante annos paucos Madriti vidimus, in publico Taurorum certamine, quando subito exortus rumor, de loci, ubi concurrebant, periculo, percelluit aures civium, & ignorata causa omnes timebantur. Formidini fuga quorundam vires addidit, & quia rei certitudinem nolebant expectare, ideo multi mortem repererunt in iis ipsis mediis, quibus vitæ suæ consulere cogitabant; & sane longe majus fuisset damnum, nisi constantia Regis Philippi Quarti, in quem omnium conjecti erant oculi, immota ad commotionem popularem, & rumorem periculi, trepidantes subditorum animos erexisset. Nisi Princeps in rebus arduis & periculis vulgi metum coërceat, turbantur consilia, omnes præcipiunt, & nemo *b* exequitur,

§. Nimia etiam periculorum fuga causa est sæpe, cur Status funditus pereant. Suis certe, & Electorali dignitate spoliatus non fuisset Fridericus Comes Palatinus, nisi post Pragensem cladem alas ei addidisset timor, ut linqueret omnia: facile enim aut Pragæ, aut alibi cum residuis copiis pedem figere potuisset, & cum Imperatore redire in gratiam, minus damnum, minusque periculum eligendo.

§. Sæpenumero metus sub aliena specie ita tecte nos decipit, ut prudentiam existimemus, & constantiam pro temeritate habeamus. Nonnunquam dubii hæremus & ancipites, nec satis statuere possumus, quid agendum, & periculum interim propius fit. Non timenda sunt omnia, neque semper tam matura deliberatione opus est; nam prudentiam inter & temeritatem, egregia sæpe facinora designat Fortitudo. Magnus *c* Dux fluvium Lirim aliquando ingressus cum exercitu, magna rerum penuria laborare cœpit, adeo ut miles male contentus delaberetur; cumque Centuriones auctores illi essent, ut receptui caneret, sic fertur respondisse: *Ego vero apud hunc animum statui, uno potius terræ passu potiri, ubi sepeliar, quam retrogredi, etiamsi annos centum vitæ possem adjicere.* Heroica vox, digna fortitudine

a *Dominus sonitum audire fecerat in castris Syriæ, curruum, & equorum, & exercitus plurimi, dixeruntque ad invicem: Ecce mercede conduxit adversum nos Rex Israel, Reges Hethæorum & Ægyptiorum, & venerunt super nos. Surrexerunt ergo & fugerunt in tenebris.* 4 Reg. 6, 7, 6, & 7.

b *Quæ jusserat vetare, quæ vetuerat jubere mox, quod in perditis rebus accidit, omnes præcipere, nemo exequi.* Tac. lib. 3. Hist.

c Mar. hist. Hisp. lib. 28. c. 5.

ne Viri tanti, & prudentia. Optime nôrat, absque temeritate aliqua se in eo casu sperare non posse, sed expendens periculum ad armorum existimationem, quæ sola & unica ejus factionem sustentabat in regno, quod à successu expeditionis illius dependebat, omnia in aleam unius prælii dare maluit, & suam tueri existimationem, quam absque ea regnum paulatim amittere. O quoties, quia ferrum non cohibetur tempori, in causa sumus, cur vulnerum carcinoma grassetur longius.

§. Quædam pericula seipsis evanescunt; alia tamen augescunt per incuriam, atque adeo lenta quasi febri conficiuntur regna, & intereunt. Quædam ignota prorsus sunt, & adversus ista satis caveri non potest, quia citius ingruunt, quam parentur remedia. Alia nota sunt quidem, sed contemnuntur: & ab his plerumque pati solent negligentia, & confidentia nimia. Nullum periculum, quantumvis parvum aut exiguum, ideo sperni debet: tempus enim, & accidentia alia sæpe majus illud efficiunt, & fortitudo non tam in superandis, quam in advertendis periculis consistit. Vivere in conspectu periculi, perinde quasi est, ac illud reipsa subire, & experiri. *Nemo mortalium juxta viperam somnos securos capit, quæ etsi non percutiat, certe sollicitat; tutius est perire non posse, quam juxta periculum non periisse.*

§. Nec minus fallere nos solet spes & fiducia, quam in aliena Clementia ponimus, quando ad declinandum unum periculum incidimus in aliud gravius, hostis nimirum arbitrio nosmet committendo. Contemplamur in eo generositatem veniæ, non vindictæ, aut ambitionis impetum. Dolore nostro, & afflictione illius metimur misericordiam, & facile nobis persuademus fore, ut ad remedium malis nostris adferendum commoveri possit. Cum Iacobus Tertius Majoricæ Rex viribus par non esset Petro Quarto Aragoniæ Regi affini suo, qui nescio quo prætextu sceptrum illi eripere cogitabat, ejus sese commisit arbitrio, existimans hac sua demissione obtenturum se, quod armis non poterat; verum plus in Rege illo dominandi libido potuit, quam Clementiæ virtus, adeoque regno illum pariter & titulo regio exuit. Ita nos fallunt pericula, & majus esse deprehendimus interdum, quod tanquam minus aliis elegimus. Nullum consilium securum, quod iis innititur principiis, quæ ab alieno dependent arbitrio. In eo nosmetipsi decipimus, quod putamus, nihil acturos alios, quod aut religioni aut justitiæ, aut consanguinitati, aut amicitiæ, aut honori eorum proprio, & utilitati adversatur; neque advertimus, non semper ea facere homines, quæ magis è re ipsorum forent, aut quæ deberent; sed secundum animi passiones potius, & prout ipsi intelligunt: atque adeo actiones illorum non ad amussim rationis examinandæ sunt solum, sed etiam ad malitiæ regulam, experientiam injustitiarum & tyrannidum, quas passim Mundus exercet.

§. Pe-

§. Pericula optimi sunt Principis magistri. Præterita docent curare præsentia, & futura prævenire : Aliena erudiunt, sed facile è memoria excidunt. Propria, damnorum signa quædam & cicatrices relinquunt in animo; uti & metum id, quod vim imaginatricem semel offendit. Cavendum igitur, ne ea omnino contemptus eradat aut oblivio, præsertim quando ex uno erepti periculo existimamus nos deinceps ab eodem fore liberos, aut certe si redierit, nobis non nociturum : etsi enim una aliqua circumstantia, quæ non facile iterum evenit, pericula dissipet : aliæ tamen, quæ sæpe accidunt plane novæ, sic eorum augent gravitatem, ut superari nequeant.

SYMBOLVM XXXVIII.

A Natura manavit hæc universa rerum Respublica, & mixtorum Imperium cujus supremam potestatem ipsa sibi vendicat; atque ut illud stabiliret firmius, & securius retineret, tantopere amari ab iis voluit, ut licet elementa pugnent inter se, admirabili tamen quodam consensu in conservationem ejusdem conspirarent. Brevi ruerent omnia, & dissolverentur, si odio haberent Naturam reru principem ac dominam, quæ mutuis benevolentiæ & amoris vinculis, velut arctissimo quodam nexu illa jungit inter sese ac copulat. Amor iste est, qui terram suis libratam ponderibus sustinet, & circum illam cælestes orbes facit circumagi. Discant Principes ab ista rerum conditarum Monarchia, fundata in primo illarum, esse se, suosque subditos tueri amoris beneficio, quæ fidissima est *a* custodia, qua gaudere possunt:

Non sic excubiæ, non circumstantia tela,
Quam tutatur amor.

Vnum inexpugnabile munimentum, amor civium. b Ea de caussa apes Regem legunt absque aculeo, quia armis non indiget, qui amari debet à subditis. Nequaquam vult Natura, lædere possit is, cujus est moderari Rempublicam, ne odio illi sit, & se perditum eat. *El major poderio, e mas cumplide* (ait Rex Alphonsus *c* in quadam lege) *que el Emperador puede aver de fecho en su señorio, es quando el ama a su gente, e es amado della.* Corpus defendit caput, quia charum hoc habet, ob directionem suam & conservationem : si illud non amaret, non objiceret brachium ut ictum venientem excipiat. Quis sese periculis offerret, nisi suum diligeret Principem? Quis coronam ejus tutaretur ac defenderet; *d* Totum Castellæ regnum Henrico Trastamaræ Comiti contra Regem Petrum Crudelem auxilio adfuit, quia ille in amore, hic odio erat omnibus. Initium primum eversionis Regnorum, & mutationũ in Rebus-

a *Corporis custodiam tutissimam esse putatum, in virtute amicorum, tum in benevolentia civium esse collocatam.* Isoc. ad Nic. Claud.

b Sen. de Clem. l. 1. c. 19.
c L. 3. tit. 1. p. 2.
d Mar. Hist. Hisp.



buspublicis, odium est. Incurrerunt in hoc apud subditos suos Reges Ordonius & Froyla *a* Secundus, unde inviso jam Regum nomine Castella Reipublicæ formam induit, diviso inter duos judices Imperio, quorum alter paci præesset, alter militiæ. Lusitania nunquam adversus Reges suos arma sumpsit, nec ab eorum descivit obedientia, quia sincero amore eos complectitur; quod si aliquando unum exclusit, & admisit alium, ideo fuit, quia unum charum, alterum ob malam gubernandi rationem habebat odio. Iacobus Primus Aragoniæ Rex *b* Alphonso Sapienti suadebat, amari potius optaret, quam timeri à subditis, & Ecclesiasticorum ac vulgi sibi pararet studia,

a Mar. Hist. Hisp. lib. 8. c. 3.

b Mar. Hist. Hisp. lib. 13. c. 20.

ſtudia, ut tanto majori cum robore Nobilitati ſe poſſet opponere. Quod conſilium ſi fuiſſet ſecutus, Coronam non perdidiſſet. Simul ac Nero amari deſiit, conjurationes contra eum fieri cœperunt, id quod in faciem illi exprobravit Subrius Flavius: a *Nec quiſquam*, ajebat, *tibi fidelior militum fuit, dum amari meruiſti. Odiſſe cœpi, poſtquam parricida matris, & uxoris, auriga, hiſtrio, & incendiarius extitiſti.* Majeſtas & potentia Regis non in ſuamet ipſius perſona conſiſtunt, ſed in affectu & voluntate Subditorum. Si iſti ma'e affecti ſint, quis hoſtibus ſe objiciet? Pro ſua conſervatione Populus Rege indiget, ſed illam ſperare non poteſt ab eo, qui inviſum & odioſum ſe reddit. Prudenter ſane hoc præviderunt Aragonii, quando evocato ad ſceptrum b Petro Athareſio Domino Borgiæ, à quo deſcendit Illuſtriſſima & antiquiſſima Domus Ducum Gandiæ, pœnitentia poſtea ducti, Regem eum habere noluerunt, eo quod viderent ante etiam, quam eligeretur in Regem, ſe aſperius & minus benevole ab eodem tractari. c Contra ac fecit Ferdinandus Primus Aragoniæ Rex, qui benevolentia & amore omnium ſibi in illo Regno devinxit animos, uti & in Caſtella eo tempore, quo habenas illius moderabatur. Multos Principes periiſſe vidimus, quod timerentur, nullum adhuc, quod amaretur. Curandum itaque Principi, ut à ſubditis diligatur, & formidetur ab hoſtibus: niſi enim id fiat, tametſi victor evadat, illorum tamen manibus tandem morietur; id quod Bardano Perſarum Regi d accidit. Amor & reverentia ſociari poſſunt, non item amor & ſervilis metus.

e *Quem metuunt, oderunt,*
Quem quiſque odit, periiſſe expetit.

f *Nec quenquam à multis metuendum eſſe arbitror, quin ad eum ex multis formido recidat.* Quæ major infelicitas, quam imperare iis, qui per metum parent, & corporibus dominari, non animis? Illud inter Principem juſtum, & tyrannum intereſt, quod ille armis utatur ad tuendos in pace Subditos; hic vero, ut ſuæ adverſus illos ſecuritati conſulat. Si vires & potentia Principis inviſi tenues ſint, periculo apud Subditos ſunt expoſitæ; ſi magnæ, multo etiam amplius: quo enim metus eſt major, eo majori cum ſollicitudine ſaluti ſuæ proſpicere ſatagunt; tanquam qui vereantur, ne una cum Majeſtate augeſcat ferocitas, quomodo in Bardano Perſarum Rege videre fuit, qui *ingens gloria, atque eo ferocior, & ſubjectis intolerantior* extitit. g Attamen ſi non periculi cauſſa, ob gratitudinem ſaltem cavendum Principi, ne metuendus ſit iis, à quibus habet, quod Principis fungatur officio. Quare indigniſſima fuit illa vox Imperatoris Caligulæ; *Oderint, dum metuant*; perinde atque Imperii ſecuri-

a Tac. lib. 15. Annal.
b Mar. Hiſt. Hiſp. lib. 10. c. 15.
c Mar. Hiſt. Hiſp. l. 20. c. 8.

d *Claritudine paucos inter ſenum Regum, ſi perinde amorem inter populares, quam metum apud hoſtes quæſiviſſet.* Tac. l. 11. Ann. e Enn.
f Saluſt. g Tac. l. 11. Annal.

tas in metu consisteret. a Immo *nulla vis imperii tanta est, qua premente metu potest esse diuturna.* Et tametsi dixerit Seneca: b *Odia, qui nimium timet, regnare nescit: Regna custodit metus*; tyrannica tamen vox est, aut certe intelligi debet de timore illo vano, quo laborare solent interdum Principes, etiam cum æqua præcipiunt, ne scilicet forte offendant alios, quod utique pernitiosum est, & auctoritati eorum, ac potentiæ haud parum derogat. Regnare non poterit, qui constans & fortis non fuerit in contemnendo improborum odio, quod conserventur boni. Nec mitigatur Caligulæ sententia ex eo, quod sustulit & adjecit Imperator Tiberius dicendo: *Oderint, dum probent.* Etenim nulla illius probatur actio, qui aliis odio est. Omnia improbat, & in deteriorem partem interpretatur odium. c *Inviso semel Principe, seu bene, seu male facta premunt.* Tyranno necessarium videtur, subditos metu continere, quia imperium ejus violentum est, & sine violentis mediis diu conservari non potest, cum desint duo illa Naturæ & Obsequii vincula, quæ teste Rege Alphonso Sapiente, d *son los majores debdos, que Ome puede aver con su Señor. Ca la Naturaleza le tiene siempre atado para amarlo, e no yr contra el, e el Vasallaje para servirle lealmente.* Et cum Tyrannus satis sciat sine funiculis istis sincerum inter ipsum & Subditos suos amorem esse non posse, per vim etiam obtinere contendit, ut operetur metus, quod naturalis alias affectus deberet efficere, & sicut *semper e præsumit sæva perturbata conscientia*, ita eadem exercet quoque in alios. Funesta tamen Tyrannorum omnium exempla abunde docent, quam medium illud parum diuturnum sit. Tametsi vero per multas ætates, solo pæne metu conservatum vidimus Imperium Turcicum, Moscovitarum & Tartarorum, in comparationem tamen venire non debent Nationes istæ immanitate barbaræ, & tam asperis moribus, ut belluinam potius præ se ferant naturam, quam humanam: quippe quæ pœnis magis, quam ratione duci soleant, quamobrem absque illis coërceri non possunt, sicut nec absque vi aliqua & metu domari possunt belluæ. Verumtamen animi generosi ad obedientiam & fidelitatem vi aut fraude cogi se non sinunt, sed sinceritate & ratione induci volunt. *E porque* (ait Rex Alphonsus Sapiens) *las nuestras Gentes son leales, e de grandes coraçones: por eso an menester, que la Lealtad se mantenga con Verdad, e la Fortaleza de las voluntades con Derecho, e con Iusticia.*

§. Solet Principem inter & Subditos esse inclinatio quædam, & consensio naturalis, quæ amabilem illum reddit, absque eo quod alia diligentia opus sit: fit enim nonnunquã, ut ametur etiam Princeps, qui odium merebatur, & contra. Et licet seipsis facile sui amorem concilient eximiæ tum animi, tum corporis virtutes ac dotes; id

a Cicero.
b Seneca.
c Tac. lib. 1. Histor.
d L. 23. tt. 15. p. 2.

e Sap. 17. 11.

id tamen non semper præstant, nisi eas comitetur grata quędam benignitas, & suavitas oris exterior, quæ mox per ipsos oculos, velut animi fenestras, præstantiam interiorem foras exhibeat, & affectum aliorum blande sibi devinciat. Præterquam quod facile accidat, ut aut casus aliquis, quem prævertere non licuit, aut sinistra aliqua apprehensio hoc gratiæ & amoris vinculum non inter Principem & subditos ita dissolvat, ut iterum coalescere deinde nunquam possit. Multum tamen ea in re poterit artificium & industria rite gubernandi, cum satisfactione & Vulgi & Nobilitatis, si Princeps nimirum omnes caveat occasiones, quæ irritare illum queant, & sic in omnibus agat, ut bona de regimine ipsius nascatur opinio. Quia vero sparsim in hoc libro traduntur media, quibus subditorum benevolentia conciliari potest, illud solũ nunc dico, ad illã obtinendam valere plurimum Religionem, Iustitiam & Liberalitatem.

5. Cæterum, quia sine aliqua timoris specie amor in contemptum facile verteretur, & hebesceret acies auctoritatis *a* regiæ. Subditis apprime convenit metus ille, qui ex reverentia, & veneratione nascitur; non is, qui è periculo ob tyrannides, aut injustitias. Principem ideo fieri formidabilem, quia aut nihil tolerat indignum, aut conservat Iustitiam, aut vitia detestatur; tantopere expedit, ut absque isto subditorum metu diu semetipsum tueri nequeat: omnes enim natura libertatem appetunt, & pars hominis inferior rationis detrectat imperium, nec aliter quam metu se finit corrigi. Debet itaque Princeps ita edomare subditos, uti domari solet pullus equinus (figura præsentis Emblematis) cui manus eadem, quæ popysmate eum demulcet, & jubas pectit, virga etiam minitatur. In arca tabernaculi Virga simul & Manna asservabantur, ad significandum opinor, in Principe severitatem & benignitatem jungi debere. Solatio erant Davidi virga pariter & baculus Dei: si enim illa infligebat verbera, hic eundem *b* sustentabat. Cum Deus in monte Sinai populo Israëlitico legem Decalogi daret, fulguribus de cælo & tonitruis illum territabat, & musica simul ac harmonia cælesti *c* deliniebat. Vtrumque opus est, ut subditi in cultu & amore constantes persistant. In id ergo incumbat Princeps, ut amari se faciat pariter, & timeri: curet, ut se ament tanquam subditorum conservatorem; ut metuant tanquam animam legis, à qua salus omnium & fortunæ dependent: ut se ament, propter præmia; ut se metuant, propter pœnas: ut se ament, quia adulationes in aurem non vult admittere, ut se metuant, quia non tolerat licentiam nimiam: ut se ament, ob suam benignitatem; ut se metuant propter auctoritatem:

a *Timore Princeps aciem auctoritatu suæ non patitur hebescere.* Cic. 1. Cat.

b *Virga tua, & baculus tuus, ipsa me consolata sunt.* Psal. 22. 4.

c *Et ecce cœperunt audiri tonitrua, ac micare fulgura, & nubes densissima operire montem: clangorque buccinæ vehementius perstrepebat.* Exod. 19. 16.

ritatem: ut se ament, quia pacem promovet; ut se metuant, quia ad bellum paratus est. Ea ratione, ut boni Principem amando habeant, quod metuant in illo: improbi vero eundem metuendo, habeant in eo, quod diligant. Timor iste tam necessarius est ad sceptri conservationem, ac noxius ac periculosus is, qui è superbia, injustitia, & tyrannide Principis nascitur, quia adducit in *a* desperationem. Vnus ad libertatem aspirat, etiam cum Principis ruina, confringente Deo *b* virgam eorum, qui nimis aspere dominantur: alter vero cavere studet indignationem ejusdem, & pœnam, rationi se conformando. Ita loquitur Rex Alphonsus Sapiens; c *Otro si lo deben temer como Vasallos à su Señor, aviendo miedo de fazer tal yerro, que ayan à perder su amor, ecaer en pena, que es manera de servidumbre.* Timor iste eodem partu cum amore nascitur: neque enim amor esse potest absque metu perdendi rem amatam, attentus semper ut in ejus gratia se conservet. Quia tamen non æque est in potestate Principis, ut ametur, ac ut metuatur, ideo melius est securitatem suam in hoc timore fundare, quam in solo amore, qui utpote voluntatis proles inconstans est & varius, neque ullæ blandiendi artes sufficere possunt ad effectus omnium conciliandos. Illum Principem magnum ego Gubernatorem existimaverim, quem vivum timuerint subditi, amaverint mortuum, quomodo factum Regi Ferdinando Catholico: nam si amatus non fuerit, sufficiet æstimari illum, ac metui.

a *Ita agere in subjectis, ut magis vereantur severitatem, quam ut sævitiem ejus detestentur.* Colum.

b *Contrivit Dominus baculum impiorum, virgam dominantium, cadentem populos in indignatione.* Isa. 4. 5. & 6.

c L. 15. tit. 13. p. 2.

SYMBOLVM XXXIX.

IN numismate quodam antiquo fulgur inscriptum cernitur supra aram, ad significandum, Principis severitatem debere cedere precibus. Symbolum oculis molestum, quia punitionis fulgur sic ad vivum exprimitur, & tam veniæ proximum, ut metus ipsam pæne spem benignitatis aræ in desperationem adducere posse videatur. Et quamvis deceat interdum, ut vultus Principis, cui reus de genibus supplicat, præ se ferat eodem tempore, & terrorem Iustitiæ; & Clementiæ suavitatem; id tamen non semper expedit: esset enim contra Spiritus Sancti monitum, qui vult, ut ex ejus facie, Vita & Clementia *d* eluceant. Ea propter in præsenti Emblemate fulguris loco Vellus aureum supra aram colloco, quod primus introduxit Philippus Bonus Burgundiæ Dux, non pro insignibus (ut multi existimant) fabulosi velleris Colchici, sed pellis illius, seu velleris Gedeonis, quod solum, in signũ victoriæ, aren-

d *In hilaritate vultus Regis, vita: & clementia ejus quasi imber serotinus.* Prov. 16. 15.



arentibus circum agris rore de cœlo *a* madebat. Quo Symbolo mansuetudo exprimitur & benignitas, quemadmodum eandem significat Agnus immaculatæ illius Hostiæ Filii Dei oblati pro mundi salute. Victima est Princeps laboribus & periculis quasi sacrificio destinata pro communi subditorum suorum utilitate. Pretiosum vellus, dives rore, & aliis cæli bonis: in illo habeant oportet quovis tempore, quo siti suæ faciant satis, & remedium rebus suis afflictis inveniant, semper affabilis sit, sincerus semper, & benignus erga illos, quo plus efficiet, quam severitate.

a *Pone hoc vellus lanæ in areâ; si ros in solo vellere fuerit, & in omni terrâ siccitas, sciam quod per manum meam sicut locutus es, liberabis Israel.* Iudic. 6. 37.

Mox arma posuerunt, conjurati, cum placidum Alexandri vultum intuerentur. Augusti serenitas manus Galli illius cohibuit, qui eum ex Alpibus dare volebat præcipitem. *a* Rex Ordonius Primus ita modestus fuit, ac suavibus moribus, ut subditorum animos mire sibi devinxerit. Regem Sanctium hujus nominis Tertium cognominarunt Desideratum, non tam ob brevem ejus vitam, quam benignitatem. Aragonii ad coronam admisere Infantem Ferdinandum Regis Martini Nepotem, capti suavitate morum, qua excellebat. b *Comitas & temperantia nulli invisa* Satis per se ipsam gravis est, & odiosa obedientia; Princeps asperitatem ne addat, hæc enim lima esse solet, qua libertas naturalis servitutis catenam dissolvit. Si Principes tempore adversæ fortunæ comitate & mansuetudine sibi utendum existimant, ut illam corrigant, quidni etiam utantur in prospera, ut hanc conservent? Vultus Principis benignus dulce quoddam in animos est imperium, & dissimulatio dominatus. Funiculi Adam, quibus corda attrahi dixit Oseas *c* Propheta, mores sunt humani & suaves.

§. Benignitatis nomine non hic eam intelligo, quæ ita vulgaris est, ut contemptum pariat, sed quæ gravitate quadam, & auctoritate ita suaviter condita est, ut amori in subdito locus sit, stipata tamen reverentia & veneratione: nam si hæc desit, amor facile in nimiam vertitur familiaritatem, & æqualitatem affectat. Quod si illud Majestatis *d* augustum non conservetur, nihil inter Principem & subditum intererit discriminis. Oportet igitur, ut & personæ cultus (quemadmodum alibi diximus) & comis gravitas regiam dignitatem sustineant: neque eam ego probare possum, si Princeps ita se familiarem faciat omnibus, ut de illo dici possit quod de Iulio Agricola, qui erat *e cultu modicus, sermone facilis, adeo ut plerique, quibus magnos viros per ambitionem æstimare mos est, viso aspectoque illo, quærerent famam, pauci interpretarentur.* Nam quod vulgare est & commune, mirari nemo solet; ex admiratione autem reverentia nascitur. Aliqua gravis severitas oportet ut è Principis ore emicet, & extraordinarium aliquid in tota corporis habitudine, & incessu Regio, quæ supremæ potestatis indicium sit; severitate tamen & suavitate ita contemperatis inter se, ut amorem & venerationem, non metum in subditis *f* concilient. Sæpius in Gallia ferrum audacius sæviit in Majestatem Regiam ultra quam par erat familiarem. Neque affabilitas auctoritatem diminuat, neque amorem *g* severitas;

a Mar. hist. Hisp. lib. 7. c. 16.
b Tac. l. 11. Annal.
c *In funiculis Adam traham eos, in vinculis charitatis.* Os. c. 11, 4.

d *Comitas facile faustum omne atterit, & in familiari consuetudine ægre custodias illud opinionis augustum.* Her. lib. 1. *e* Tac. in vit. Agr.

f *Et videri velle non asperum, sed cum gravitate honestum, & talem ut eum non timeant obvii, sed magis revereantur.* Arist. Pol. l. 5. c. 11.

g *Nec illi, quod rarissimum est, aut facilitas auctoritatem, aut severitas amorem diminuit.* Tac. in vita Agr.

ritas; id quod in Agricola admiratus fuit Cornelius Tacitus, & collaudavit hoc nomine Titum Imperatorem, qui a *ut super fortunam crederetur, decorum se promptumque armis ostentabat, comitate & alloquiis officia provocans, ac plerumque in opere, in agmine gregario militi mixtus, incorrupto Ducis honore.* Eo modo Princeps componat vultum, ut servando auctoritatem is alliciat: ut gravis videatur, non asper nimium: ut animos erigat, non ad desperationem adducat, suaviter semper & decore subridens aliquantulum, cum verbis benignis, & graviter gratiosis. Sunt, qui Principes se non credant, nisi mores quosdam inconditos præ se ferant, & asperitatem in verbis, in fronte, & motu corporis, præter communem aliorum hominum consuetudinem; perinde ac fictores imperiti, qui artificium & perfectionem Colossi in eo existimant consistere, ut maxillas habeat inflatas, labia eminentia, pendentia supercilia, inversos & contortos oculos.

b *Celsa potestatis species non voce feroci,*
Non alto simulata gradu, non improba gestu.

Tam terribili aspectu erat Assuerus Rex, ut ingressa ad ejus alloquium Regina Esther c animo linqueretur: atque ut ad se rediret necesse fuit, ut spiritu Regis divinitus in mansuetudinem d converso, sceptrum tangere juberetur, ut videret, non esse nisi truncum deauratum, & hominem e non visionem, qualem sibi fuerat f imaginata. Si istud in Regina efficere potuit Majestas nimium severa & incondita, quid non faciet in homine aliquo pauperculo & afflicto? Sacræ paginæ Principem appellant g Medicum, immo h Patrem; sed nec ille ægrum curat, nec hic filium gubernat inhumaniter.

5. Quod si ex occasione interdum conturbata frons Principis, nubibus obducetur contra subditum, talibus in reprehensione utatur verbis, ut virtutes ejus collaudet primum, & deinde turpitudinem delicti ei ponat ob oculos, atque ita generosum illi pudorem incutiat, siquidem ad virtutis lucem vitii umbra apertius sese prodit. Cavendum quoque, ne reprehensio tam gravis sit & publica, ut perdita jam existimatione, subdito amplius integrum non sit eandem reparare, neve in delicto obstinet animum. Commisceantur ergo inter se ira & benignitas, pœna & præmium; quomodo in vellere aureo annuli tenentur silicibus, & inter illos

a Tac. lib. 5. hist.
b Claud.
c *Eratque terribilis aspectu. Cumque elevasset faciem, & ardentibus oculis furorem pectoris indicasset, Regina corruit,* Esther. 15. 9, & 10.

d *Convertitque Deus spiritum Regis in mansuetudinem.* Ibidem vers. 11.
e *Accede igitur, & tange sceptrum.* Ibid. v. 14.
f *Vidi te Domine quasi angelum Dei, & conturbatum est cor meum.* Ibid. vers. 16.
g *Non sum Medicus, nolite me constituere Principem.* Isai. c. 3. 7.
h *In judicando esto pupillis misericors, ut pater,* Eccl. c. 4. 10.

in medio flammæ igneæ, ad significandum cor Principis pyriti vel filici debere esse simile, quod iræ suæ scintillas teneat abditas, ne cui temere noceant; ita tamen dispositum, ut si forte à quopiam offendatur, aut afficiatur injuria, in vindictæ aut justitiæ flammas exardescat; non tamen ita pronas in executionem, quin rorem velleris una in promptu habeat ad extinguendas illas, aut saltem moderandas. Ezechiæ dicebat Deus: *a Vt adamantem, & ut silicem dedi faciem tuam*; per hunc justitiæ constantiam, per illum vero ignem pietatis symbolice innuens.

§. Quod si Princeps naturam suam asperam & inhumanam domare nequeat, benignam saltem alat familiam, quæ vicem illius suppleat, benevole eos accipiendo, qui negotio um causa ad aulam ipsius invisunt. Sæpe amatur Princeps, aut odio habetur ob suos domesticos. Multum equidem celare possunt & tegere (ut alibi diximus) asperos Principis sui mores, si prudenter eos mitigare noverint, aut excusare cum gratia.

§. Nationes quædam Majestatem Regiam, dum audientiam concedit, post vela & cortinas abdunt, ut nunquam oculis coram videatur à populo. Mos inhumanus Regibus, crudelis ac barbarus subditis, si quando in manibus non licet, ne in præsentia quidem sui Principis solatium invenire possint. Poterit secessus ille magis metuendum reddere Principem: magis amabilem efficere nunquam poterit. Per oculos & aures amor sese in cor penetrat. Quod nec visu, nec auditu percipitur, amari non solet. Si Princeps oculis se subducat, & linguæ; necessitatibus subditorum se subtrahit, earumque remedio. Lingua instrumentum facile est, quia animos omnium conciliare debet. Ne illam duram & intractabilem Princeps faciat. Quia lingua breviori fuit, & impeditiori Rex Ioannes Primus, *b* faventes Lusitanos habere non potuit, cum coronam illam post obitum Regis Petri deposceret.

§. Non sufficit Principem per libellos supplices expedire negotia, quia in illis animi sensa satis explicari non possunt, cum illos nec suspiria comitentur, nec actiones aliæ, quæ ad commiserationem animum solent inflectere: lacrymas siccas hominis afflicti exhibent solum, nec Principem commovent.

§. Ædium sacrarum portæ semper patent, pateant & illæ palatiorum, quia *Principes instar Deorum sunt*, *c* & tanquam aræ, (uti diximus) ad quas precibus suis in afflictione recurrit populus. Turpe sane videretur, si militi alicui, qui in aula negotium haberet, facilius foret hostilem Sarissarum rumpere aciem, quam penetrare ad audientiam per hastas custodiæ Helvetæ vel Germanicæ, velut armatas Echeneïdes, quæ nec flectuntur precibus, nec ullis benevolentiæ signis moveri solent. *Sinite, ad me accedant homines*, (dicere solebat Rudolphus

a Ezech. 3. 9.

b Mar. hist. Hisp. l.b. 18. c. 7.

c Tac. lib. 3. Annal.

Imper.) *neque enim ideo* *ator sum, ut inclusus in arca* *'cam.* Secessus ille ab aspe- iominum ferocem efficit um. Nam a *etiam fera* *ilia si clausa teneas, virtu-* *livis;cuntur.* Animus ad nationem attentus, & nunicatio frequens cum mansuefaciunt mores & iles reddunt. Quemad- um falcones;ita cicuran- rincipes, assidua in nego- igilantia & conspectu ho- m. *b* Ramirus III. Le- s Rex regni subditos re- s expertus est, quod ipse s asperis esset moribus, tentibus aures ægre con- et. Rex Ferdinandus tus nemini cuipiam illas gabat, quin promiscue li- : omnibus usque ad inti- enetrare conclavia, & co- , quæ vellent, exponere. is diebus quot hebdoma- ; audientiam dabant pu- m reges Alphonsus Duo- nus, & Henricus Ter- Reges item Catholici, inandus & Isabella. Na- oculis & linguæ posuit , aures autem voluit esse as, ut omni hora ad au- lum paterent; quare ne at eas Princeps, sed be- : audiat. Præmio soletur, e saltem : hæc enim pars am satisfactionis esse so- ia fovetur meritum. Non r semper formulis ordi- , & generalibus respon- hæc enim dantur omni- satisfaciunt nemini; nec n affligit mœrentem ani- , si responderi sibi vi- quod nôrat jam ante ; e prius etiam, quam proferretur, ad supplicis aures pervenerat. Non semper Princeps audiat, roget *c* interdum: nam qui non sciscitatur, de re plene cognoscere vix potest. Inquirat igitur, ut statum caussæ penitus perspiciat. Audientia institutio esse debet, non sola præsentia, ita illam largiti sunt Rex Ferdinandus Sanctus, Rex Alphonsus Arragonicus, Rex Ferdinandus Catholicus & Imperator Carolus Quintus; quos ideo charos & in honore habuerunt subditi, & æstimarunt exteri. Nunc sicuti decet, ut audientia facilis sit, ita & negotiorum expeditio: nemo enim opitulari censetur, qui opem nimium differt. Sunt tamen negotia quædam sic comparata, ut melius sit, tempus errorem detegere, quam si Princeps aut ministri id faciant: plerique enim omnes, qui negotiantur in aulis, etiam falsa aliqua spe ad tempus lactari malunt, quam sic demitti è vestigio, ut nihil porro obtineri posse *d* intelligant; id quod in aulis prudenter constitutis industria propria animadverti solet, non dici ab aulicis.

5. Illud ego non probo, si Princeps in plateis & compitis publicis nimis frequens *e* compareat: nam primum quidem admiratur eum populus, deinde curiosius observat, demum plane fastidit. Quod rarius incurrit in oculos, in majori

 est

ac. l.b.4. Histor.
lar. hist. Hisp.

c *Audi tacens simul & quærens.* Eccl.32. 12.

d *Nulla in audiendo difficultas, nulla in audiendo mora, audiuntur statim, dimittuntur statim.* Plin. in Pan.

e *Nam continuus aspectus minus verendos magnos homines ipsa satietate facit.* Liv.

est *a* veneratione. Despiciunt oculi, quod jam opinio vulgare fecit. Non expedit plebem eo scientiæ progredi, ut discernere valeat, num catena servitutis, qua tenetur, aurea sit, an ferrea, dijudicando dotes & naturam Principis, b *cui major è longinquo reverentia*. Nationes quædam in vitio ponunt, si Princeps se facile spectandum aliis præbeat, aut familiaris sit, & humanus. Aliis severitas & secessus ab hominum consortio displicet, maluntque Principes comes esse, & affabiles, uti Lusitani, & Franci. Extrema in utroque periculosa sunt, moderari ea facile poterit, qui in actionibus suis, & gubernandi ratione meminerit, Principem se esse juxta ac Hominem.

a *Arcebantur conspectu, quo venerationis plus inesset*. Tac. l.4. Hist.
b Tacit. lib.1. Annal.

SYMBOLVM XL.

SACRÆ literæ Principes *c* montium nomine indigitant; alios vero colles appellant, & valles. Isthæc comparatio varias inter jam dicta similitudines complectitur. Enimvero Montes imprimis sunt terræ Principes, quia cœlo proximi, & superiores reliquis omnibus naturæ operibus; tum etiam propter liberalitatem, qua è penitissimis suis visceribus fontes perenniter manantes suppeditant, quibus sitientes agros & valles irrigant, ac viridi vestiunt gramine, & floribus: illa enim virtus Principum est propria; siquidem per hanc propius, quam per ullam aliam Princeps accedit ad Deum, d *qui semper dat omnibus affluenter*. Cum hac obedientia promptior est: nam e *merces ab eo, qui jubere potest, vim necessitatis affert*. Lubens sese alteri subjicit, qui beneficia accipit. Carolus Navarræ Rex, quod beneficus esset ac liberalis, ab omnibus amari meruit, Nobilis cognomentum adeptus. Potuit Rex Henricus II animo suo generoso obliterare sanguinem profusum Regis Petri sui fratris, & jus suum ad coronam ab injuria vindicare. Quid non possit majestas munifica? ad quæ non obliget sceptrum *f* aureum? Etiam tyrannis dissimulatur & toleratur in Principe, qui largus esse didicit, præsertim si plausum vulgi obtinuerit, succurrendo necessitatibus publicis, & remunerando personas bene meritas. Hæc virtus meo quidem judicio, Tiberio conservavit Imperium, quia solam illam semper *g retinuit, cum cæteras exueret*. Verumtamen nihil perniciosum magis in eo, qui imperat, quam *h liberalitas & simplicitas, quæ ni adsit modus, in exitium vertuntur*. i *Mui bien está* (verba sunt Regis Al-

c *Montes Israel audite verbum Domini Dei. Hæc dicit Dominus Deus montibus, & collibus, rupibus & vallibus*. Ezech.6. 3.
d Iac. 1. 5.
e Tac. lib.14. Annal.
f *Multi colunt personam potentis, & amici sunt dona tribuentis*. Proverb. 19. 6.
g Tac. lib.1. Annal.
h Idem lib.4. Hist.
i l.18. tit.5. p.2.



ılphonſi Sapientis) *la liberalı-ıd à todo Ome poderoſo, e ſeña-damente al Rey, quando uſa lla en tiempo que conviene, e no debe.* Garſias Sanctius, gnomento Tremulus, Na-rræ Rex eadem liberalitate ıditorum à ſe abalienavit ımos, qua eos allecturum ſe raverat, quia ut eſſet, unde ;iretur, exactionibus & tri-butis utebatur. Profuſio nimia nil prope à rapina abeſt, aut tyrannide: ubi enim a *Ærarium ambitione exhauſerimus, per ſcelera ſupplendum erit.* b *El que dà mas de lo que puede* (ait Rex Alphonſus Sapiens) *no es franco, mas es gaſtador, e de mas avrà por fuerza à tomar de lo ageno, quando lo*

K 7

a Idem l. 2. Annal.
b lib. 18. tt. 5. P. 2.

do lo suyo no le compliere, e si de la una parte ganare Amigos, por losque les diere, de la otra ferle an Enemigos à quien lo tomare. a Huic malo cavendo, Regem Henricum Quartum de nimia stipendiorum multitudine admonuit Didacus Arias, supremus ærarii Præfectus, addiditque contrahendum videri famulorum numerum, & salaria iis persolvi solita, qui aut munera sua non rite obibant, aut jam ad ea non amplius erant idonei. Cui ille sic fertur respondisse: *Et ego, si Arias essem, majorem pecuniæ quam liberalitatis rationem habendam ducerem: tu statui tuo consentanea loqueris; ego vero faciam, quod Regem decet, nec paupertatem vereor, aut inopiam, nova tributa imponendo. Regis est dare, & dominatum suum metiri, non particulari, sed communi beneficio, qui verus divitiarum fructus est: quibusdam largior, quia boni sunt; aliis, ut ne sint mali.* Dignissima Rege verba, si isthac consideratione largitus fuisset, non aliter; verum donationibus extra modum abiit, nullum servando ordinem, nec ad merita cujusquam attendendo; id quod testatus est Ferdinandus ejus affinis: dum in Lege quadam diserte dicit, donationes ab illo factas b *por exquisitas, i no debitas maneras. Ca à unas personas las fizo sin su voluntad, i grado, salvo por salir de las necesidades, procuradas por los que las tales mercedes recibieron, i otras las hizo por pequeños servicios, que no eran dignos de tanta remuneracion; i aun algunos destos tenian oficios, i cargos, con cuyas rentas, i salarios se debian tener por bien contentos, i satisfechos; i à otros diò las dichas mercedes por intercesion de algunas personas, queriendo pagar con las rentas Reales los servicios, qua algunos dellos avian recibido de los tales.* E quibus verbis haud obscure colligere licet, quanta consideratione in donationibus faciendis Princeps uti debeat, ne forte ansam det aliquibus, ut magis eum dominum agnoscant spe munerum inducti, quam quod obediendi animum habeant. Subditus largitor & prodigus seipsum perdit; Princeps vero & se, & suos Status. Æraria non sufficerent, si Princeps prolixe munificus & liberalis esset, nec cogitaret, deposita illa esse pro necessitatibus publicis. Mons male non utitur nive, è vaporibus agrorum & vallium congregata in supremo ejus vertice; quin in futuram servat æstatem, & sensim solutam in rivulos, in eosdem iterum derivat campos, à quibus eam hauserat. Nec una vice omnem fonticulorum suorum aquam penitus effundit; sic enim nec suæ satisfaceret obligationi, & ut inutilis sperneretur postea; liberalitas quippe liberalitate consumitur. Non item fontes suos illico grandioribus miscet fluviis, relictis sitientibus agris & vallibus, ut nonnulli Principes facere consueverunt, qui potentioribus largiuntur, quod debetur pauperibus; arenis vero sitientibus & aridis aquam subtrahunt, ut eam communicent plenis lacubus, qui ea minime indigent. Grande scelus est, ege-

norum

a Mar. Hist. Hisp. l. 22. c. 19.
b lib. 17. tt. 10. lib. 5. Recop.

ım sumptibus Potentio-
sibi devincire animos,
si Respublica ingemiscat,
largitiones inutiles & va-
, utpote cujus ruina est
is paucorum, & pompa.
absque justa indignatio-
idet populus potentiæ vi-
am inutiliter prodigi, qui-
defendi ipse debebat, &
ri Dignitas Principis. Mu-
i hominis profusi in pre-
ion sunt, quia commu-
atque à prodigentiæ vi-
non à virtute liberalita-
proficiscuntur; dumque
ulis largitur omnia, of-
it multos, & quod in il-
ffundit, deest omnibus.
temere donat & absque
ctu, ditat quidem, præ-
m tamen non confert. Vt
lare possis, qui merentur,
ssum est, ut in alios par-
is. Magna igitur cum pru-
ia attendere debet Prin-
ad justam *a* præmiorum
ibutionem: nam si hæc
collata fuerint, etsi non
ad paucos pertineant,
orum tamen extimulant
ıos. Divina Scripturæ sa-
lex fuit, ut *b* oblatio-
omnes admixtione salis,
l idem est, ac prudentiæ,
odigalitate & avaritia im-
es essent. Attamen vero,
principem in omnes be-
cum esse oportet, Auro-
sibi proponat imitandam,
terram obeundo semper
npertit aliquid, sed rore,
lore, immo sola etiam
enitate eidem satisfacit.
lle det omnibus, ea ta-
moderatione, ut facul-
tatem sibi non adimat dandi amplius, & contentos reddat singulos, quosdam quidem munerando reipsa, alios verbis, spe & *c* humanitate: plus enim oculi dare solent, quam manus. Ad hæc proderit interdum, ut ista virtus liberalitatis magis in aliorum existat opinione, quam in ipso Principe, in quem finem unum atque alterum illius exhibeat specimen eo artificio, ut liberalis haberi incipiat. Quare caveat, ne quid petenti absolute deneget: per enim acerbum est, & molestum in his talibus repulsam ferre à Principe. Quod hodie dare non potest, forsan cras poterit; sin minus, melius est, ut tempus ipsum petentem erudiat, quemadmodum alibi diximus. Qui plane abnuit, aut non agnoscit merita, aut vitium suarum prodit imbecillitatem, aut animi; nihil autem istorum decet Principem, cujus magnificentiam confitetur, qui petit gratiam.

Liberalis sit Princeps in remunerandis virtutibus, sed muneribus & officiis, aliisque reditibus, jam ad usum liberalitatis destinatis, non patrimonio suo Regio, neque thesauris ad usus magis necessarios collectis. Rex Ferdinandus Catholicus multas fecit donationes, absque tamen Coronæ dispendio. Sub regni initium collationem munerum prudenter distulit, ut eorum obtinendorum spe ad se attraheret animos, & remunerari posset eos, qui suas partes sequerentur. Magna cum prudentia politica miscere

Honor Regis judicium diligit. ...8. 4.
In omni oblatione offeres sal. ...2, 14.
c In omni dato hilarem fac vultum tuum. Eccl. 35, 11.

scere noverat liberalitatem cum parsimonia. Cujus rei non solum exemplum dedit, sed & legem, in hæc verba; a *No conviene a los Reyes usar de tanta franqueza, i largueza, que sea convertida en vicio de destruicion: porque la franqueza debe ser usada con ordinada intencion, no menguando la Corona Real, ni la Real Dignidad.* Conservare, ut expendas melius, non avaritia est, sed præventa liberalitas. Dare inconsiderate aut vanitas est, aut stultitia. Isthac parsimonia Monarchiam evexit, & nimia sua profusione Coronam perdidit Rex Alphonsus Sapiens: siquidem inter querelas præcipuas, quas Regnum de eo habuit, illa etiam fuit, quod triginta marcarum argenti millia dedisset Marthæ Imperatrici, quibus maritum suum Balduinum, quem tum Ægypti Sultanus captivum detinebat, redimeret: qua in re vanitatem magis, quam prudentiam adhibuit in consilium. Rex Henricus Secundus malo suo tandem agnoscere didicit, quantum coronæ suæ vires infregisset tot largitionibus, quas ultra quam par est, liberalius fecerat; unde in testamento suo eas revocauit. Occasio & tempus norma esse debent ac regula libetalitatis Principum. Expedit intetdum, ut moderata illa sit, quando nimirum magni sunt bellorum sumptus, aut necessitates publicæ; interdum eadem redimere oportet pericula, aut viam sternere faciliorem ad fines obtinendos, in quo genere ille parcit plurimum, qui magis profundit pecuniam: nam qui dat minutatim, & sensim suas expendit opes, finem suum non consequitur, & facultates suas dissipat. Munificentia bellum quandoque evitatur; pax b item comparatur & victoria.

§. Prodigalitas Principis sic corrigi poterit, si bonorum suorum administrationem Ministris committat Oeconomiæ peritis; uti avaritia, si liberalibus. Proderit interdum exhibere Principi universam summam, quam expendit: nam pecuniarum assignationes fere absque consideratione decerni solent, & si rationes iniret eorum, quæ largitur, sine dubio ea moderaretur; neque semper liberalitatis est, postulatis subscribere: petentium enim opportunitate, aut lucta illa, quam secum ipsa patitur, etiam avaritia fatigatur, & desperata quodammodo manus dat tandem, iisque annuit.

§. Natura fere principum est, ut plus iis tribuant, qui majoribus pollent opibus; & nescio an timor quidam sit, aut potentiæ existimatio. Probe hoc intellexit magnus ille aulicus Iosephus, quando evocatis ad se parentibus suis, & fratribus ex Ægypto, iisque Regis Pharaonis nomine offerens omnia regni illius c bona, auctor iisdem fuit, ut supellectilem omnem & opes omnes secum d asportarent: fore enim putabat, ut si Rex videret

a L. 3, tt. 10, l. 5. Rec.

b *Victoriam & honorem acquiret, qui dat munera: animam autem aufert accipientium.* Prov. 22. 9.

c *Ego dabo vobis omnia bona Ægypti, ut comedatis medullam terræ.* Gen. 45. 18.

d *Ne dimittatis quicquam de supellectili vestra: quia omnes opes Ægypti, vestra erunt,* Ib. 20.

videret esse homines opulentos, liberaliorem sese erga eos exhiberet; atque adeo qui munera petit à Principe, egestatem & miseriam suam illi proponere non debet: nullum namque efficacius medium ad habendum, quam si ipse *a* habeas.

a *Omni habenti dabitur, & abundabit.* Luc. 19. 26.

SYMBOLVM XLI.



CELEBRE fuit apud antiquos lemma præsentis Emblematis. Nonnulli id Pythagorę tribuunt; alii Bianti, Thaleti,

Thaleti, & Homero; verius tamen inter oracula Delphica numerandum crediderim, neque enim vox humana videtur, sed divina, digna, quæ in coronis, sceptris, & annulis omnium Principum incidatur. Ad illam tota gubernandi scientia reducitur, quæ fugit extrema, & consistit in rerum medio, unde virtutes sphæram suam ducunt. Rogatus aliquando Socrates, ecquænam virtus maxime deceret adolescentem, respondet: *Ne quid nimis*; quo dicto omnes comprehendit. In hanc sententiam videtur optime quadrare figura præsentis Emblematis, segetes nimirum imbrium intempestivorum pondere depressæ in terram, cum benigni a rores iis sufficerent. Honores quidem sunt, qui quod nimis sint magni, personæ non conveniunt, imo magis obscurant illam, quam illustrant. Sunt & beneficia aliqua tam extra modum, ut pro injuria haberi possint. Quid refert Principem gratias largiri, si lapidibus pluere videatur, ob austerum vultum, & verba incondita, quando eas præstat; aut si extra tempus conferantur, quando prodesse nequeunt? Beneficium perit, & gratitudo, quin manus ipsa odio est, quæ illud contulit. Eam ob rem non immerito dixit Rex Alphonsus Sapiens, quod debeat b *ser tal el galardon, e dado à tiempo, que se pueda aprovechar del, aquel a quien lo diere.*

§. Quemadmodum autem immoderatione præmiorum & gratiarum, ita & nimietate pœnarum delinquitur. Ad stricti & rigidi juris normã velle exigere omnia, ad ministrum Iustitiæ pertinet potius, quam ad Principem. Ille sui non est arbitrii; hic leges in sua potestate habet. Iustitia non est, quæ nimio rigore utitur; nec Clementia, quæ modum servat; & sic de virtutibus reliquis.

§. Eandem moderationem adhibere debet Princeps in artibus tam pacis, quam belli, ita scilicet imperii habenas, & currum flectendo, ut sicut olim in ludis antiquis, rotis suis non impingat in metas, ubi illico colliderentur: dexteritas artificii illius in eo erat posita, si quis distantiam ita metiri nosset, ut rotatum axis metas pertransiret proxime, eas tamen non tangeret.

§. Præcipue vero isthac cura & diligentia opus est Principi in moderatione affectuũ, tanta cum prudentia eos regendo, ut nihil appetat, speret, amet aut oderit ardore nimio, aut vehementia, magis appetitu ductus, quam ratione. Privatorum desideria explentur facile, non item Principum, quia illa statui eorum sunt consentanea; hæc ordinarie majora ipsis etiam potentiæ viribus, ita ad extrema connituntur. Omnis fere Principum ruina, aut damna graviora à nimia ambitione sunt: acquirendi enim cupiditas infinita pæne est in hominibus; id vero, quod fieri potest, certis circum-

a *Magni animi est, magna contemnere, prudentis est, mediocria malle, quam nimia: ista enim utilia sunt, illa quod superfluunt, nocent: sic segetem nimia sternit ubertas, sic rami onere franguntur, sic ad maturitatem non pervenit nimia fœcunditas.* Sen. Ep. 39.

b l. 1. tt. 21. p. 2.

circumscribitur terminis, & raro quidem hoc posterius ex priori illo penditur, aut inter utrumque justitia intercedit. Ex hoc fonte nasci solet, quod nonnulli varios quærant titulos & rationes in speciem apparentes, ad expoliandum vicinum, immo & maxime amicum, ut dominationis fines proferant longius, & suos augeant status absque eo quod corpora sua propriis metiantur viribus, & gubernationem capacitate humana, quæ tam multa, atque acquiri possunt, tueri non potest. Imperiorum onus & amplitudo in proprios ipsorum incumbit humeros, & semper lapsum minatur, suo gravata pondere. In eo itaque elaboret Princeps, ut statum conservet, quem aut successio illi dedit, aut electio; quod si justa sese offerat illum ampliandi occasio, utatur licebit, iis tamen cautionibus adhibitis, quas casus prudentiam docebit.

5. Nec periculosa minus est ambitio ob timores nimios, atque ob suas appetitiones circa ea præsertim, quæ ingeniose & per vim obtinuit. Nullum medium timor suggerit, quod ad sui conservationem non illico detur effectui. Nemo quisquam de spoliati sanguine, aut illius, qui ad statum jus aliquod potest obtendere, tam remotus est, quin merito timeatur. Tyrannis ordinaria omnium suadet extirpationem: & docuit illud reipsa Mucianus quando Vitellii filium jussit interfici, a *mensuram discordiam obtendens, ni semina belli restrinxisset.* Idem quoque Machiavelli doctrina consulit, cujus discipuli immemores facti Davidis, qui in domum & familiam Saülis inquisivit, ut suam iis misericordiam *b* impartiretur, exemplis utuntur quorundam tyrannorum, perinde quasi non omnes malis iis artibus pessum iissent, si quis forte evasit incolumis, id ideo fuit (ut mox dicemus) quia eas in meliores convertit. Regna pleraque usurpatione primum incrementa sumpserunt, postea tueri se cœperunt justitia, & cum tempore paulatim facta sunt legitima. Extrema violentia, extremum periculum est. Cyrus Lydiam occupavit, & Regem Crœsum bonis suis exuit: quod si illi Politicus aliquis hujus temporis fuisset à consiliis, suasisset illud etiam, ut pro majori sua securitate vitam spoliato eriperet; Cyrus tamen unam illi civitatem partem patrimonii sui restituit, quibus Dignitatem regiam quoquo modo sustentare posset. c *Atque hæc clementia non minus victori quam victo utilis fuit: tantus enim Crœsi amor apud omnes urbes erat, ut passurus Cyrus grave bellum Græciæ fuisset, si quid crudelius in Crœsum consuluisset.* Tyrannis Deum pariter & homines sibi habet adversos: neque deesse possunt in istiusmodi casibus suavia quædam media, quibus averti queat animus, misceri sanguis, abrumpi successio, imminui aut transferri Statuum

a Tac. lib. 4. Histor.

b *Numquid superest aliquis de domo Saul, ut faciam cum eo misericordiam Dei?* 2 Reg. 9. 3.

c Iust. hist. lib. 1.

tuum amplitudo, & subduci ex oculis populi is, qui aspirare potest ad sceptrum, & dominationem affectare; quod si in Lusitania fuisset observatum, nunquam regni illius subditi à fidelitatis officio descivissent.

Si periculum tam præsens sit, ut ad defensionem & conservationem naturalem obliget, ipsas illico radices oportet exscindere, ne renasci possint, semper advigilando, ne eveniat fortè, quod Principibus Philistinorum accidit, qui resectis Samsonis capillis, unde manabat illius robur, ei illudebant, nec præcaverunt tamen, ne succrescerent *a* denuo; uti reipsa factum postea, & ipse apprehensis ambabus *b* columnis, quibus innitebatur ædificium, totam domum super capita hostium traxit in ruinam, *multoque plures interfecit moriens, quam ante vivus occiderat.*

§. Suadet porro ambitio nimia Populi libertatem opprimere, subigere Nobilitatem, potentiorum vires infringere, & ad auctoritatem Regiam reducere omnia: existimat enim tum securiorem se fore, cum fuerit absoluta, & subditos magis in servitutem redegerit; grandis error, quo adulatio animos occupat Principum, eosque gravibus periculis objicit. Modestia est, quæ conservat Imperia, dum nimirum Princeps suam dominandi cupiditatem ita corrigit, ut dignitatis suæ potestatem, Nobilitatis amplitudinem, & populi libertatem intra rationis limites coërceat: neque enim diu stare poterit Monarchia, cui de Aristocratia & Democratia aliquid admixtum non *c* fuerit. Potestas absoluta tyrannis est, qui illam quærit, exitium suum quærit. d *Huc denique Principi sunt omnia reducenda, ut iis, qui sub imperio sunt, non tyrannum, sed Patremfamilias, aut Regem agere videatur, & rem non quasi Dominus, sed quasi Procurator, & Præfectus administrare, ac moderate vivere, nec quod nimium est, sectari.*

§. Ista ambitionis incommoda creare solet abusus nimius dominationis, quæ sic fere comparata est, ut omnia ad suam referat utilitatem. Qua in re oportet, ut Principes sese ipsi triumphent, & rationi obtemperent; licet difficile illud sit: *e* nam *innumerabiles sunt, qui populos, qui urbes habuere in potestate, paucißimi, qui se.* Illa victoria à viribus est, & robore; hæc à ratione, & animo. Fortitudo non in eo consistit, quod hostem prælio quis fuderit, sed quod cupiditates suas habeat domitas. Subditos modestos reddunt obedientia, & necessitas; Principes contra potestas & jurisdictio suprema superbe efferunt. Plura regna superbia pessundedit, quam gladius. Principes plures per seipsos perierunt, quam per alios. Remedium ei rei est sui ipsius cognitio, ut

a *Iamque capilli ejus renasci cœperant.* Iud. 16. 22.

b *Concußisque fortiter columnis, cecidit domus super omnes Principes,* Ib. v. 30.

c *Quæ ex pluribus constat Republica, melior est.* Arist. l. 2. Pol. c. 9.

d Id. Pol. l. 5. c. 11.

e Seneca.

ut Princeps in ſemetipſum cogitatione deſcendat, & cum animo ſuo reputet, licet ipſe ſceptro ab aliis differat, multos tamen eſſe, qui eximiis animi dotibus longe eo, ejuſque dignitate ſuperiores ſint. Cogitet, inquam, quod ſi ratio haberet locum, penes perfectiorem imperandi poteſtas eſſe deberet. Quod manus illa, qua Reipublicæ habenas moderatur, è terra ſit, ſubjecta lepræ, aliiſque humanis miſeriis. Id quod Deus *a* Moyſi quondam oſtendit, ut ſuæ recordantem infirmitatis facilius aliorum ſubiret *b* miſeratio. Quod Coronæ poſſeſſio ſit perparum ſecura: nam *c* *quod regnum eſt, cui parata non ſit ruina, & proculcatio, & Dominus, & Carnifex? nec iſta intervallis diviſa, ſed hora momentum intereſt, inter ſolium & aliena genua.* Quod denique à voluntate aliena dependeat: ſi enim obedire detrectent ſubditi, manebit aliis ſimilis. Quod Princeps major fuerit, hoc magis hanc modeſtiam habere debet in pretio, quam nec ipſe Deus *d* aſpernatur. Modeſtia, quæ Majeſtatem abdere intra ſe & occultare nititur, majus illi pretium addit ac venerationem, non ſecus atque auro elegans & artificioſa cælatura. Nec ullum artificium in Tiberio magis callidum, quam modeſtum ſe gerere, ut pluris æſtimaretur. *e* *Acerbe increpuit eos, qui divinas ſuas occupationes, ipſumque Dominum dixerant.* Ingreſſus in judicii locum, non ſedem Præſidis occupabat, ſed juxta *f* *aſſidebat in cornu Tribunalis.* Qui ad ſupremum inter homines gradum evectus eſt, non aliter ac demittendo ſeſe ad altiora provehi poterit. Condiſcant Modeſtiam iſtam Principes omnes à Ferdinando Secundo Imperatore, glorioſiſſimæ memoriæ, tam omnibus familiari, ut prius amari ſemper ſe faceret, quam coli aut honorari. In illo benignitas & modeſtia incurrebant in oculos, Majeſtas non niſi conſideranti patebat. Non erat Imperialis aquila, quæ duplici ſevero roſtro, aduncis unguibus, in omnem partem minitaretur; ſed Pelicanus amoris plenus, ſua ſemper fodiens viſcera, ut ea præberet omnibus, tanquam propriis filiis. Nec magna illi cura aut molimine opus erat, ut in hac tanta ſua amplitudine ſeſe demitteret, & parem aliis faceret. Non Dominus erat, ſed Mundi pater: & licet alias Modeſtia nimia contemptum parere ſoleat, imo & ruinam Principum; in illo tamen majorem venerationem conciliabat potius, & Nationes omnes ad obſequium & defenſionem illius obſtringebat. Ea vis eſt veræ ac ſinceræ probitatis, & magnanimi pectoris, quod de ſeipſo triumphat, & Fortunam omnem infra ſe ducit. Atque hujus

a *Mitte manum tuam in ſinum tuum. Quam cum miſiſſet in ſinum, protulit leproſam inſtar nivis.* Exod. 4. 6.

b *Qui condolere poſſit iis, qui ignorant & errant: quoniam & ipſe circumdatus eſt infirmitate.* Heb. 5. 2.

c Seneca.

d *Modeſtia fama, quæ neque ſummis mortalium ſpernenda eſt, & à Diis æſtimatur.* Tac. l. 15. Annal.

e Tac. lib. 2. Annal.

f Idem lib. 1. Annal.

jus humanitatis & modestiæ suæ vivam reliquit effigiem Filium, præsentem Imperatorem, qui ipse etiam iisdem instructus virtutibus, & amicorum & hostium sibi devincit animos. Nulla virtus magis Principem decet, ac Modestia, omnes enim viderentur in illo fatuæ, nisi hæc vultum & actiones illarum componeret, non permittendo, ut extra se abeant.

§. In omni gubernatione diligenter cavendum ab extremis: neque enim minus periculosa est remissio nimia, ac summa gravitas. Communitates monasticæ ferre poterunt extremum obedientiæ rigorem, non illæ populares. Paucos admodum severitas illa nimis accurata continebit in officio. Civilis felicitas in virtute posita est, quæ in medio consistit, uti & civilis vita, & gubernatio Statuum, cum tale natura sua sit imperium, ut auferre illud possit Populus, absque eo, quod aut licentia nimia sese perdat, aut ob nimium rigorem obstinatus fiat. a *Non enim solum Respublica, quæ optima sit, considerari debet, sed etiam quæ constitui possit, præterea quæ facilior, & cunctis civitatibus communior habeatur.* Quin & Deus imbecillitati humanæ sese accommodat.

§. Idem medium inter ipsas quoque partes corporis Reipubl. tenendum; dando operam, ut inter conditiones civium non magnum discrimen sit: inæqualitas enim & exsuperantia fortunarum ac Nobilitatis, si grandis fuerit, in aliis superbiam gignit, in aliis invidiam, ex his vero simultates oriuntur, & b seditiones, cum amicitia & concordia ægre coalescat inter eos, qui nimis dispàris conditionis sunt, & status. c *Iam enim hæc consuetudo in civitatibus invaluit, ut hominis æqualitatem odio habeant, & malint, aut imperio potiri, aut si victi fuerint, subesse.* Quidam altioris animi Legum auctoritatem vilipendunt, & obedientiam aspernantur: alii mentis abjectæ & humilis, illam sustentare nesciunt; nec infamiam timent, nec pœnam; & incipit esse communitas quædam Dominorum, & mancipiorum, absque ullo tamen inter se ordine, quippe qui sorte sua non se metiantur. Qui inferioris conditionis sunt, majoribus pares esse cupiunt. Qui in una aliqua te æquales sunt, aut superiores, continuo sibi persuadent, etiam in aliis æquales, aut superiores se esse. Qui in omnibus præstant aliis, intra terminos continere se nequeunt, & cum despicientia aliorum, omnia suo subesse vellent imperio, nec imperantis voluntati, aut constitutionibus & moribus Reipublicæ sese accommodant; unde ruina illius nasci solet, & conversio in formas alias: omnes enim d suspirant, & inquieti in illa vivunt. Et licet fieri haud-

a Arist. lib. 4. Pol. c. 1.

b *Præterea seditiones non modo propter fortunarum, sed etiam propter honorum æqualitatem existant.* Arist. lib. 2. c. 5.

c Idem lib. 4. Pol. c. 11.

d *Nam qui virtute præstant, inique animo sibi indigniores æquari patiuntur: quamobrem sæpe conspirare, & seditiones commovere nituntur.* Arist. lib. 2. Pol. c. 5.

haudquaquam possit, ut contentio ejusmodi omnino cesset in Rebuspublicis, propter diversas conditiones partium, quibus illæ constant; illa ipsa tamen conservantur, si moderata sit; aut pessum eunt, si nimia. Quomodo corporibus accidere videmus cum quatuor humoribus, inter quos etsi nobilior aliis sit sanguis, potentior cholera, sese tamen mutuo conservant ac fovent, quamdiu unius illorum inæqualitas modica est. Eam ob rem sola illa Respublica stare diu poterit, quæ partibus constiterit mediocribus, nec admodum inter se inæqualibus. Opes nimiæ quorundam civium everterunt Florentinorum Rempublicam, & etiamnum hodie in causa sunt, cur inquieta sit Genua. Contra, quia apud Venetos melius divisæ eæ sunt, ideo jam tot sæculis Status ille constans perseverat; & si aliquod periculum est, aut incommodum in ejusdem gubernatione, id erit ob nimiam quorundam è Magistratu inopiam. Quod si nihilominus Respublica aliqua cum illa partium suarum inæqualitate subsistit diutius, eximiæ alicui prudentiæ id tribuendum, aut industriæ Principis, qui timore legis, aliisve artibus illam in officio continet: cujusmodi sunt, nemini injuriam facere, non violare inferiorum privilegia, & commoda, distinere Majores in administrationibus, & muneribus publicis, non opprimere, sed spe erigere eos, qui altiores gerunt animos: illud tamen durabit, quoad prudentes Gubernatores habuerit: quia vero Rebuspublicis satis cautum esse non potest cum remediis istiusmodi temporariis, quæ pendent à casu, præstabit mox in ipsa prima illarum institutione providere de modo, quo tales abusus & incommoda efficaciter queant corrigi, priusquam eveniant.

SYMBOLVM XLII.

EMBLEMA hoc eximiæ humanitati Vrbani Octavi Pontificis Maximi acceptum refero: dignata est quippe sua Sanctitas mihi spectandas exhibere in gemma quadam pretiosa incisas affabre jam inde à Romanorum temporibus binas apes aratrum trahentes, quæ reperta in illa ætate præsagisse videtur nobilis illius & antiquæ familiæ evectionem, quando insignia illius juncta fuere triumphanti jugo Ecclesiæ. *a* Quæ dum accuratius expenderem, venit mihi in mentem prodigii illius Regis Wambæ, è cujus vertice, cum ungeretur à Quirico Præsule Toletano, apis egredi visa, in sublime evolavit, tanquam prænuncia suavissimæ ipsius gubernationis. E quo illud apparet, voluisse antiquos Symbolo isto innuere, quanti referat scire, utile miscere dulci, mellificandi scilicet artem agro-

a Chron. Gotto. Reg. Mar. de rebus Hisp. lib. 6.



agrorum culturæ; cui rei optime quadrat pro lemmate illud Horatianum:

Omne tulit punctum, qui miscuit utile dulci.

In hoc tota regnandi ars consistit. Hæc prima in orbe fuit politica. Atque id ipsum antiqui docuere Philosophi, quando finxerunt Orpheum lyra sua feras traxisse, & Amphionis cytharam secutos lapides, quibus Thebarum muros construxit; ut significarent, suavem institutionem magnorum illorum Heroüm plurimum ad id valuisse, ut homines ipsis belluis immaniores, & magis

gis brutos, quam lapides, ad harmoniam Legum reducerent, & civilem societatem.

a *Silvestres homines sacer interpresque Deorum*
Cædibus, & victu fœdo, deterruit Orpheus,
Dictus ab hoc lenire tygres, rapidosque leones.
Dictus & Amphion Thebanæ conditor urbis,
Saxa movere sono testudinis, & prece blanda
Ducere, quo vellet.

Iis artibus usæ sunt omnes Respublicæ, ad erudiendum Populum, miscentes institutionem dulcedine ludorum, gaudiorumque publicorum. Ad Olympum montem tota concurrebat Græcia propter certamina Olympica, Pythia, Nemæa, & Isthmia; aliqui quidem ex curiositate, spectandi studio: alii vero, ut proposita certantibus præmia auferrent: qua occasione vires & robur corporis exercebantur, offerebantur Diis sacrificia, & gravissima quæque Provinciarum illarum negotia procurabantur. Comœdiæ & Tragœdiæ inventæ sunt ad affectus purgandos. Gladiatores Romanorū temporibus, & Taurorum pugnæ in Hispania (quæ non minus, ac aliæ nationes, rebus aspectu terribilibus capitur) ad firmandum animum, ut neque profuso sanguine, neque mortis spectaculis terreatur; luctæ, ludi equestres & similes concertationes scholæ instar sunt, ubi addiscuntur artes militares, & simul recreationi deserviunt, & animum oblectant. Ita dulcedine & suavitate alliciendus est Populus, ad procuranda Principis commoda, & obtinendos fines illi propositos. Equo nimirum similis est qui popysmate delinitur, & manu blandiore domari se sinit, frænum admittit, & onus postea, virgam ac ferrum tolerat. Rigorem nimium, uti & nimiam lenitatem ferre neutiquam sustinet. Tam servitutis extrema periculosa sunt, ac *b* libertatis. Et Principes ista non considerantes, furorem concitatæ multitudinis aliquando experti sunt. Non semper ferro & flamma curari possunt inveteratæ & adultæ infirmitates. Medicinæ suaves adhibendæ sunt, aut si quando pillulis amaris opus sit, auro eas oportet obducere, & oculos gustumque fallere. At non attinet scire populum ingredientia statutorum à Principe, & consiliorum ejus, satis est, quod sub prætextu aliquo apparente ea sorbeat.

§. Belli periculum, & asperitas mitigantur plurimum lenitate illius, qui imperat. Ita Germanicus, ut legiones Germanicas in officio contineret, & ad pugnandum haberet paratiores, solebat c *circumire saucios, facta singulorum extollere, vulnera intuens, alium spe, alium gloria, cunctos alloquio, & cura sibique & prælio firmabat.*

§. Hæc tamen benignitas se sola nihil efficit, sed necesse

L est

a Horat.

b *Imperaturus es hominibus, qui nec totam servitutem pati possunt, nec totam libertatem.* Tacit. lib. 1. Histor.

b Idem L. 1. Annal.

est præterea, ut in eo etiam, qui aliis mandata dat, excellens aliqua virtus eluceat; ut si ametur illius caussa propter hanc in æstimatione sit. Enimvero sæpe contingit diligi Principem ob benignitatem, & una contemni, quia ad id munus minus sufficiens est. Auctoritas non ex amore, sed admiratione nascitur. Ille gratissimus omnium qui cum metuendum se possit reddere, amabilem sese exhibet: ille, inquam, qui cum justitiam exercere noverit, Clementia pariter uti didicit. Pro ignavia & ignorantia habetur illius benignitas, qui aliis virtutibus eximiis boni Gubernatoris præditus non est. Tantum hæ possunt in aliquo Principe, ut asperitatem ejus & rigorem compensent, & tolerabiles efficiant. Etiam vitia grandia excusantur, aut dissimulantur in eo, qui magnis aliquibus virtutibus instructus est.

§. In negotiis pertractandis utile est dulcedinem gravitate temperare, & ludibria seriis, modo tempestiva illa sint, nec præter decorum, aut materiæ subjectæ gravitatem; qua in re festivus admodum fuit Imperator Tiberius, a *ludibria seriis permiscere solitus*. Quis est, qui ferre possit severitatem melancholicam, corrugatam semper frontem, contracta in negotiis supercilia, verba dura & aspera, gestus ac motum corporis nimis graves? Magna prudentia est, suo tempore. *Miscere stultitiam consiliis brevem*, & nunc *pretiosior est sapientia*, b *& gloria, parva, & ad tempus stultitia*. Ingenium festivum, & c verbum aliquod jocosum tempestive prolatum, devincire solet animos, & difficillima quæque negotia ad optatum exitum perducere; sæpe mentem occultat, malitiam deludit, vitat offensam, & suaviter avertit responsionem ad propositum, ubi ea non expedit.

§. Curandis porro negotiis miscere etiam oportet utilitatem ejus, cui persuadere aliquid volumus, ostendendo illius non minus, ac nostra interesse. Nam omnes fere propriis moventur commodis; pauci obligatione sola & gloria. d Sejanus *fratrem quoque Neronis Drusum traxit in partes, spe objecta Principis loci*. Industriæ prudentis Ministri est, negotia alienis commodis faciliora reddere, sic tractatus instituendo, ut utilitas aliorum, & Principis una eademque esse videatur. Ex solo emolumento proprio negotia pertractare velle, est aquam derivare per canales hiantes; quando illam sibi mutuo communicant, omnes prosunt & adjuvant.

a Tac. l. 6. Annal.

b Horat.

c Eccli. 10. 1.

d Tacit. lib. 4. Annal.

SYMBOLVM XLIII.



RES omnes seu viventes, seu inanimæ, folia sunt magni hujus libri, mundi inquam eximii Naturæ operis, in quo sapientia divina omnes descripsit scientias, ut nos erudirent, & recte agendi viam ac modum ostenderent. Nulla virtus moralis est, quæ in animantibus brutis non quodammodo reperiatur: cum iis ipsis nascitur prudentia practica; in nobis disciplina paratur, & experientia. A brutis absque rubore, & nostræ inscitiæ ignominia discere pos-

possumus: in iis enim ipse rerum omnium effector ac molitor Deus nos erudit. Attamen eorum induere naturas, aut eas imitari velle; ut sicut illa agamus bruto more abrepti affectuum appetitu, grandem esset irrogare injuriam rectæ rationi, propriæ hominis doti, qua discernitur ab animantibus reliquis, & in omnes meretur imperium. In illis utpote rationis expertibus Iustitia locum non habet; singula enim ad suam conservationem attendunt solum, nec ad justitiam alienam reflectunt oculos. Solus homo actiones suas ad justitiæ normam dirigit, & æquitate metitur, non cupiendo alteri, quod ipse sibi non cuperet. E quo recte conficies, quam impium & ferox sit Machiavelli consilium qui Principem suum efformat aliter, ex natura videlicet leonis, & vulpis; ut quod ratione consequi non potest, vi & dolo obtineat. Qua in re Lysandrum Lacedæmoniorum Ducem Magistrum habuit, quem ferunt dixisse aliquando, a *Quo leonis pellis attingere non potest, Principi assuendam vulpinam*, & dolis agendum, ac fraudibus. Et sane antiqua fuit doctrina ista: Polybius eam sua & ætatibus præteritis in usu fuisse refert, & graviter b improbat. Rex Saül ea in arte omnium magister esse potuit. Maxima ista cum tempore incrementum sumpsit: nihil enim tunc tam injustum, tam indignum, quod non honestum videatur Politicis, dum retinendæ c dominationis causa sit, perinde quasi d *ubicunque tantum honesta dominandi licent, precario regnetur.* Quo pacto fit, ut pro nihilo ducatur contravenire pactis, fidem fallere, imo & religionem, modo ad conservationem, & augmentum status id videatur conducere. Falsis istis fundamentis fortunam suam superstruere conatus est Dux Valentinus, sed ante, quam illam erectam cerneret, ita penitus in caput illius collapsa est, ut ne fragmenta quidem aut vestigia ruinæ illius supersint. Quomodo, obsecro, perennare poterit, quod dolo, aut mendaciis innititur? quomodo diuturnum esse potest, quod violentum est? Quæ pactorum & conventorum erit firmitas, si Princeps, qui eorum debet esse securitas, fidem fallat publicam? Quis illi fidem habebit? quomodo illius stabit imperium, qui aut non credit Providentiam divinam, aut magis in suis artibus, quam in illa confidit? Non ideo tamen volo Principem tam benignum esse, ut nunquam vi utatur; neque tam candidum & sincerum, ut aut dissimulare nesciat, aut cavere sibi à fraudibus, quia aliorum malitiæ sese exponeret, & omnibus esset

a Plutarch.

b *Fuit, cui in tractandis negotiis dolus malus placeret, qui Regi convenire sane nemo dixerit, etsi non desunt, qui in tam crebro usu hodie doli mali, accessarium eum esse dicant ad publicarum rerum administrationem.* Polyb. l.13. Hist.

c *Nihil gloriosum nisi tutum, & omnia retinenda dominationis honesta.* Sal.

d Sen. in Tragoed. Thyest.

esset ludibrio. Quin illud potius præsenti Emblemate contendo, ut robore valeat, non bruto illo, & immani belluarum, sed quod Iustitia comitatur, adumbratum per pellem Leonis, virtutis Symbolum, atque ideo Herculi dicatum. Convenit interdum Principem ad severitatem frontem componere, & dolis obsistere. Non semper humanitatem meram præ se ferre debet. Feret aliquando occasio, quando opus erit, Leonis pellem induere, ut subditi & hostes agnoscant, ungues illi esse, & tam severum experiantur, ut malitia fraudem attentare non audeat, verbis blandiloquis, quibus uti solet ad capiendos Principum animos. Illud, opinor, Ægyptii volebant innuere, cum Leonis effigiem Principis sui capiti imponerent. Nec honor est, nec reverentia, ubi non est aliquis timor. Quod si semel rescierit populus, Principem irasci non posse; sed placido semper, ac benigno erga omnes esse vultu, contemnendum ducet. Verum severitas ista non confestim ad executionem debet descendere, quando comminatio sufficit: tunc enim necesse non erit, commoveri Principis animū; satis est, severiorem frontem ostendere. Non exuit gravitatem suam Leo, nec de damno animantibus aliis inferendo cogitat; quin solo aspectu terrorem *a* omnibus incutit: tanta vis Majestatis in oculis ejus inest. At enim, quoniam expedit interdum, vim astutia, & indignationem benignitate tegere, dissimulando tantisper, aut tempori, & personis se accommodando: ideo in præsenti Emblemate non coronatur Leonis caput vulpinis artibus, indecoris & fraudulentis, adeoque indignis generoso & magnanimo Principis pectore, sed serpentibus, imperii & Majestatis prudentis ac vigilantis symbolo, atque in literis sacris Prudentiæ hieroglyphico: siquidem illorum astutia in tuendo capite, in obturandis auribus contra incantantes, & in rebus aliis, ad defensionem propriam attendit solum, non ad aliorum nocumenta. Ad eundem finem, & pro similibus casibus Emblemati huic inscripsi verba illa: *ut sciat regnare*, desumpta è documento illo Ludovici Vndecimi Regis Franciæ, quod solum voluit, ut addisceret filius suus Carolus Octavus; *Qui nescit dissimulare, nescit regnare*. In quo tota regnandi scientia summatim comprehenditur. Magna tamen hic prudentia opus est, ne aut vis in tyrannidem vergat, aut dissimulatio, & astutia fraudes fiant: media enim sunt valde vitio confinia. *b* Iustus Lipsius fraudem definiens in rebus politicis, ait esse *acutum consilium à virtute aut legibus devium, Regis Regnique bono*: cumque Machiavelli extrema declinare cuperet, putaretque absque omni omnino fraude, & dolo Principem imperare non posse, levem aliquam suasit, toleravit mediocrem, & gravem prohibuit. Limites

 pe-

a *Leo fortissimus bestiarum, ad nullius pavebit occursum.* Prov. 30. 30.

b Lips. de civil. doct. l. 4. c. 14.

periculosi pro Principe. Ecquis enim illos sic accurate iis describere poterit? Nec debent scopuli tam vicini fieri navigationi politicæ. Sat in multis operatur potentiæ malitia, & regnandi cupiditas. Si fraus vitio non caret, in omnibus suis partibus, quantumvis exiguis, vitiosa sit oportet, & Principe indigna. Dignitas regiæ purpuræ omnem respuit *a* maculam. Nullus tam subtilis est atomus, qui non appareat, & defœdet radios horum terrestrium soliorum. Et quomodo permitti potest, ut illius actio à virtute desciscat, & legibus, qui earundem est anima? Dolus esse non potest, absque admixtione aliqua malitiæ & mendacii; utrumque vero magnanimitati regiæ adversatur, quicquid Plato dixerit: *Mendacia in Diis esse superflua, eo quod hi nullius egeant; non tamen in Principibus, qui multis opus habent; atque adeo iis interdum illa permitti posse.* Quod illicitum est, concedi nunquam debet, nec sufficit, finem honestum esse, ut uti liceat medio, quod ex natura sua malum est. Tunc solum licita esse possunt dissimulatio & astutia, quando neque in fraudem impellunt, neque auctoritati Principis inurunt maculam; quo casu non in vitiis ea numero, sed prudentiæ esse arbitror, aut ad virtutes pertinere hujus filias, utiles ac necessarias ei, qui aliis imperat. Istud fiet, si prudentia, in sui conservationem intentos habens oculos, astutia aliqua utatur, ad occultanda quædam secundum varias circumstantias temporis, loci, personarum: ita tamen, ut cor & lingua, mens & verba concordent inter se semper, & consentiant: illa dissimulatio velis remisque fugienda, quæ ob fines dolosos orationis vanitatem adhibet: illa, inquam, quæ eo spectat, ut intelligat alius id quod non est; non ea, quæ solum intendit, ut id, quod est, non intelligat. Quam ob rem uti quis poterit interdum verbis indifferentibus, & æquivocis, & in unius locum substituere aliud diversæ significationis, non ad fallendum, sed ad cavendum sibi, aut dolum prævertendum, aut ob alios fines licitos. Quod ipse veritatis Magister coram discipulis suis proficiscentibus in castellum Emaus *b* præ se ferret, ac si longius ire vellet; stultitia ficta Davidis *c* coram Rege Achis, obtentum sacrificium *d* Samuëlis; & hœdorum pelliculæ *e* Iacobi manibus aptatæ, dissimulationes fuêre licitæ, quia dolum non intendebant, sed solum, ut aliud celarent propositum, neque ideo licitæ esse desinunt, quod fors prævideatur, alium inde deceptum iri: ista enim notitia

a *Eos qui in dignitate sunt turpius fraude honesti circumvenire, aut lacere, quam vi aperta.* Thucyd.

b *Et ipse se finxit longius ire.* Luc. 24. 28.

c *Et immutavit os suum coram eis, & collabebatur inter manus eorum: & impingebat in ostia portæ, defluebantque salivæ ejus in barbam.* 1 Reg. 21. 13.

d *Vitulum de armento tolles in manu tua, & dices, Ad immolandum Domino veni.* 1 Reg. 16. 2.

e *Pelliculasque hœdorum circumdedit manibus, & colli nuda protexit.* Gen. 27. 16.

notitia non malitiæ est, sed ad providentiam pertinet.

6. Atque artibus istis & agendi modis tunc potissimum opus est, quando cum Principibus astutis & fraudulentis tractanda sint negotia. Enimvero in tali casu diffidentia, & astutia, dissimulatio in vultu, responsa ambigua, & æquivocatio prudens in verbis, ne Princeps iis implicetur, aut machinationibus aliorum & fraudibus locus fit: similibus artibus utendo, non ad offendendum, neque ad fallendam fidem publicam, ecquid aliud est, quam duplicare custodias animi? Fatua foret ingenuitas, quæ cor detegeret, & periculosum Imperium sine aliqua cautione. Semper veritatem diserte eloqui, periculosa esset sinceritas, cum taciturnitas præcipuum sit regnandi instrumentum. Quisquis secretum leviter committit alteri, sceptrum eidem una tradit. Mentiri Principem non decet; licebit tamen interdum, ut taceat, aut veritatem celet; non vero ut leviter credat, aut temere confidat; quin potius maturus sit, oportet, & tardus, ut considerationi locus sit, & ipse in fraudem induci nequeat; quæ cautio valde necessaria est Principi, sine qua multis iisque gravibus expositus foret periculis. Qui plura novit, & vidit, minus credit, & confidit, quia aut speculatio, aut praxis & experientia cautum eum reddunt. Sit igitur Principis animus sincerus, & candidus; prudens tamen in artibus, & fraudibus alienis. Experientia ipsa docebit casus, in quibus his artibus uti Principem deceat, quando nimirum animadverterit, malitiam & technas eorum, quibuscum agit, ita exigere. Cæterum in aliis omnibus actionibus elucere debet in Principe candor quidam regius, quo utendum est interdum erga eos ipsos, qui fallere cogitant: hi enim, si in meliorem partem id interpretentur, in suis perturbantur consiliis, & vacillare incipiunt; præterquam quod nulla fraus generosior, quam ipsa veritas, & si de ea securi sint, intimi cordis sui illi tradunt imperium, nec contra sese aliis artibus muniunt. Quæ retia non fuere contexta? quæ non excogitata stratagemata contra astutiam & malitiam vulpis? quis unquam sinceritati domesticæ hirundinū struxit insidias.

5. Ii tamen Principes, & moderatores, quos à prudentia & ingenio mundus æstimat, isthac arte uti nequeunt; nemo enim sibi persuadet, quod aut casu aliquid agant aut sincere. Vnde, si qua in re candorem suum palam velint ostendere, pro ficto habetur. Circumspectio in illis, malitia, Prudentia, dissimulatio; & cautio, dolus esse creditur. Fuerunt, qui hæc crimina Regi Catholico imponerent, eo quod partim naturali judicii sui acumine, partim diuturnis belli pacisque experientiis satis perspiceret fallacem agendi modum, & intutam fidem horum temporum; atque adeo tanta sagacitate sese defenderet, & æmuli ejus ac hostes suismet artibus sese irretirent, aut eæ certe cum tempore & consilio omnino

nino spe sua frustrarentur. Eã ob rem fingunt nonnulli Principes sinceritatem & modestiam, ad celandos magis fines, quos sibi habent propositos, aut ne illos malitia tam facile possit assequi. Faciebat id Domitianus, a *simul simplicitatis, ac modestiæ imagine in altitudinem conditus, studiumque litterarum, & amorem carminum simulans, quo velaret animum.* Velle Principem in omnibus sapientem videri, est sapientem esse desinere. Nosse suo tempore & loco ignorantem esse, summa prudentia est. Nihil utilius, nihil magis difficile, ac sapientiæ modum retinere: id quod in Agricola Tacitus *b* collaudavit. Omnes in eum conspirant, qui plus aliis scire se existimat, sive ex invidia, sive ignorantiæ propriæ defensione oriatur; aut forte, quia suspectum habent id, quod ipsi assequi nequeunt. c *Videns Saul, quod prudens esset nimis* David, *cœpit cavere eum.*

5. Principes alii negotia sua tractant, quasi aliud animo agitantes, ut sic casu agere videantur. Verum tanta est malitia præsentis Politicæ, ut istas artes non tantum penetret, sed integerrimam etiam sinceritatem cavilletur cum insigni veritatis, & tranquillitatis publicæ detrimento: cum nihil omnino sit, quod recte atque ut oportet, interpretentur alii; cumque veritas in uno consistat puncto: ea vero, quæ in circumferentia continentur, infinita sint, quo col lineare possit malitia, in graves errores incidunt ii, qui in factis & verbis diversos scrutantur sensus ab eo, quod præ se ferunt, aut sonant; & acceptis in deteriorem partem aliorum judiciis, & propositis animi, artibus sese muniunt alii contra alios, vvuntque omnes in diffidentiis perpetuis, & suspicionibus, in quibus qui maxime ingeniosus est, is à veritatis scopo aberrat longius: nam ingenii sui acumine intimius penetrat, quæ communiter versantur in animo, & plerumque tanquam exploratum habemus in aliis, quod in nobis non est, nisi imaginationis deceptio. Ita naviganti currere videntur scopuli, & ipse interim est qui movetur. Vmbræ rationis Status majores esse solent ipso corpore, & hoc negligitur interdum, contra vero captantur illæ quo fit, ut delusa inaniter imaginatione, majora nascantur damna ex suscepta defensione, quam adferre potuisset id, quod timebatur. Quoties ex inani suspicione Princeps aliquis arma sumit adversus eum, cui nunquam in mentem venit offendere, & correptis utrimque armis, ingens belli excitatur incendium, quæ prius, non nisi levis & male fundata fuerat suspicio: iis idem accidit, quod navibus male constructis, quæ quo magis nunc in hoc, nunc in illud incumbunt latus, eo citius pereunt. Non improbo diffidentiam, quando à prudentia oritur (ut alibi diximus)

a Tac. l. 4. Histor.
b *Retinuitque, quod difficillimum est, ex sapientia modum.* Tacit. in vita Agric.
c 1 Reg. 18. 15.

mus) illud folum reprehendo, quod bona fides femper defit, fine qua nec amicitia, nec ulla firma focietas, nec pactum fecurum effe poteft. Ius gentium fine robore erit, & omnia fraudibus, deceptionib que obnoxia. Non omnia finiftro aguntur propofi Maximus etiam tyrannus nes honeftos interdum fi præfixos habet.

SYMBOLVM XLIV.



DVbius & anceps eft ferpentis motus, nunc huc, nunc illuc finuofis flexibus in incertum fe gyrantis, ut i

ſum etiam illius ignoret corpus, qua caput ſurſum attollere debeat. In hanc partem tendere crederes, & ſubito movetur in oppoſitam, ut nec ulla paſſuum ſuperſint veſtigia, nec ſciri poſſit, quo iter ſuum intendat. Tam occulta ſint oportet conſilia, & cogitata Principum: nemini notum eſſe debet, quorſum illa ſpectent; quin imitentur potius ſupremum illum rerum omnium moderatorem Deum, cujus vias intelligere nemo a poteſt. Atque ideo Seraphini b *alis ſuis velabant pedes ejus*. Tanta cum ſolertia conſilia ſua ſecreta habere debent Principes, ut ea ſubinde ne ipſi quidem Miniſtri penetrent, immo alia omnia opinentur, ſintque primi, qui in hac opinione ſua fallantur, ut tanto naturalius & majori cum efficacia, abſque periculo ſimulationis, quæ facile ſeſe prodit, firment ac roborent, quod ipſi pro certo & explorato habent, eandemque mentem & errorem ingenerent aliis, atque ita ſpargatur in vulgus, & manet per omnes partes. Tiberius hoc fecit, quando querentibus nonnullis, quod non abiret ad componendas in Pannonia & Germania tumultuantes legiones, finxit ſe propediem profecturum; qua ſimulatione c *primo prudentes, dein vulgum, diutiſſime provincias fefellit*. Idem quoque fecit Rex Philippus Secundus, qui conſiliorum ſuorum fines etiam Legatos ſuos celabat, alios præ ſe ferendo, ubi opus ſolet, ut ſic illi crederent, & perſuaderent aliis. Atque hiſce artibus uti Princeps minime poterit, ſi ingenuitas illius tam cauta & circumſpecta non ſit, ut ne locum det interiores animi motus ex gubernandi actionibus diſpiciendi, aut ne æmuli ac hoſtes cor ejus ac cogitata penetrent: quin immo, ut elabi poſſit ex manibus, quando jam illum comprehenſum ſe tenere exiſtimant. Iſta operis diſpoſitio, qua alius in fraudem inducitur, defenſio potius quædam eſt, quam malitia, dummodo ea quis utatur, ubi & quando recta ratio ſuaſerit, quomodo ea magni Heroës uſi ſunt. Et quæ neceſſitas, obſecro, pandendi ipſum cor, quod Natura non fortuito in intimo abdidit pectore? etiam in rebus minoris momenti & longe poſitis perniti oſum eſt, ſi fiant publicæ, quia occaſionem dant plura deinde per rationis diſcurſum indagandi. Tametſi cor penitus intra viſcera abditum ſit, ex ſolo tamen arteriarum motu infirmitates ejus ac morbi dignoſcuntur. Executio vim ſuam perdit non abſque exiſtimationis jactura de prudentia Principis, ſi quæ ipſe facere decrevit, publicentur in vulgus. Conſilia occulta & ignorata omnibus minantur partibus, valentque non parum ad hoſtem aliorſum diſtrahendum. Hinc in malitia potius, quam in rebus aliis celare ea expedit.

Pau-

a *Et vias illius quis intelligit?* Eccl. 16.21.
b Iſa. 6. 2.
c Tacit. lib. 1. Annal.

Pauci conatus & molimina ante tempus detecta felicem sortiuntur exitum. Quam animo turbatur, qui ante sauciari se videt, quam stringi gladium; ille inquam, qui non nisi ad ipsum armorum strepitum excitatur?

§. Quæ tamen intelligi velim de bellis adversus infideles, non de iis quæ Christiani contra se invicem suscipiunt, quæ prius indicere oporteret, ut ad satisfactionem tempus suppeteret, quo multorum cædes evitari possent. Estque ea diligentia pars quædam eorum, quæ requiruntur, ut bellum licitum sit, ac justum. Laudandi in hoc Romani qui Collegium quoddam viginti Sacerdotum, quos *Feciales* appellabant, instituerunt, ut bella indicerent, componerent pacem, & sancirent fœdera; qui porro in similibus caussis judices essent, ac jus dicerent, curarentque, ut pro injuriis & offensionibus acceptis parti læsæ satisfieret, trium ac triginta dierum statuendo terminum, intra quos nisi lites aut via justitiæ, aut amica compositione desinerent, bellum denunciabant, tribus senioribus viris in testes adhibitis, & lancea ferrata in hostilem agrum projecta.

--- a *& baculum intorquens*
emittit in auras
Principium pugnæ.

E quo die actionibus hostilibus & incursionibus fiebat initium. Hujus denunciationis multa in sacris litteris suppetunt exempla. Iepthe Israëlitarum dux & Princeps non prius contra Ammonitas arma sumpsit, quam missis ad eos legatis sciscitatus fuisset caussam, cur illi bellum *b* suscepissent. Horum nostrorum temporum, non tam humanus, ac generosus mos est. Ante belli experimur effectus, quam de caussa constet, aut consilia penetrentur. Inopinata & improvisa invasio graviorem reddit injuriam, & magis implacabiles animos. Quod inde fere oritur, quia non tam arma capiuntur, ad compensandam injuriam, aut resarciendum damnum, quam ex cœca quadam ambitione ad dilatandos dominiorum fines; qua in re nec Religionis, nec sanguinis, nec amicitiæ ulla habetur ratio, conculcatis sacrosanctis juribus & Naturæ & Gentium.

§. Si quos interdum de infidelitate Princeps suspectos habuerit, vultus serenitatem ne illico immutet, aut suspicionis suæ aliqua prodat indicia, quin potius novis blanditiis & honoribus confirmare studeat animos, & ad fidelitatem præstandam obstringere. Non optimum semper, & securum remedium est extremus rigor: rami, qui resecantur, pereunt, quia revirescere non possunt. Eadem Marcello caussa fuit, cur cum Lucio Banco Nolano homine locuplete, & factioso tantopere conniveret, & tametsi probe sciret, quod Hannibalis partes ipse sequeretur, ac-

L 6 cersito

a Virg. l. 9. Æneid.

b *Et misit nuntium ad Regem filiorum Ammon, qui ex persona sua dicerent: quid mihi & tibi est, quia venisti contra me, ut vastares terram meam?* Iud. 11. 12.

cerfito tamen ad se plane exposuit, quam virtus ejus, & fortitudo æstimaretur ab omnibus, quamque illa perspecta esset Ducibus Romanis, qui testes exstitissent rerum ab illo laudabiliter gestarum in Cannensi prælio: honorat eum verbis, spe ac promissis fovet & sustinet; indulget, ut liber ei semper ad audientiam pateat aditus, qua humanitate sic illum devincit & obligat, ut ab eo tempore amicum fideliorem Respub. Romana nunquam habuerit.

Hæc tamen dissimulatio magnam attentionem postulat, & prudentiam: nam si illū subo'eret, qui sinistri aliquid molitur, artificium esse crederet, ut tanto gravius postea in se animadverteretur, adeoque citius flammam subjiceret cuniculis, aut sibi per alia media violenta caveret de periculo. Id quod præcipue timendum in tumultibus, & delictis insanæ plebeculæ. Eandem ob caussam Fabius Valens, etsi auctoribus seditionis cujusdam nullam constituisset pœnam, quosdam tamen eorum in judicio postulari voluit, a *ne dissimulans suspectior foret.* Verum cum animus à concepta proditione, perquam difficulter expurgetur, & offensione Majestatis supremæ impunitæ esse non debeant, videtur tunc solum dissimulandum, quando majus à declaratione imminet periculum, aut multorum punitio in effectum deduci non potest. Istud expenderit Iulius Cæsar, cum datas contra se à Nobilitate Romana ad Pompejum litteras, & apud tabellarium deprehensas, sic obsignatas cum integro fasciculo in ignem jussit conjici, optimum ignoscendi modum ratus, delictum ignorare. Insignis sane magnanimitas, & rara prudentia, ab omnibus pœnam sumere non posse, nec tamen obligare sese ad connivendum. Posset etiam exemplum statui in tenuiores, & dissimulari cum Illustribus, donec securior puniendi affulgeret b occasio. At vero, ubi in delinquentes animadverti potest absque periculo, tutius erit sumpto ab iis supplicio securitati consulere, quam dissimulationi confidere: hæc enim majores ad audendum addere solet animos. Hanno venenum propinare parabat Carthaginiensi Senatui, & proditione comperta, sat remedii fore autumabant Senatores illi, si legem conderent, quæ modum & certum pretium conviviis poneret; id quod Hannoni aliam novam proditionem contra illos attentandi ansam dedit.

5. Ars atque astutia, quæ maxime decet Principem, dissimulatio item magis licita, & necessaria est illa, quæ vultum, verba & actiones erga eum, quem dissimulando fallere cogitat, sic moderatur & componit, ut scire ille non possit sua patere consilia: ea enim ra-

a Tacit. l. 2. Histor.

b *Vnde tenuioribus statim irrogata supplicia, adversus illustres dissimulatum ad præsens, & mox redditum odium.* idem l. 16. Annal.

ratione plus suppetet temporis ad penetrandum melius, & puniendum, aut eludendum dolum, dum aggressor de eo occultando minus sollicitus est; quod si præter opinionem deprehensum se semel animadverterit, trepidare incipiet, nec securum se arbitrabitur, donec quas animo versat fraudes, ad effectum adduxerit. Ea de caussa Agrippina Neronis mater, compertis etiam insidiis, perinde se habuit, ac si nihil rescisset de morte, quam ei filius fuerat machinatus, existimans nimirum a *solum insidiarum remedium esse, si non intelligerentur.* Hæc dissimulatio aut ficta simplicitas perquam necessaria est Ministris, qui Principibus astutis, minusque sinceris deserviunt, iis scilicet, quorum unicum studium est cavere, ne artes eorum penetrentur ab aliis: qua in re eximius fuit Tiberius b *consulto ambiguus.* Eodem artificio Senatores Romani usi fuere, quando idem Tiberius post Augusti obitum, ut animos eorum exploraret, significari iis fecit, nolle sese imperii gubernacula admittere, eo quod nimis grave humeris suis onus esset; at illi studiosa quadam ignorantia, & provocatis ultro lacrymis, instare rogareque, ut admittere dignaretur. c *quibus unus metus, si intelligere viderentur.* Oderunt Principes injustí, & tanquam hostes eos habent, à quibus mala sua studia & consilia capi existimant. Absolutum sibi in animos imperium vendicant non alienæ subjectum scientiæ, cupiuntque non minus vi, & facultati intelligendi subditorum dominari, quam eorundem corporibus, partem obsequii in eo ponentes, ne artes eorum deprehendantur à d subditis: Eam ob rem *abditos Principis sensus, & si quid occultius parat exquirere, illicitum est.* Conquerente aliquando graviter Tiberio, quod sibi à Senatoribus quibusdam securo vivere non liceret, scire ex eo voluit Asinius Gallus, quinam ii essent, ut pœnas luerent, & e *eò agrius accepit* Tiberius, quod *recludi* ille vellet, *quæ premeret.* Prudentior Germanicus fuit, qui licet Tiberii artes probe perspiceret, seque ideo tantum è Germania revocari, ut gloriæ suæ cursus sisteretur, extemplo tamen paruit, perinde ac si nihil istorum, quæ suberant, f animadverteret. Quando Principum mandata declinari non possunt, prudentiæ est iis obsequi, & ignorantiam præ se ferre, ut minus detrimenti sit. Quare tametsi Archelaus sciret, astu quodam & dolo se à Tiberii matre Romam evocari, dissimulavit tamen, & g *si intelligere crederetur, vim metuens, in urbem properavit.* Atque hæc dissimulatio magis adhuc in erroribus & vitiis Principis necessaria est;

L 7 nec

a Tac. lib.14. Annal.
b Idem lib.13. Annal.
c Idem l.1. Annal.

d *Intelligebantur artes; sed pars obsequii in eo, ne deprehenderentur.* Idem l.4. Histor.
e Tacit. l.4. Annal.
f *Haud cunctatus est ultra Germanicus, quamquam fingi ea, seque per invidiam parta jam decori abstrahi intelligeret.* Idem lib.2. Annal.
g Idem l.2. Annal.

nec enim amicus solet esse ei, qui illorum aut testis est, aut notitiam habet. In convivio illo, in quo Britannicus venenum hausit, a *diffugere imprudentes; at quibus altior intellectus, restitere defixi, & Neronem intuentes*, ne violentæ mortis illius conscii haberentur, sed credere potius putarentur, eam secundum naturam accidere.

a Tac. lib. 13. Annal.

SYMBOLVM XLV.

LEo (figura præsentis Emblematis) apud Ægyptios vigilantiæ fuit Symbolum, quales sunt, qui in frontispiciis & portis templorum collocari solent. Atque hinc Alexander Magnus in monetis effingi voluit cum pelle leonina in capite, ut significaret non minus cura se pollere, ac robore: quippe qui (si quando parciori somno utendum esset) dormire consueverat, brachio extra lectum porrecto, & globum argenteum manu tenens; ut si fors arctius indormiret, ille in subjectam pelvim æneam delapsus tinnitu suo eum mox rursum excitaret. Nunquam sane orbem suo subjecisset imperio, si quieti & somno solum indulgens, rerum omnium curam abs se abdicasset: neque enim altum debet stertere qui multorum regendorum gubernacula suscepit.

b *Non decet ignavum tota producere somnum*
Nocte virum, sub consilio, sub nomine cujus
Tot populi degunt, cui rerum cura fidesque
Credita summarum.

Leo igitur, cum animantium Regem se esse sciat, aut parum dormit, aut si dormit, nimium apertos servat oculos. Non tantum suo confidit imperio, nec de sua majestate tantopere securus est, ut necessarium non arbitretur, vigilantem se fingere, etiam dum somnum capit. Opus est equidem, ut sensibus sua quandoq; quies concedatur; expedit interim sic opinari de Regibus; quod semper excubent. Rex somno deditus nec hilum ab aliis differt hominibus. Etiam hanc ipsam passionem subditos suos, ac hostes, quantum potest, celare debet. Dormiat, modo vigilare eum credant alii. Ne sibi tantum de dignitate sua & potentia polliceatur, ut curæ ac sollicitudini claudat oculos. Astutia est dissimulatio in leone, oculis apertis quietem capere, non tamen fallendi studio, sed dissimulandi solum consopitos sensus; & si quis forte insidias illi struens deciperetur, existimando vigilem esse, quem dormientem offendere cogitabat, ipse sibi erroris caussa est, non leo: nec indigna hæc præventio magnanimo ejus pectore, uti nec astutia illa, quando cauda obducit pedum vestigia, ad fallendos venatores. Nulla ars, castrumve satis munitum est, nisi solertia excubet. Major Monarcha majori cum cura frontem suam coronare debet, non candore since-

b Homerus.



ſincerarum columbarum, ſed prudentia aſtutorum ſerpentium: neque enim alias, quam quando Leo in arenam prodit, feræ cæteræ ſuas ponunt inimicitias naturales, & depugnare inter ſe deſinunt; quin jam communi conſenſione conſpirant omnes contra illum, armant ſeſe, & tanquam fortiori moliuntur inſidias. A nulla potentia plus periculi imminet regno Angliæ, (uti & aliis omnibus Principatibus) quam ab illa Batavorum: nam maris libertatem illi adimunt. Nihil magis perniciosum Francis, quam potentia eorundem rebellium Statuum, quæ perfoſſis

agge-

aggeribus, quos objecit Hispania, totum Franciæ regnũ aquis demergeret, ut prudentissime observavit Rex Henricus Quartus; & tamen, quæ duo apud ambas illas Coronas plus possunt, quam suamet ipsarum pericula, odium, inquam, & metus Monarchiæ Hispanicæ, vires illas augent, quas mutatis aliquando & perturbatis temporibus ipsæ merito adversum se timere poterunt. Pericula præsentia plus sollicitudinis & curarum adferunt, quam futura, etsi hæc sæpe majora sint. Timor sensus impedit; nec sinit animum æstimare, quæ longius posita sunt. Inanis aliqua diffidentia maxima etiam ratione Status validior est. Arbitrium Coronæ Hispanicæ in Italia medicinæ præservativæ instar est adversus infirmitates, quas patitur libertas Genuæ; idem illud Tusciæ Principatum securum reddit: Imperium spirituale Ecclesiæ augescit, & conservatur potentia domus Austriacæ, ejusdem beneficio securi sunt Veneti à Turcarum tyrannide: quod nescio sane, an aliqui Consiliarii istorum Principum satis grati agnoscant, aut illud agant semper, quod ad hanc utilitatem eorum propriam magis conducit. Æmulationes ejusmodi, quæ rationi non parent, sibi ipsæ ruinam accersunt, & exitium. Illi ipsi, qui securiores se fore existimabant, si Ferdinandum Secundum armis exuerent, magno suo malo experti sunt postea, eodem se indigere milite, cujus exauctorandi illi auctores fuerant. Complures Provinciæ quæ ob rationem status Monarchiam Romanam voluerunt evertere, una cum illius ruina libertatem suam perdiderunt.

§. Ne confidat Princeps exteriori venerationi & cultui, quem alii ipsi deferunt: ficta enim tantummodo res est, & longe alia ab eo, quod extrinsecus apparet. Placere velle, adulatio est, obsequium, metus, veneratio, vis quædam & coactio, & amicitia, necessitas. Omnes callida fraude insidias parant sinceræ generositati, qua alios ᵃ æstimat. Omnes ad ungues illius attendunt, & prædas numerant. Advigilant omnes, ut ingenio superent, quem viribus nequeunt. Pauci, aut nemo, sincere cum eo agit: ei enim, qui timetur, non dicitur veritas, adeoque potentiæ suæ confisus, somnum capere securus non potest, artem arte, vires viribus illudat. Generosum pectus dissimulanter & caute prævertat pericula, & resistat fortiter.

§. Tametsi vero præsenti Emblemate permittamus, immo etiam necessariam judicemus dissimulandi artem, servatis conditionibus, quas diximus, magis tamen ea Ministris convenit (quando excusari potest) quam Principibus: in his enim occulta quædam inest divinitas, quæ ea cura & cautione offenditur. Dissimulatio plerumque ex metu & ambitione nasci solet; neutra autem, si notetur, satis

a Duces Principum simplices, & ex sua natura alios æstimantes, callida fraude decipiunt, Esth. c. 16. 6.

satis Principem decet. Quod simulatio cavere debet, caveat silentium prudens, & solers gravitas. Magis amatur Princeps, qui cautus & prudens habetur ab omnibus, modo agat cum sinceritate quadam regia. Nemo est, quin artes illas occultas detestetur; contra vero agendi modus naturalis cum ingenua quadam probitate placet omnibus, quemadmodum in Petronio advertit Tacitus, a *cujus dicta factaque quanto solutiora, & quandam sui negligentiam præferentia, tanto gratius in speciem simplicitatis accipiebantur.*

a Tacit. lib. 16. Annal.

SYMBOLVM XLVI.

REmus ex parte aquis immersus, obliquus videtur oculis, & fractus, idque ex refractione specierum oritur: ita multis in rebus nos fallit opinio. Ea de caussa Philosophi Sceptici, ut dicebantur, de omni re dubitabant, nec quicquam pro certo audebant asserere. Solers sane modestia, & diffidentia prudens humani judicii, nec absque fundamento: siquidem ad certam rerum cognitionem binæ requiruntur dispositiones, illius nimirum, qui cognoscit; & rei, quæ cognosci debet. Qui cognoscit, intellectus est, qui externis juxta atque internis utitur sensibus, tanquam instrumentis ad efformanda phantasmata. Externi varie immutantur pro majori humorum abundantia, aut moderatione. Quas mutationes etiam interni subeunt, aut ob eandem caussam, aut propter diversas organorum affectiones. E quo tanta opinionum, judiciorumque in hominibus nasci solet diversitas, alio aliter res ipsas concipiente, in quibus eadem incertitudo, & variatio cernitur: nam positæ hic aut illic colores suos mutant, & formas, aut ob distantiam, aut ob vicinitatem, aut quia nulla perfecte simplex est, aut propter mixtiones naturales, & species, quæ sese offerunt medias inter sensus, & ea quæ sub sensum cadunt: adeoque de iis affirmare non possumus qualia sint, sed illud dicere solum, videri talia, opinionem scilicet formantes, non certam scientiam. Majorem incertitudinem Plato in illis reperit, dum perpenderet animo, in nulla earum inesse naturam illam purissimam & perfectissimam, quæ in Deo est; nosque, dum vitam hanc mortalem vivimus, rei nullius certam cognitionem habere, sed præsentes solum videre, quæ non nisi reflexæ essent, & quædam illarum umbra, atque adeo fieri non posse, ut de iis scientia comparetur. Non equidem illud contendo, ut Princeps è Scepticorum turba sit: nam qui de omnibus dubitat, nihil certi definit, aut statuit, neque ulla res gubernationi magis noxia, quam dubium hærere & ancipitem, quoties decidendum est aliquid, & effectui dandum. Illud moneo duntaxat, ut cum prudentia quadam poli-



politica in opinionibus persistat indifferens, certoque sibi persuadeat, facile se in judicio falli posse, quod de iis formaverit, aut ex affectu & passione propria, aut minus sincera informatione, aut ob blanditias aliorum & assentationes, aut quia exosa illi est veritas, quæ potentiæ certos præscribit limites, legesque voluntati, aut propter nostrum apprehendendi modum valde incertum, aut denique quia paucæ res ejusmodi sunt, quales prima fronte apparent, præsertim politicæ, cum ratio Status jam fere nihil aliud sit, quam ars quædam alios fallendi, aut ne Princeps fallatur ab aliis. Quare diversis egent luminibus,

bus, & considerare eas oportet sedulo potius, quam obiter intueri, ne Princeps leviter rebus apparentibus & narratiunculis moveatur.

§. Fraudes istæ, & artes politicæ dignosci nequeunt, nisi ipsa hominis natura probe perspecta sit; illius siquidem cognitio plane necessaria est Principi, ut & regere eum sciat, & sibi ab eo cavere: etsi enim Principatus hominum sit inventio, si quid tamen illi timendum periculi, ab his solis, non aliunde timendum est, nec major homini hostis, quam ipse homo. Non aquila aquilā impetit, nec aspis aspidem; at homo homini semper molitur perniciē. Ferarum specus absque custodia sunt, ad custodiendas vero urbes tempore nocturnæ quietis nec terna elementa sufficiunt: terra scilicet aggesta in mœnia & propugnacula, aqua in Fossas collecta, & ignis conclusus in fistulis æneis, & tormentis majoribus. Vt securi somnum capiant aliqui, alii vigilent oportet. Quæ instrumenta reperta non sunt ad eripiendam homini vitam? quasi per se ipsa satis brevis non sit, & sexcentis Naturæ casibus obnoxia: & licet in homine, tanquam in subjecto suo proprio, omnium virtutum pariter, & vitiorum insint semina, illud tamen discrimen est, quod illæ absque rore gratiæ cælestis & supernaturalis nasci & succrescere nequeant, hæc vero suapte sponte pullulent, & latius se diffundant, qui primæ hominum noxæ effectus est, ac pœna. Quoniam autem semper fere affectibus nostris, & passionibus duci nos sinimus, quæ in malum nos propellunt, atque in virtutibus isthuc periculi non est, quod in vitiis; ideo ob oculos ponemus hic Principi brevem aliquam descriptionem Naturæ humanæ, quando à Malitia se patitur abripi.

Est igitur homo animantium omnium inconstantissimum: sibi, & aliis exitiosum. Vna cum ætate, fortuna, spe commodi, damni metu, & passione animum immutat. Nec mare toties vultum variat, ac illius conditio. Boni specie deluditur, & ex amore proprio in errore perseverat. Vindictam & crudelitatē honori ducit, ac laudi. Affectus suos ad longum tempus dissimulare novit, & tegere. Verbis, risu & lacrymis celat, quod inclusum gerit in pectore. Religione sua obvelat consilia: jurejurando firmat, & occultat mendaciis. Metui, & spei paret. Favores eum ingratum reddunt, dominatio superbum, coactio abjectum & vilem, lex pavidum. Beneficia inscribit in cera, injurias acceptas in marmore, & quas ipse aliis infert, in ære incidit. Amore regitur non ex charitate tamen, sed sola boni specie; ira illi imperat. In afflicta fortuna demissus est, & obediens; in prosperiori, arrogans & aliorum contemptor. Quod in se ipso collaudat, aut affectat, id minime possidet. In amicitia sincerum se judicat, & colere eam nescit. Bona propria spernit, & ambit aliena. Quanto pluribus potitur, tanto plura

plura expetit. Ob gratias & incrementa aliena contabescit invidia; gravius nocet amici specie, quam hostis. In aliis rigorem justitiæ deamat, in se ipso eum experiri non vult.

Hæc humanæ naturæ descriptio generalis est, neque enim vitia omnia in uno insunt homine, sed dispersa in variis. Verum tametsi quis forte Principi immunis plane ab iis videatur, non ideo tamen sibi ab illo prudenter cavere intermittat, quia nunquam satis securum est judicium, quod de conditione & natura hominum formari solet. Malitia virtutis larvam induit, ut queat decipere, & optimus quisque à se ipso deficit, aut humana imbecillitate, aut ætatum inconstantia, aut necessitate & utilitate propria, aut specie aliqua boni privati, vel publici, aut imprudentia, aut notitiæ defectu; quo fit, ut non minus perniciosi sint interdum ipsi etiam boni, quam mali. In dubio autem magis prudentiæ consentaneum est, stare à parte periculi, ita ut Princeps sibi dictum putet (non ad offendendum quidem, sed ad cavendum:) quod scribit Ezechiel, a *subversores sunt tecum, & cum scorpionibus habitas*, quorum *cauda semper in ictu est, nulloque momento meditari cessant, ne quando desint occasioni*. b Tales fere solent esse aulici: plerique enim omnes vota sua & desideria, etiam cum illusione Principis promovere satagunt, aut optime meritos de gratia illius, & favoribus deturbando, suæmet auctoritatis, qua valent, beneficio. Quoties interjectis inter Principis oculos & Ministri actiones, invidiæ & æmulationis fluctibus, eas pro obliquis habuit, & haud satis fidelibus, cum rectissimæ essent, & non nisi ad majus illius obsequium susceptæ? Passa est virtus, amisit Princeps fidelem Ministrum, & artibus suis triumphavit malitia. Quas ut practice noverit, neque permittat innocentiam vexari injuriis, aliquas magis usitatas hic oculis subjiciam.

Reperiuntur aulici nonnulli tam versuti, & subdoli, ut æmulorum suorum defectus excusare videantur, & vel maxime eos accusant. Ita Augustus quondam, c *honora oratione, quadam de habitu, cultuque & institutis Tiberii jecerat, quæ velut excusando exprobraret*.

Alii sunt, qui, ut nequitiam suam tegant, & bonitatis specie auctoritatem illi concilient, titulo obligationis, & amicitiæ sermonem ordiuntur à laudibus Ministri illius, quem clandestine subvertere cogitant, referendo scilicet aliquas, quæ aut exigui momenti sunt, aut Principi haud multum prosunt, atque una ficto quodam zelo erga illius obsequium, quod omni amicitiæ & necessitudini præferre se dicunt, sensim in apertum proferunt defectus, qui efficere possunt, ut hic talis Minister aut gratia Principis excidat, aut dignitatis gradu, quem obtinebat deturbetur. Quod si illud non

a Ezech. 2. 6.
b Plin. l. 11. c. 25.
c Tac. l. 1. Annal.

non fiat ex ambitione & malitia, ideo saltem est, ut defectibus iis, quos carpit in amico, fidelitatem suam testatam faciat, a *& unde amico infamiam parat, inde gloriam sibi recipiat.* Nec ignorabat fallaces has technas sapientissimus ille Rex Neapolitanus Alphonsus; quare cum quendam audiret, qui multus erat in laudibus sui hostis, sic ad astantes dixisse fertur: *Notate artificium istius hominis, & videbitis has laudes non alio spectare; quam ut majus damnum suo accersant tempore.* Nec aliter accidit, postquam sex mensium spatio istiusmodi commendationibus mentem, animumque suum omnibus probare conatus fuisset, ut tanto citius deinde ei haberetur fides in iis, quæ contra eundem locuturus esset. Quis unquam pulvis tormentarius, actis sub terram cuniculis, incensus fuit à mœnibus longius, ubi tamen vim suam exerere debuit? *Pessimum inimicorum genus, laudantes.* b Alii ut decipiant cautius palam laudant, & secretis infamant c criminationibus.

Nec minus noxium est eorum artificium, qui calumnias sic adornant, atque instituunt, ut cum sint accusationes, laudes tamen esse videantur, quomodo apud Tassum Aletus faciebat:

d *Gran fabro di calunnie,*
adorni in modi (lodi.
Novi, che sono accuse, e paion

Hos Psalmographus indicat, cum dixit: e *Conversi sunt in arcum pravum.* f Et Oseas Propheta: *Facti sunt quasi arcus dolosus*, qui in aliam partē collineat, ex alia ferit & sauciat.

Quidam æmulos suos, eorumque actiones sic laudibus efferunt, ut satis appareat non loqui eos serio, & ex animo. Id quod in Tiberio animadversum; qui g *multa de virtute Germanici memoravit, magis in speciem verbis adornata, quàm ut penitus sentire crederetur.*

In aliis commendationes ejuscemodi eo tendunt, ut quem habent inimicum, ad ea evehant munia, quæ deinde exitio illi sint, aut ut submoveatur ab aula longius, etsi cum majori ipsius fortuna id fiat; quam inter alias caussam fuisse reor Ruigomesio, cur auctor esset, ut in Provincias Belgicas mitteretur Dux Albanus Ferdinandus, quando Status illi ab obedientia regis desciverant. Ob eundem finem h *Mucianus* quoque, *quia propalam opprimi Antonius nequibat, multis in Senatu laudibus cumulatum, secretis promissis oneravit, citeriorem Hispaniam ostentans, discessu Cluvii Rufi vacuam.* Ad quod ut faciliorem viam sterneret, i *simul amicis ejus Tribunatus, Præfecturasque largitus est.* Dici vix potest, quam æmulatio liberalis sit, quando amovendus ex oculis, qui aut gloriæ illius tenebras offundit, aut commodis officit; unda est, quæ natandi im-

pe-

a Tacit. lib. 14. Annal.
b idem in vita Agric.
c *Secretis eum criminationibus infamaverat ignarum, & quò cautius deciperetur, palam laudatum.* Tac. l. 11. Hist.
d Tasso can. 2.

e Ps. 77. 57.
f Os. 7. 16.
g Tac. lib. 1. Ann.
h idem lib. 4.
i ibid.

peritum ad fortunæ ripam pertrahit. Interdum etiam laudes eo animo comemorantur, ut suscitentur æmuli, qui laudatũ insectentur. Mirus plane nocẽdi modus per aliena vitia.

§. Multi eos, quos ipsi ad suum formarunt ingenium, in officia publica conantur intrudere, eo cum artificio, ut consilium eorum nemo penetrare possit, ideoque ut illud ipsum tanto assequantur facilius, defectus quosdam leviores in ejusmodi officiis commissos ab aliis, primo reprehendunt, mox laudant & deprædicant alios, qui ad ea munera magis viderentur idonei, & interdum velut ignotos fovent, uti Pisonem Lacon, ut à Galba *a* adoptaretur.

Alii, ut suam celent passionem, in longum jaciunt odia, & sensim illa instillant pectori Principis, ut oppletum effundat se tandem in ejus damnum, cui infensi sunt, & inimici. His artibus Sejanus usus est, ut *b* Tiberii animum abalienaret à Germanico; & videtur eas improbare Spiritus sanctus sub metaphora arandi mendacia: *Noli*, inquit, *arare mendacium adversus fratrem tuum*; *c* quod idem est, ac spargere in animo loliorum semina, ut nascatur deinde, & metatur suo tempore malitiæ *d* fructus.

Pari cum astutia solent nonnulli primum fallere Ministros, quorum auctoritati Princeps plus cæteris tribuit, persuadendo illis quasdam falsitates, quas ipsi deinde imprimant Principi. Ars ista fuit mendaciloqui illius spiritus, qui in visione Michææ *e* Prophetæ spondebat se decepturum Regem Achab, insidendo in labiis omnium Prophetarum ejus, & permisit illud Deus, tanquam efficacissimum fallendi medium.

Aliqui nonnunquam ad eũ finem injuriis utuntur, quas forte accepit Princeps, & vindictam illi suadent, aut quia illam ipsi beneficio potentiæ Principis de hoste suo sumere cogitant, aut quia semotum eum volunt ab alius obsequio, & in diffidentiam adducere. *f* Eodem artificio Ioannes Paciecus Regi Henrico Quarto auctor erat, ut Alphonsum Fonsecam Archipræsulẽ Hispalensem juberet comprehendi, & eundem postea secreto monuit, ut suæ securitati adversus Regem opportune consuleret.

§. Atque hæ tales artes maxime vigent in aulis, & licet interdum prodantur in lucem, suos tamen inveniunt Patronos, immo sunt, qui iterum in fraudem induci se sinunt; unde persæpe videmus homines planos & impostores diu in aulis perdurare. Imbecillitas hæc est naturæ nostræ depravatæ, quæ mendacio magis capitur, quam veri-

a *Sed callide, ut ignotum fovebat.* Tac. l. 1. Hist.

b *Odia in longum jaciens, quæ reconderet, auctaque promeret.* Tac. l. 1. Ann.

c Eccl. 7. 13.

d *Arastis impietatem, iniquitatem messuistis, comedestis frugem mendacii* Os. 10. 13.

e *Ero spiritus mendax in ore omnium Prophetarum ejus. Et dixit Dominus, Decipies, & prævalebis: egredere, & fac ita.* 3. Reg. 22. 22.

f Mar. Hist. Hisp. l. 23. c. 7.

ritate. Fortius nostros rapit oculos, & in admirationem trahit equus aliquis scite pictus, ac vivus, cum tamen ille aliud nihil sit, quam vivi mendacium. Ecquid aliud est eloquentia tropis & figuris ornata, quam falsa quædam species, & dolus, & sæpe persuadet nobis ea, quæ nos maxime dedecent. E quibus omnibus liquet quantum sit periculum, ne inter tot artificia, & relationes varias deerret opinio Principis, nisi ea singulati cum diligentia expendat, atque examinet, suspendendo tantisper fidem, donec res ipsas videat non solum, sed etiam quasi manibus tentet, eas cumprimis, quæ auditu perceperit: per aures enim subintrant aura adulationis, & venti odii atque invidiæ, & facile immutant, ac suscitant passiones & affectus animi ante, quam de rei veritate certo constare possit. Et idcirco valde esset conveniens, ut Princeps aures haberet menti & rationi proximas; sicut est illa, quam habet Noctua (ideo forte etiam Minervæ dedicata) in supremo capitis vertice, ubi cellula sensuum est, quia omnibus his opus est, ne nos fallat auditus. Hujus itaque singularem curam ac rationem habeat Princeps, nam quando aures ab affectibus liberæ sunt, & ratio in iis pro tribunali sedet, bene ad examen vocantur singula, cum omnia fere, quæ ad gubernationem pertinent, à narrationibus aliorum dependeant. Atque ideo non videtur vero simile, quod dixit Aristoteles de apibus, eas scilicet audiendi sensu destitui: grande enim id esset incommodum in animalculo tam provido & politico, cum duo illi sensus, auditus & visus, instrumenta sint, quibus sapientia hauritur, & experientia. Ambo necessarii sunt, ne, nos aut passio, aut natura, aut inclinatio decipiat. *a* Moabitis ab effectu jam occupatis, torrens aquarum unde solares radii repercutiebantur, sanguis videbatur. Idem populi clamor in auribus bellicosis Iosue ululatus pugnæ celebratur; in quietis vero & pacificis Moysis, moduli Symphoniaci suaviter *b* canentium. Eam ob rem, licet Deo omnia sint præsentia, voluit tamen coram lustrare oculis vocem, quam audiebat de incolis urbiũ *c* Sodomæ & Gomorrhæ. Quando igitur Princeps ad res omnes & singulas sic manus, oculos aurésque admoverit, aut errare non poterit, aut certe culpa vacabit. Atque ex his omnibus nemini perspicere non licet, quam parum idoneum fuerit illud Thebanorum simulacrum, quo Principis dotes ac qualitates volebant exprimere; utpote quod aures

a *Primoque mane surgentes, & orto jam sole ex adverso aquarum, viderunt Moabitæ contra aquas rubras, quasi sanguinem, dixeruntque, Sanguis gladii est.* 4. Reg. 3. 22.

b *Audiens autem Iosue tumultum populi vociferantis, dixit ad Moysen, Vlulatus pugnæ auditur in castris. Qui respondit, non est clamor adhortantium ad pugnam, neque vociferatio compellentium ad fugam; sed vocem cantantium ego audio.* Ex. 12. 17.

c *Descendam, & videbo, utrum clamorem qui venit ad me, opere compleverint: an non est ita, ut sciam.* Gen. 18. 12.

aures haberet quidem, sed careret oculis; cum tamen hi non minus, ac illæ sint necessarii: aures inquam, ad res cognoscendas, oculi vero ad comparandam certam fidem, qua in re magis fideles sunt oculi; tantum enim veritas à mendacio abest, quantum oculi distant ab auribus.

§. Nec minori diligentia & attentione opus est, ad probanda omnibus consilia & proposita media, antequam Princeps iis uti incipiat, de cogendis per provincias pecuniis, de corrigendo imperio, aut negotiis aliis, ad pacem, bellumve spectantibus: sæpe enim non nisi commoda privata & propria pro fine habent, nec semper imaginationi aut exspectationi nostræ respondent effectus. Ingenium consilia approbare solet, at experientia ea rejicit. Contemnere omnino, imprudentia esset: nam unicum etiam, quod feliciter succedit, aliorum vanitatem compensat. Non gauderet Hispania novi orbis imperio, si Reges Catholici non plus fidei habuissent Columbo, quam alii Principes. Credere leviter omnibus, & mox velle, tanquam plane secura & certa, in effectum deducere, levitas est, aut stultitia. Considerandа prius conditio personæ quæ ea proponit, quantam nimirum rerum experientiam habeat: quos fines spectare possit, si decipiat; quæ commoda, si rite eveniant; quibus denique mediis, quo tempore hoc assequi cogitet. Quam diligentiam quia non adhibuit Nero, cum referret nonnemo, ingentem in Africa thesaurum repertum esse, graviter deceptus fuit, non auctoris a *non ipsius negotii fide satis spectata, nec missis visoribus, per quos nosceret, an vera afferentur.* Multæ res propositæ sub initium videntur magnæ; & postea evanescunt ac prorsus fiunt inutiles. Multæ levis sunt momenti, è quibus insignia redundant beneficia. Multæ, quas in rebus minoribus experientia comprobavit, in majoribus haudquaquam succedunt. Multæ rationi videntur faciles, & reipsa difficillimæ sunt. Multæ sub principium damnum adferunt, prosunt sub finem; aliæ contra. Multæ etiam reipsa cadunt aliter, ac initio fuerat cogitatum.

§. Vulgus iners & cœcum, veritatem non perspicit, immo illa magis offenditur: nam leviter suas ante format opiniones, quam recta ratio prævertat incommoda, confidendoque rem manibus se posse tangere, lumen certius sibi pollicetur à successu, qui ignorantium Magister est, adeoque qui illud hominum genus argumentis à suis abducere volet opinionibus, tempus perdet, & operam. Nullum efficacius remedium, quam curare, ut suis ipsimet oculis errores suos videant, & tentent manibus. Sic equi formidolosi solent corrigi, calcaribus urgendo & verberibus, ut ulterius progrediendo nosse discant vanitatem umbræ, qua tantopere terrebantur. Hoc consilio usus est Pacuvius, ad componendum populum

a Tac. l. 16. Annal.

pulum Capuæ, cum contra Senatum tumultuari inciperet. Senatores omnes, communicato prius cum iisdem consilio, in aula quadam concludit. Dein populum convocat, eumque sic alloquitur: Si Senatores amovere ab officio, aut punire libuerit, nunc tempus est opportunum, omnes enim sub ista clave custodio, & absque armis; sed expediet, ut unus tollatur post alium, & mox alius in illius locum eligatur: neque enim vel unicum momentum Respublica isthæc sine capitibus subsistere poterit. In urnam igitur omnium nomina conjicit, & unum sorte extrahit: rogat deinde populum, quid illo fieri velint: crescunt suffragia, conclamant omnes, eumque morti adjudicant. Suadet porro, alium eligant. Hîc confusio oritur, & nesciunt, quem proponere debeant. Idem secunda, idem tertia vice accidit, ut de electione inter eos convenire non potuerit. Tandem illa ipsa confusio eos edocuit, melius esse, tolerare malum, quod experti essent, quam tentare remedium; & mandant illico, ut Senatores liberi dimittantur. Furiosa plebs est in opinionibus suis, & sæpe (quando insigne aliquod damnum timeri potest, aut periculum) industriæ est Principis, suis propriis habenis eam regere, & pari ignorantiæ passu cum ea progredi. Reduci etiam ad officium poterit populus, si illi proponantur ante oculos damna aliorum similiũ casuum: a *nam plebeja ingenia exemplis magis, quam ratione capiuntur.*

a Macrob.

SYMBOLVM XLVII.

Etiam in virtutibus periculum est: insint omnes in animo Principis, non est tamen necessum, ut in perpetuo versentur exercitio. Vtilitas publica usum illarum dictare debet, quomodo item, & quando Exercitæ absque prudentia, aut vitia esse incipiunt, aut certe non minus exitiosæ sunt, ac ista. In cive privato ipsum solum respiciunt; in Principe, ipsum & Rempublicam. Cum utilitate communi omnium, non privata unius consentiant oportet. Scientia civilis certos præscribit limites virtuti & illius, qui imperat, & ejus, qui paret. In Ministro non sui juris & arbitrij est justitia, semper ad legis normam sese debet dirigere: in Principe, qui illius est anima, peculiares habet considerationes, quæ universum & commune spectant imperium. In subdito commiseratio modum excedere nunquam potest: in Principe sæpe est noxia. Vt hoc præsenti Emblemate subjicerem oculis, à cornicũ aucupio istud desumpsi, qua, Sanazaro & Garcilaso testibus, Pastores utebantur. Ea erudit Principes, quanta cum prudentia calamitatum & periculorum alienorum sese reddere debeant participes. Cornicem ponebant alis extremis humi alligatam, quæ cum alias per aë-



rem prætervolare cerneret; sublatis in cælum clamoribus eas provocabat, ut ad ferendam opem sese demitterent, misericordia motæ.

Cercavanla, i alguna mas piadosa
Del mal ageno de la compañera,
Que del suyo avisado, ò temerosa,
Llegavàse mui cerca, i la primera,
Que esto hazia, pagava su inocencia,
Con prision, ô con muerte lastimera.

Nam quæ humi fixa hærebat, unguibus prehendebat alteram, ut se liberaret; & hæc rursus aliam, quæ eadem ducta commiseratione ad eam juvan-

juvandam advolabat, ut una propter aliam, atque adeo perirent omnes. In quo etiam novitas casus locum habuit: interdum enim sola curiositas est, aut naturalis inquietudinis motus, quæ misericordia videtur. In miseriis & acerbitatibus exterorum Principum non improbo, ad eorum lamenta & voces, commoveri cor & oculos commiserationis affectu, immo interdum & officia; nolim tamen ad eorundem defensionem leviter armari manus. Vt quis privatus in alterius gratiam periculum subeat, egregium facinus est, & laude dignum; at reprehendendum in Principe, si salutem publicam adducat in discrimen pro salute alterius Principis, sine sufficienti emolumento, & ratione status; nec satis sunt eæ, quas propinqua cognatio secum adfert, aut singularis forte amicitia: nam Princeps ad Subditorum utilitatem natus est prius, quam Consanguineorum, & Amicorum. Opitulari his poterit, sed absque damno & periculo aliquo graviori. Quando præstitum alteri auxilium tàm commune facit periculum, ut ruina unius secum trahat alterius exitium, nulla est obligationis caussa, nec ulla tanta in alios pietas, quæ illam excusare queat. Veruntamen quando commoda aut detrimenta ita nexa sunt inter se, ut utriusque res agi videatur, quia uno pereunte alteri quoque pereundum esset, caussam suam facit, quisquis auxilio præsto est; estque major prudentia (ut diximus) periculo sese in alieno Statu opponere, quam expectare illud in proprio. Quod si etiam quietis & tranquillitatis publicæ interfuerit, oppresso ferre præsidium, omnino facere id debet Princeps potentior: Iustitia enim inter Principes ad tribunal ordinarium confugere non potest; sed in auctoritate & potentia Supremi illud invenit. In tali casu tyrannis quædam erit, otiose spectare tantum, & locum dare illi politicæ, quæ alios Principes exerceri exoptat, ut eorum dissensionibus ipsa securior sit, aut eorundem ruinis majorem sibi fabricetur fortunam. Nam supremus ille internarum mentis affectionum judex & arbiter severissime illas castigare *a* solet.

In istiusmodi casibus magna adhibenda est prudentia, etiam atque etiam ponderando, num aliorum se implicare difficultatibus, è republica futurum sit, ne temere alienum periculum faciamus nostrum, aut plane in eo nosmetipsos consumamus: nam postea præsidium mutuum sperare haud licebit. Hispaniæ sic accidit, quæ fortem afflicti imperii miserata, & sanguine suo & opibus illi tulit suppetias, unde ortum habuere tot bella & armorum incursiones, quibus Francia deinde Italiam, Provincias Belgicas, Burgundiam & Hispaniam impetiit, & licet nunc in hanc Monarchiam tota fere belli moles incumbat, non

 omnes

a Eos, quos ignavia, aut calliditas prava, ut alienis laboribus tuti essent, armis abstinuit, acerbissimas pœnas solvisse. Sallust.

omnes tamen in Germania id grati agnoſcunt, neque cogitant, ſua cauſſâ id accidiſſe.

§. Experientia igitur tam in propriis, quam alienis damnis cautiores reddere nos poteſt in commiſeratione, & promptitudine ferendi auxilia aliis. Quoties nos ipſi perdidimus, atque una amicum, quia afflictæ illius fortunæ ultro, nec conſiderate ſatis, remedium adferre voluimus, quem ingratum pro tanto beneficio poſtea experti ſumus! Quoties in Principis incurrerunt odium etiam ii, qui noctes, & dies elaborarunt in eo, ut ſingula aliqua ei præſtarent obſequia. Germanicus à Tiberio adoptatus erat in filium, deſtinatus ut eidem in imperio ſuccederet, tam cultui ejus addictus, ut cum legiones ipſi offerrent Imperium, perinde illud acciperet, a *quaſi ſcelere contaminaretur*; cumque urgeretur inſtantius *ille moriturum potius, quam fidem exueret, clamitans ferrum è latere diripuit, elatumque deferebat in pectus:* & quo ſe gerebat in omnibus fideliorem, eò minus placebat Tiberio. Illa ipſa, ejus ſolertia, quod pecuniarum largitione Pannonicas legiones compoſuiſſet, Tiberii animum habebat *b* ſollicitum. Pietatem ejuſdem in reliquiis Vari & militum legendis, juſtiſque perſolvendis, Imperii ambitionem *c* ille interpretabatur. Miſericordia uxoris ipſius Agrippinæ milites veſtientis, dominandi videbatur *d* cupiditas, *cuncta Germanici in deterius trahenti* ſuboluit odium iſtud Germanicum, & quod honoris ſpecie à Germaniæ gloria arceretur: quare *e quanta ſumma ſpei propior, tanto ille impenſius pro Tiberio niti* cœpit; hoc ipſum tamen magis eum reddebat exoſum donec oppreſſa tandem ab onere obligationis gratitudine, *f novis Provinciis impoſitum dolo ſimul, & caſibus objectaret*, ubi Piſone opitulante venenum ei porrexit, ſuam arbitratus proſperitatem mortem illius, qui columna *g* Imperii ejus fuerat. Nonnulli Principes velut idola ſunt, quorum *oculi* (ut advertit Ieremias) *h pleni ſunt pulvere à pedibus introeuntium*, ad cultum iis exhibendum, nec agnoſcunt obſequia; & quod pejus eſt, nec vinci iis volunt, nec libertatem ſuam ſubjectam eſſe merito, adeoque variis procurant artificiis, ne eam cuiquam obſtrictam habeant. Qui majori exhibuit obſequia, ei neſcio quæ non crimina imputant, ut loco ſperatæ compenſationis purgatione delictorum potius opus habeat, adeoque in præmio numeret, ſi à culpa immunis declaretur. Præ ſe ferunt inſuper, non ſatisfactum ſibi iis obſequiis, quæ tamen ipſi intus & in animo vehementer probant; eo ſolum

a Tacit. lib. 1. Annal.

b Tacit. ibid.

c *Sed quod largiendis pecuniis, & miſſione feſtinata favorem militum quæſiviſſet, bellica quoque Germanici gloria angebatur.* Ibid.

d *Quod Tiberio haud probatum.* Ib.

e Tacit. ibid.

f *Tiberii animum altius penetravit.* Ibid.

g *Nam Germanici mortem inter proſpera ducebant.* Tac. l. 4. Annal.

h Baruc. 6, 16.

lum nomine, ne obligati maneant, aut ea mandatis suis tribuunt. Ex quo fit interdum, ut illud etiam ipsum, quod tantopere cupiebant, & fieri jusserant, obtinuisse eos pœniteat postea, immo graviter succenseant ei, qui ad ea suam contulit operam, tanquam si auctoritate propria id fecisset. a *Cor Regum inscrutabile*, pelagus profundum, & varium, quod à caussa eadem effervescit hodie, à qua heri summe tranquillum erat. Animi bona, & fortunam, opes & honores nunc recensent in meritis, nunc injuriæ, & criminis loco b habent. Diligentia sedula facile illis creat fastidium. Quin & penes Deum periculosa fuit illa c Ozæ, cum labanti arcæ suos subjiceret humeros: nam morte ipsa factum hoc luit. Quid? quod Principes magis fere officia neglecta remunerari soleant, quam curata probe & gnaviter; sicut & plerumque majori eum honore prosequuntur, qui minus obsequiis suis id est promeritus. Obligari aliis, servitutem autumant, & minus oneri ducunt ingratitudinem, quam gratiarum redhibitionem; promptum serviendi studium, & liberalitas, quibus Iunius Blæsus erga Vitellium Imperatorem usus est, gratiæ loco odium illi d peperere. Abiit insignis ille heros Rogerius, Militiæ Magister, gente Catalaunus, qui Fadrico Regi Siciliæ fuerat auxilio, evocatus sub Andronico Imperat. ut ejus tueretur Imperium. Et vero egregie illud præstitit, cum forti sua Catalaunorum natione, licet numero exigua. Hostiles Turcarum incursiones represserunt, & ecce cum tantarum victoriarum ipse speret præmium, jubet illum Imperator levissimam ob caussam supplicio affici. Ita sæpe numero minima aliqua offensio, aut irritatio plus potest, quam maxima etiam beneficia: siquidem gratitudinis affectu onus sibi imponi existimat animus; vindicta vero bilem exonerat. Isthæc infelicitas est in famulatu Principum, ut e *nesciat homo, utrum amore, an odio dignus sit*. Et si ex eo, quod Historiæ nos docent, & ex damnis, quæ ob promptam serviendi voluntatem sæpe incurrimus, formanda nobis esset Politica aliqua, opus foret distinguere inter virtutes, ut sciremus, quomodo uti illis oporteret, absque nostro dispendio, considerando quod etsi omnes existant in nobis, tanquam in subjecto suo proprio, non tamen omnes intra nosmet operentur: quædam enim exercitio suo foras in apertum prodeunt; aliæ

a Prov. 25. 3.

b *Nobilitas, opes, omissi gestique honores pro crimine, & ob virtutes certissimum exitium.* Tacit. lib. 1. Hist.

c *Extendit Oza manum ad arcam Dei, & tenuit eam: quoniam calcitrabant boves, & declinaverunt eam. Iratusque est Dominus indignatione contra Ozam, & percussit eum super temeritate: & mortuus est ibi juxta arcam Dei.* 2 Reg. 6. 6.

d *Donec Lugdunensis Galliæ Rector, genere illustri, largus animo, & par opibus, circumdaret Principi ministeria, comitaretur liberaliter, eo ipso ingratus, quamvis odium Vitellius vernilibus blanditiis velaret*, Tacit. lib. 2. Hist.

e Eccles. 9. 1.

aliæ vero intus & in solo animo vim suam exerunt. Tales sunt Fortitudo, Patientia, Modestia, Demissio, Religio, & aliæ; è quarum numero aliquæ ita pro nobis sunt solum, ut ad eas illæ, quæ foras tendunt, nihil conferant aliud, quam securitatem pro humana societate, & existimationem propter suam præstantiam, uti in Demissione animi, in Modestia, & in Benignitate accidit; atque adeo quo Virtutum istarum perfectio fuerit major, eo magis aliorum nobis conciliabit animos, & plausum merebitur, modo decorum servare noverimus. Aliæ istarum Virtutum, etsi intra nos operentur in casibus propriis, exercitium tamen earum etiam ab actionibus alienis dependere solet, uti Fortitudo, & Magnanimitas. In his nihil est periculi, si eas moderetur prudentia, quæ gratiam, & modum Virtutibus tribuit: nam gravitas nimia & imprudens commodis nostris plerumque officit, dum specie existimationis, & gloriæ nos ipsi perdimus, & interim præmium & plausum ferunt alii, cui in obsequiis præstandis Tempori, Necessitati, & Assentationi magis servierint.

In illarum Virtutum exercitio, quæ circa alienum bonum versantur, quales sunt Generositas, & Misericordia, semper fere periculi aliquid est, aut damni: neque enim iis respondere solet præmium Principum, neque favor, & benevolentia mutua Amicorum, eorumve, qui nobis sanguine conjuncti sunt: immo dum certo confidimus fore, ut Amici nostra æstiment obsequia, & vicissim nostris in periculis vita, fortunisque suis nobis auxilio sint, in errorem istum nos induxit obligatio propria, cui ut faciamus satis, nostri sæpe obliviscimur exitii. Interim si in calamitatem aliquam nos incidere contigerit, subducunt sese illi, & nos destituunt. Ad Iobum cum omni malorum genere acerbe conflictantem soli tres amici inviserunt, & quidem à Deo *a* moniti, nec opere tamen, & reipsa eidem venere subsidio, sed verbis duntaxat, & monitionibus asperis, quibus patientiam ejus egregie exercebant. Postquam vero Deus eundem iterum respexisset benignius, & bonis omnibus denuo cœpisset cumulare, undique ad eum concurrerunt non consanguinei solum, sed ii etiam, qui eum non nisi à facie noverant, & mensæ ejus accubuerant, ut tantarum prosperitatum participes *b* fierent.

Error iste sub specie boni, & auxilii mutui, ac obligationis multos in ruinam dedit præcipites, qui cum beneficia inter alios seminassent, non nisi ingratitudinem & odia

a *Audientes tres amici Iob omne malum, quod accidisset ei, venerunt, sicut locutus fuerat Dominus ad eos.* Iob. 2. 11.

b *Venerunt autem ad eum omnes fratres sui, & universæ sorores suæ, & cuncti qui noverant eum prius, & comederunt cum eo panem in domo ejus.* Iob. 42. 11.

odia messuerunt postea, hostes experiundo, quos amicos ante habuerant, ita ut viverent deinceps, & morerentur infelices. Spiritus sancti divinum oraculum est: a *Fili mi, si spoponderis pro amico tuo, defixisti apud extraneum manum tuam: illaqueatus es verbis oris tui, & captus propriis sermonibus.* Nosque exhortatur, ut oculos semper apertos habeamus, & caveamus nobis ab amici manibus, quomodo sibi cavet damula, aut avis à manibus b Venatoris. *Bene age, & cave tibi*, Castellanum proverbium est, ab experientia natum. Non hoc illorum est, qui sibi solum vivunt, nec Misericordia aut Charitate moveri se sinunt, ut malis alienis remedium adferant. Obsurdescunt penitus, & cœci fiunt ad gemitus aliorum & infaustos casus, omnem fugientes occasionem sese illis immiscendi, quo fit, ut à curis & molestiis immunes sint ac liberi, & si novos sibi non concilient amicos, servant tamen eos, quos habent. Non inclarescent ex eo, quod in aliorum faciunt gratiam, sed quod facere intermittunt potius, nam alii id prudentiæ tribuent. Præterquam quod communiter pluris æstimare soleamus eum, qui nostra non eget opera, nosque despiciens, sua ipsius sorte contentus vivit. Vnde perspectis ordinariis hominum moribus, consultius forte videri posset, calamitates aliorum otiose spectare solum, & dissimulare, ad utilitatem propriam animum semper reflectendo, nec illam periculis & casibus alienis commiscere. Verum isthæc Politica contraria esset obligationi Christianæ, humanæ charitati, & aliis pluribus honestissimis virtutibus, quæ propius nos ad Deum faciunt accedere. Ista, inquam, Politica omnem dissolveret civilem societatem, quæ in eo posita est, ut quisque & sibi vivat, & aliis. Virtus exterioribus signis & testimoniis non indiget, c *sibimet pulcherrima merces.* Quin tanto amplius ejus perfectio enitescit, & gloria, quanto minus ei rependitur mutuum: nam bene facere ob solam spem retributionis, avaritiæ quædam species est; & si illa obtineri non possit, gravi dolore conficitur animus. Illud ergo stimulo nobis sit, quod nobis ipsis debemus, uti & exemplum Dei infinite boni, qui sua semper dispertit beneficia, in eos etiam, qui minus gratos se exhibent. Prudentiæ tamen est tempori advertere, ubi & quando benevolentia reciproca sperari non potest: infelix enim est, qui postquam grandes fecit sumptus, & difficultatibus ac periculis alienis sese objectavit, parem præstolatur gratiam, & non nisi ingratitudinem reportat. Qui natutam, & mores hominum ordinarios noverit, ei id nininime mirum videbitur aut insolens, cumque ante illud præviderit, adversus hunc ictum muniet animum, ne fraudi sibi eares esse possit.

a Prov. 6. 1.

b *Eruere quasi damula de manu, & quasi avis de insidiis aucupis.* Prov. 6. 5.

c Silius l. 13.

§. Nunc illud etiam diligenter considerandum, num è re amici sit, nec ne, si ejus defensionem velimus suscipere: interdum enim plus officimus hac nostra opitulandi promptitudine, quia aut importuna est, aut imprudens, dum placere aliis cupimus, & officiosi videri, qua re illos juxta ac nos perdimus. Hoc placendi studium suo plerunque auctori noxium compescuit Thraseas (etsi in suum id est favorem) in Rustico Aruleno, a *ne vana, & reo non profutura, intercessori exitiosa inciperet*.

§. Nec minus imprudens, & periculosus est zelus boni publici, & rerum à Principe bene agendarum, tum præsertim, cum nec ex officii obligatione, nec certa spe remedii, non rogati immiscemus nos ejus negotiis ac commodis, cum evidenti nostro periculo. Non ego illud nunc volo, ut damni alieni otiosi spectatores simus, neque ut silentium nostrum, aut quies tyrannidi, & tempori turpiter serviat; sed ne imprudenter nosmetipsi perdamus, & ut Lucii Pisonis insistamus vestigiis, qui temporibus difficillimis, & maxime calamitosis semetipsum tanta prudentia conservavit, b *ut nullius servilis sententiæ sponte autor, & quoties necessitas ingrueret, sapienter ea moderaretur.* Sæpe in antecessum consilia damus de iis quæ ad nos non pertinent, persuasi in illis remedium malorum publicorum consistere; neque advertimus tamen, nos facillime decipi amore proprio nostratum opinionum, absque notitia particulari earum rationum, quibus ducuntur Principes, quæve in ipso facto occurrunt. Nihil magis periculosum, quam aliis velle consilia dare. Etiam qui ex officio tenetur, vitare illud debet, si non rogetur: consilia enim ex eventu æstimari solent, qui pendet à casibus futuris, quos prudentia prævertere non potest, & quod succedit male, Consiliario tribuitur: non illud vero, quod feliciter evenit.

a Tac. l. 16. Annal.

b Idem l. 6. Annal.

SYMBOLVM XLVIII.

Quam ab armis instructi sunt Principes adversus externos hostes! quam inermes adversus domesticos! Inter ipsos satellitum enses eos comitantur, nec advertunt tamen. Isti adulatores sunt, & assentatores: nec minus periculi est ab eorum blanditiis, quam ab armis hostium. Plures sane Principes adulatio, quam ipsa vis in ruinam impulit. Quam regiam purpuram non arrodit ista tinea? ecquod sceptrum teredo illa non exedit? In altissimam etiam cedrum sese insinuat, & corrosa sensim ejus medulla, eam denique humi sternit. Damnum est, quod non nisi ipsa ruina sese prodit. Prius effectus illius incurrit in oculos, quam ejusdem caussa. Ementitus bombyx, qui deaurata



rata Palatiorum laquearia incolit. Stellioni ſtellis variis per dorſum diſtincto, & venenato pectore eam Emblema præſens comparat, ſub ſtellato zeli pallio, quo perniciosos ſuos fines contegit, ſe exhibet *a* Principi. Illud ſciat inprimis, non omnem lucem Naturæ optimæ eſſe indicem: nam & in ſacra Scriptura lepræ ea *b* ſignum eſt. Et ligna putrida lumen aliquod ſub noctem ſolent fundere. E perniciosa mente aliquæ boni ſtricturæ emicant. Interdum intra ipſa ſeveritatis viſcera, quæ libertatis eſt amica, & contraria Principi, ſerviliter ſeſe abdit

M 5

a *Væ qui dicitis malum bonum, & bonum malum; ponentes tenebras lucem, & lucem tenebras.* Iſa.5.20.

b *Aut quaſi lucens quippiam, id eſt plaga lepræ.* Levit.13.2.

dit ostentatio. Valerius Messalla sic fecit, quando auctor fuit, ut quotannis obedientiæ sacramentum innovaretur Tiberio: rogatusque cujus jussu ista proponeret: a *sponte dixisse, Respondit, neque in iis quæ ad Rempublicam pertinerent, consilio nisi suo usurum, vel cum periculo offensionis, quæ sola species adulandi supererat.* Huic non longe absimilis fuit adulatio illla Ateii, quando accusato Lucio Ennio, quod argenteam Tiberii statuam destruxisset, ut varia supellectilia inde effingeret, nolenteque ipsoTiberio accusationem admittere, palam sese illi opposuit, dicens: b *non debere eripi Patribus vim statuendi; neque tantum maleficium impune habendum. Sane lentius in suo dolore esset; Reipublicæ injurias ne largiretur.*

§. Stellio pellem mutat in annos singulos: cum tempore consilia sua adulatio, quoties nimirum Princeps voluntatis suæ affectum variat. c Regi Alphonso Decimo Ministri ejus primum auctores fuerant, ut Reginam Violantem ob infœcunditatem abs se dimitteret, matrimonium irritum caussati, quod postea iidem mutatis sententiis ratum habuere, suaseruntque Regi, ut eandem ad thori societatem revocaret.

§. Nullum animal magis fraudulentum quam stellio; unde & Iurisperiti omne delictum ex fraude crimen stellionatus appellant. Ecquis majoribus utitur dolis, ac assentator, qui nunquam non voluntati ponit laqueos, nobilissimæ hominis facultati, tamque principali, ut sine illa sensus omnes sub jugo servitutis sint.

§. Non enecat eum Stellio, quem inficit, sed torpore solum omnia ejus membra corripit, eumque à seipso quodammodo avocat, varios in eo affectus excitando. Adulatori hoc proprium est, qui varia boni specie fascinat oculos, & decipit aures Principis, aut eum quasi extra se abripit, ut rerum veritatem dispicere nequeat. Stellio tam hominibus infensus est, ut cum pellem exuit, eam ipse devoret, ne cuiquam contra comitialem morbum usui & remedio sit. Adulator ferre non sustinet, ut Princeps ab erroribus suis convalescat: erroris enim agnitio filia est veritatis: hæc vero assentationi inimica. Adulatio prosperitatibus Principis invidet, eumque execratur, & odio habet, tanquam qui potentia sua & necessitate quadam istud adulationis, dissimulationisque imponat jugum, & cogat quodammodo aliud clausum gerere in pectore, aliud ore proloqui.

§. Singulari prudentia opus est in Principe, ut adulationem sciat discernere: ea namque in laudibus consistit, quas Princeps audiet interdum ab iis etiam, qui ab assentandi vitio quam longissime absunt. Illud discrimen est, quod adulator promiscue honesta atque inhonesta, proba ac improba laudare soleat; ii alii vero id solum, quod rectum ac bonum est.

a Tac. l. 1. Annal.
b idem. l. 3. Annal.
c Mar.hist. Hisp.lib.18. c.9.

eft. Si ergo viderit Princeps, ea fibi adulatorie tribui, quæ aut aliis debentur, aut cafu *a* evenerunt: laudari res leves, quæ laudem non merentur: ea, quæ voluptati funt potius, quam honori; ea, quæ à negotiorum moleftiis fevocant Principis animum: ea, quæ magis commoda ejus propria fpectant, quam bonum publicum; & tamen fic laudantem, non feipfum rite moderari: non triftitia affici, nec commonere Principem, fi quid indecens, & perfona fua ac majeftate indignum eum committere viderit: immo errores ejus, ac vitia excufare: magis deinde fuæ propriæ ftudere fortunæ, quam obfequio Principis: omnem illius diffimulare offenfionem, & faftidium, ut individuus comes lateri femper hæreat: non adjungere fefe ad viros feveros, & boni publici amantes: laudare eos, quos judicat erga fe gratos fore, dum eos è Principis gratia exturbare non poteft: poftquam vero de hac fecurus fuerit, & Principem in fua habuerit poteftate, elaborare, ut aliorum fibi conciliet animos, omnes meliores fucceffus fibi tribuendo, & incufando Principem, quod confiliis fuis noluerit obfequi: jactare item majoris auctoritatis comparandæ cauffa apud extraneos, fe errata ejus reprehendiffe, cum interim in fecreto ea excufet, laudet & probet; facile hunc talem non nifi adulatorem effe licebit agnofcere, qui fugiendus Principi haud fecus, ac peftilentiffimum venenum, & fincero ifti amori, qui ei debetur à fubditis omnino *b* contrarium.

Verum tametfi hæc indicia fatis fint manifefta, folet tamen amor proprius tam effe cœcus, ut adulationem haud agnofcat; fed capi fe finat fuis laudibus, quæ nefcio quam fuavem in fenfus exercent tyrannidem, adeo ut nulla tam fit enormis, quam Principes non credant fuis deberi meritis. Accidit hoc interdum ex remiffa quadam & fegni bonitate, quæ affentationis damna non fatis expendens eam tolerat; quin immo fubmiffionem interpretatur, & affectum optimum. *c* Quo in genere peccarunt Rex Galæciæ Ferdinandus, fuis omnibus invifus, quod affentatoribus nimis faciles aures daret; & Rex Alphonfus Nonus, qui eandem ob cauffam virtutum fuarum, & præclare factorum gloriam haud parum obfcuravit. Advertant igitur Principes, fe forte ab amore proprio, aut innata bonitate fic decipi, ut datis etiam fufficientibus indiciis, adulationem agnofcere nequeant, atque adeo, ut in notitiam illius veniant, fefeque ab ea liberent, hiftorias fuaferim evolvant, & obfervent in Anteceffforibus fuis aliifque artificia ifta & fraudes, quibus circum-

 venti

a *Popule mi, qui te beatum dicunt, ipfi te decipiunt, & viam greffuum tuorum diffipant*, Ifa. 3. 12.

b *Blanditiæ peffimum veri affectus venenum: fua cuique utilitas.* Tac. l. 1. Hiftor.

c Mar. hift. Hifp. l. 12. c. 15.

venti fuerunt ab adulatoribus, damna, quæ incurrerunt, & considerent deinde, num eodem modo secum quoque nunc agatur. Vnica sola vice, cum Assuerus Rex noctem insomnis traduceret, juberetque annales suorum temporum sibi prælegi, mox illi aperuerunt; quod nemo aliorum fuisset ausus, intellexitque technas & tyrannides amici sui Amani, *a* quem unice ferebat in oculis & præstita à Mardochæo fidelitatis obsequia; illas quidem per adulationem hactenus occultatas; hæc vero per malitiam pressa silentio: tunc autem re comperta unum supplicio jussit affici, alterum præmio. Attamen in hac ipsa etiam lectione attendant oportet, ne fors adulatio larvam induat; legant ipsimet historias: fieri enim posset, ut si legeret alius, silens præteriret eos casus, qui erudire deberent Principem, aut clausulas quasdam & verba immutaret. O infelicem Majestatis sortem, quæ nec secura esse potest de veritate librorum, qui tamen amici hominum habendi sunt fidelissimi.

§. Iam illud etiam curat Princeps, ut si qui contra eum libelli infames eduntur in lucem, ad suas manus perveniant: etsi enim illos dictet malitia, veritatem tamen scribunt, & reperiet in iis, quæ aulici solent silentio premere, evadetque prudentior sua propria infamia. Videns aliquando Tiberius, quam in eo fuerit deceptus, quod Sejani malitiam cum tempore penetrare non potuerit, b *qua ab haredibus occultata*, publice *recitari jussit: patientiam libertatis aliena ostentans, & contemptor sua infamia; an scelerum Sejani diu nescius, mox quoquomodo dicta vulgari malebat, veritatisque, cui adulatio officit per probra saltem gnarus fieri.*

§. Non semper actiones suas contempletur Princeps in speculo eorum, quos circa se habet; alios extraneos potius consulat viros zelosos & severos, & attendat, num una eademque omnium sit approbatio: nam assentationis specula ob varias & inconstantes formas nunquam species offerunt oculis, quales ipsæ sunt in se, sed quales esse optaret Princeps; & c *melius est à sapiente corripi, quam stultorum adulatione decipi.* Ad eum finem necessarium est, ut nunc hos, nunc illos interroget, & verecundia omni, ac metu liberet, ponendo eis ob oculos obligationem, qua veritatem eloqui teneantur. Etiam Samuel libere edicere ausus non fuit coram *d* Heli sacerdote, quæ Deus ipsi præceperat, donec ipse fuisset *e* sciscitatus.

§. Consideret se porro Princeps etiam in vulgi speculo, in quo ne minima inest macula, quæ non confestim appareat; nescit enim dissimulare multitudo. Ludovicus

a Esth. c. 6.

b Tacit. l. 6. Annal.

c Eccl. 7. 6.

d *Et Samuel timebat indicare visionem Heli.* 1 Reg. 3. 15.

e *Et interrogavit eum: Quis est sermo, quem locutus est Dominus ad te?* ibid. v. 17.

eus Quartus Franciæ Rex ementito habitu vulgari plebeculæ sese commiscebat, ut audiret, quæ de suis actionibus & gubernandi ratione illi dicerent. In compita publica prodeundum est, ut veritatem invenias. Rem unicam palatio suo deesse querebatur Ludovicus XI. Franciæ Rex, veritatem nimirum. Nimis modesta ea est, nec apta ad mores aulicos: quin has ipsas aulas refugit, ne confundatur in præsentia regia. Ea de caussa Rex Saul Pythonissam consulturus mutavit habitum, ut tanto sibi responderet liberius, atque adeo ille ipse quæstionem ei proposuit, nec alterius fidei rem istam committere *a* voluit. Idem Ieroboamus quoque observavit, quando uxorem suam ablegans ad Prophetam Achiam, ut intelligeret de infirmitate filii, eidem præcepit vestimenta commutare, ne si forsan eam agnosceret, aut non responderet, aut veritatem non *b* diceret. Cum ea igitur intra privata Principum conclavia reperiri non possit, industria opus est, ad eam alibi indagandam. c *Gloria Regum, investigare sermonem.* Rex Philippus II. famulo utebatur sibi in paucis charo, per quem rescisceret omnia, quæcunque de se intra & extra palatium alii loquerentur. Illud tamen observandum, populi sermones, qui Principe absente fiunt, licet è vero sint, si tamen ad aures ejus perferantur, vanos fore, & adulatorios; immo in caussa cur cæco quodam modo vitiorum suorum sequatur impetum, ex communi illo applausu sibi persuadendo actiones suas probari ab omnibus. Nullius gubernatio magis tyrannica unquam fuit, quam Tiberii; nullus Principi familiarior majori in odio, quam Sejanus; & tamen cum Capreis essent, d *crebris precibus efflagitabat* Senatus, *visendi sui copiam facerent.* Neronem sic misere decipiebant populi adulationes, ut plane crederet, eum absentiam suam ab urbe Roma ferre non posse; imaginabatur sibi nimirum e *vidisse civium mæstos vultus, audire secretas querimonias, quod tantum aditurus esset iter, cujus ne modicos quidem egressus tolerarent, sueti adversum fortuita aspectu Principis refoveri*; qui alias tam invisus erat, f ut *Senatus, & primores in incerto essent, procul, an coram atrocior haberetur.*

5. Essent præterea & alia media ad agnoscendam adulationem; sed pauci Principes iis uti cupiunt, quia affectibus eorum & appetitui naturali sese illa accommodat. Ita videmus in monetarum adulteratores animadverti acerbius, quam in assentatores, tametsi hi magis noceant: nam illi quidem monetarum leges violant; hi vero eas, quæ vitia prohibent, faciunt-

M 7 que

a Mutavit ergo habitum suum, vestitusque est aliis vestimentis, & abiit ipse. 1. Reg. 28. 8.

b Dixitque Ieroboam uxori suæ: Surge, & commuta habitum, ne cognoscaris, quod sis uxor Ieroboam. 3. Reg. 14. 2.

c Prov. 25. 2.

d Tac. lib. 4. Annal.

e Idem l. 15. Annal.

f Tacit. lib. 4. Annal.

que ut virtutis speciem induant. Grande illud damnum est, quod nunquam non culpatur, & semper tamen viget in aulis Principum, ubi minime secura est Veritas, præsertim a *apud aures superbas & offensioni proniores*. Ipsa morte luit Bernardus Cabrera, quod Petrum IV. b Regem Aragonium de rebus quibusdam amice monuisset, non obstantibus tot eximiis obsequiis, quæ præstiterat, aut quod Regem ipse moderator optimis moribus informasset. Qui alium monet, & instruit, actiones ejusdem videtur incusare, & judicio ac probitate se præferre alteri, quam eminentiam Principes ferre non sustinent; existimant enim non sat honoris sibi deferri ab eo, qui tam aperte iis loquitur. c Animo sincero, & candido Regi Petro Crudeli referebat Guterrius Fernandesius Toletanus, quid ipse de ejusdem gubernatione sentiret, hortabaturque, ut rigorem suum nimium moderaretur; quam monitionem præmio etiam dignam pro tanto delicto Rex habuit, ut ob libertatem istam capite illum plecti jusserit. Eum ut judicem veretur Princeps, qui actiones ejus observat, nec æquis intueri potest oculis, cui illæ probatæ non sunt: *Nam suadere Principi, quod oporteat, multi laboris & periculi*; d non illud, quod ipse ultro appetit. Quæ caussa est, cur timidior sit veritas, & adulatio audaciores sumat animos. Si quis tamen Princeps tam foret generosus, ut capi assentatione indecorum duceret, & contemptum arbitraretur, si fictis ad speciem laudibus eum conentur decipere alii, malintque cum ejus fortuna, quam persona loqui; e facile illud adulatorum genus arcebir, armando sese contra illos severitate: nemo enim talia audebit in Principem gravem ac serium, qui rerum veritatem intelligentia comprehendit, & honores vanos contemnere didicit. Tiberius eadem vultus constantia & libertatem Pisonis accepit, & Galli f adulationem. Et tametsi dissimularet, *intellexit* tamen ista verborum lenocinia, sicut & illa Ateji Capitonis, g *ut erant magis, quam ut dicebantur*. Remuneretur porro Princeps præmiis publicis eos, qui ingenue veritatem proloqui ausi fuerint. Fecit illud Clisthenes Siciliæ Tyrannus, qui cuidam suo consiliario statuam erexit, quod sibi, ne triumpharet, libere contradixisset; qua re mire universum sibi devinxit populum, aliisque suis Consiliariis addidit animos, ut liberius, quicquid sentirent, posthac edicerent. Rex Alphonsus Duodecimus de re magni momenti aliquando consulturus, manu dextra strictum ensem, læva sceptrum tenens, sic præsentes allocutus est: a *Agite*,

a Mar. hist. Hisp. lib. 17. cap. 7.
b Ibid. lib. 15. c idem. c. 4.
d Tac. l. 1. Histor.

e *Etiam ego, ac tu simplicissime inter nos hodie loquimur; cæteri libentius cum fortuna nostra, quam nobiscum.* Tacit. lib. 1. Histor.
f *Audiente hæc Tiberio, ac silente.* Idem lib. 2. Annal.
g Idem l. 3. Annal.

a *Agite, dicite omnes libere, quæ mens sit vestra, atque sententia, & consulite in medium, quæcunque ad majorem gladii hujus gloriam, & sceptri incrementum fuerint.* b *Rara temporum felicitate, ubi sentire, quæ velis, & quæ sentias, dicere licet.* Adulationis turpitudinem satis agnoscunt omnes; sed & omnes veritatis damna perspecta habent, videntque majus ab hac, quam ab illa sibi esse periculum. Quis non cum omni sinceritate & zelo loqueretur Principibus, si hos contingeret c Ioanni II. Lusitaniæ Regi esse similes; qui cuidam, nescio quam dignitatem petenti, fertur respondisse, se quidem eam jam pridem alteri fideli Ministro suo destinasse, qui nunquam ea sibi loqueretur, quæ aures solum demulcerent, sed quæ ad majus suum obsequium, & Regni utilitatem facerent. Verum nonnisi in pauculis generosam istam sinceritatem inveneris; omnes fere Regis Achabi mores imitantur, qui cum Prophetas vocasset in consilium, Michæam exclusum voluit, quem eo nomine invisum habebat, quod mala semper, nunquam boni aliquid sibi d vaticinaretur. Hæc caussa est, cur multi Ministri sæpe non leve periculum adeant, si zelo aliquo ducti per solam etiam conjecturam loqui velint de damnis imminentibus, ut opportuno remedio illis tempestive occurratur: ita enim fere comparati sunt Principes, ut prorsus ignorare ea malint, quam anticipato metuere. Aptissimas habent aures ad concentum Musicum; dissonas vero impendentium calamitatum voces ferre non sustinent. Vnde porro fit, ut concionatores, & conscientiarum suarum arbitros eligant, quæ prædicent & dicant solum, quæ ipsi e volunt; non quod Deus inspirat, uti Propheta Micheas f faciebat. Quid mirum igitur, si absque veritatis luce aberrent à via, & pessum eant?

5. Si à prudentia instructi essent, qui veritatem loqui volunt Principi, haud dubie pluris illam faceret, quam inanes assentatiunculas; at perpauci tempestive uti ea norunt cum suavitate, atque eo modo, ac decet. Omnes fere in dicendo liberiores, asperi simul sunt, & communiter offendit Principem vultus nimis serius, & armatus à veritate: g *quædam enim virtutes odio sunt, severitas obstinata, invictus adversus gratiam animus.* Nempe Principes contemni se putent, si contemnantur artes, quibus eorum favor & bona gratia parari solet: existimant enim, qui isti rei non studet, nec subditum se agnoscere, nec Principum opera indigere. Qui superior est, phlebotomo, aut novacula veritatis utitur, ad curandum Inferiorem; hic vero solo cauterio, quod absque dolore quasi enecat & exe-

a Mar. hist. Hisp.
b Tac. lib. 1. Hist.
c Mar. Hist. Hisp.
d *Sed ego odi eum, quia non prophetat mihi bonum, sed malum.* 3. Reg. 22, 8.

e *Ad sua desideria coacervabunt sibi magistros.* 2. Tim. 4. 3.
f *Quodcunque dixerit mihi Deus meus, hoc loquar.* 2. Paral. 18. 13.
g Tacit. l. 15. Annal.

exedit, quod in Superiore vitiosum est. Offendere veritatibus, quæ nec tempus, nec modum servant, malitia potius est, quam zelus; audacia magis, quam admonitio. Quid? quod etiam Deus, quæ dicenda sunt, singulari cum prudentia & moderatione Principibus manifestet: nam etsi per Iosephum & Danielem quædam de calamitatibus futuris Pharaoni & Nabuchodonosori denuntiare potuisset; per quietem tamen id facere maluit, dum sensus sopiti essent, & Majestas quasi sepulta [a] somno, nec clare tunc quidem, sed per figuras & hieroglyphica, ut certum interpretationis tempus intercurreret, ad cavendum terrorem nimium, & consternationem subitam, uti & periculum Ministrorum, si non rogati hæc talia iis [b] indicassent. Satis sit Ministro, si Princeps in notitiam eorum deveniat, & si solis signis id possit efficere, verbis ad eam rem ne utatur. Reperiuntur tamen nonnulli adeo imprudentes, & sinistræ intentionis, ut veritatem nude eloqui, & malorum nuntiorum auctores esse & bajuli nil vereantur. Discant hi ex iis, quæ Regi Balthasari quondam evenere; cui manus illa, quæ capitalem mortis sententiam ei in supremo pariete exhibebat, non totam sese spectandam dedit, sed solos digitos; immo nec digitos, sed extremos eorum articulos duntaxat: ita ut nequaquam appareret, à quo regerentur; nec lucente sole, sed sub noctem, scribentes decretoriam illam sententiam ad candelabri lucem, & in pariete [c] dubio, ejusmodi literis, ut non nisi interjecto temporis spatio legi posset & intelligi.

Dummodo ergo intentio bona sit, & prudentiam habeat comitem, facile erit medio & securo incedere itinere inter adulationis servitutem, & contumaciam veritatis. Omnes enim hæ dici possunt, si quis recte eas dicere noverit, emendationem solum præ oculis habendo: quomodo [d] *moderatione, prudentiaque Agricola* iracundus Domitiani animus *leniebatur*, *quia non contumacia, neque inani jactatione libertatis famam fatumque provocabat.* Qui cum obsequio & modestia generositatem & industriam miscuerit, etiam inter Principes malos securus degere [e] poterit, & gloriosus præ iis, qui nimia famæ cupiditate stulte semetipsi prodiderunt, absque ullo Reipublicæ emolumento. Isthac consideratione moderatus est *pleraque* Marcus Lepidus, [f] *& ab sævis adulationibus aliorum in melius flexit: neque tamen temperamenti egebat,* cum

a *Evigilans, rursus sopore depressus, vidi somnium.* Gen. 41. 22. *Somnium vidi, quod perterruit me: & cogitationes meæ in strato meo, & visiones capitis mei conturbaverunt me.* Dan. 4. 2.

b *Cui ille ait: Vidi somnia, nec est qui edisserat: quæ audivi te sapientissime conjicere.* Gen. 41. 15.

c *Apparuerunt digiti quasi manus hominis scribentis contra candelabrum in superficie parietis aulæ regiæ: & Rex aspiciebat articulos manus scribentis.* Dan. 5. 5.

d Tacit. in vita Agric.

e *Posse etiam sub malis Principibus magnos viros esse.* Idem in vita Agric.

f Idem lib. 4. Annal.

cum æquabili auctoritate, & gratia apud Tiberium viguerit. Exiit senatu *Thrasea Patus silentio, vel brevi assensu priores adulationes transmittere solitus.* Cum in Tiberii gratiam decerneretur, a *dies Natalis Agrippina inter nefastos esset.* Quid effecit tamen? nocuit Senatui, *sibi caussam periculi fecit, cæteris libertatis initium non præbuit.*

5. In illis plus periculi habet veritas, qui dum adulatores esse fugiunt; liberi tamen videri volunt, & ingeniosi, adeoque b *acerbis facetiis* facta & vitia Principum perstringunt, *quarum apud Præpotentes in longum memoria est*, maxime si ex vero sint: uti Neroni cum Vestino accidit, quem jussit interfici, quod scelera sua ejus libertati odio c essent. Veritatem propalare, ut mala gubernandi ratio publicetur potius, quam corrigatur, libertas quædam est, quæ admonitio videtur, & est obtrectatio; zelus videtur, & malitia est. Nec minus pestilentem hanc judico, quam ipsam assentationem; d nam si *adulationi fœdum crimen servitutis, malignitati falsa species libertatis inest.* Hinc prudentiores Principes tam libertatem, quam nimias blanditias metuunt: neutrum quippe periculo vacat, atque adeo utrumque extremum fugiendum, uti Tiberii temporibus accidebat, e *quando angusta & lubrica oratio sub Principe, qui libertatem metuebat, adulationem oderat.* Illud tamen certum, aliquid dandum adulationi, ut veritati locus sit. In nulla omnino re blandiri, est accusare omnia, & in gubernatione f *corruptis moribus, perinde anceps, si nulla, & ubi nimia est ostentatio.* Desperata omnino foret Respublica, & sine omni remedio. Princeps crudelis evaderet, si nec veritas, nec adulatio quicquam in eum auderent. Aspidi esset similis, si aures obturaret ad illius blanditias, qui eum cum prudenti moderatione ad honestiora vellet g impellere. Cum his talibus comminatus est Deus per Ieremiam Prophetam Populo Hierosolymitano. h *Ego mittam vobis serpentes regulos, quibus non est incantatio: & mordebunt vos.* Ferox animus est, qui ad suavem & modestam aliquam adulationem passiones suas non deponit, & consilia saniora una cum illa suaviter proposita respuit. Quia enim amarior solet esse veritas, opus est labra calicis dulcedine aliqua illinere, ut Principes avidius eam hauriant. Audire eas nolunt, si siccæ sint, quin immo iis auditis pejores fiunt. i Tiberius *Cæsar objectam sibi adversus reos inclementiam eo pervicacius amplexus fuit.* Expedit interdum commendare in iis egregia quædam facinora, tanquam si ea patrassent, ut

a Tacit. lib.14. Annal.
b Idem l.5. Annal.
c *Sæpe asperis facetiis illusus, quæ ubi multum ex vero traxere, acrem sui memoriam relinquunt.* Tacit. lib. 15. Annal
d Idem l.1. Hist.
e Idem l.2. Annal.
f Idem lib.4. Annal.
g *Furor illis secundum similitudinem serpentis: sicut aspidis surdæ, & obturantis aures suas. Quæ non exaudiet vocem incantantium, & venefici incantantis sapienter.* Psal. 57.5. & 6.
h Ier.8.17. i Tac.l.4.Annal.

ut ad ea patranda incitentur; aut in laudanda fortitudine, & virtute modum aliquantulum excedere, ut tanto amplius in iis crescant: his enim blanditiis magis ad honestiora inflammatur animus, quam assentatione. Nec alio modo, referente Tacito, Senatus Romanus usus est cum Nerone, sub initium suscepti ab eo imperii a *quam magnis Patrum laudibus, ut juvenilis animus levium quoque rerum gloria sublatus, majores continuaret.* Illud pessimum si vitia laudentur, & vestiantur virtutum nomine; hoc enim est habenas iis laxare, ut tanto committantur liberius. Cum videret Nero immanitatem suam pro justitia haberi, magis ad illam se b dedit. Plures Principes adulatio improbos reddit, quam malitia. Propriæ nostræ libertati, fortunis nostris & vitæ male consulimus, si injustam Principum potentiam conemur extendere ulterius, suppeditando iis media, quibus indomitas suas cupiditates & affectus expleant. Vix improbus esset Princeps, nisi Ministri essent adulatores. Gratiam, quam virtutibus haud promerentur, malis publicis aucupantur. O grandem malignitatem, pro momentaneo aliquo favore, qui sæpe ne obtineri quidem potest, aut exitio est potius, suam prodere Patriam, & tyrannides meras in regnum evehere. Quid mirum, quod Deus ob Principum delicta castiget subditos, si illorum hi caussa sint, dum Princeps per Ministros suos omnia peragit, qui illum varios edocent modos populum tributis onerandi, opprimendi Nobilitatem, & gubernationem convertendi in tyrannidem, violando privilegia, statuta & consuetudines patriæ, & executionis deinde instrumenta sunt.

a Tacit. lib. 13. Annal.
b Postquam cuncta scelerum pro egregiis accipi videt, exturbat Octaviam. Idem l. 14. Annal.

SYMBOLVM XLIX.

Valde c *dubitare cogor, fato & sorte nascendi ut cetera, ita Principum inclinatio in hos, aut offensio in illos, an sit aliquid in nostris consiliis, liceatque inter abruptam contumaciam, & deforme obsequium pergere iter ambitione & periculis vacuum.* Occulta quædam vis videtur, quæ si non impellit, at movet voluntatem nostram, & inclinat ad unum magis, quam ad alium: & si in sensibus & appetitu naturali naturalis quædam est cum rebus certis sympathia, aut antipathia, quidni in affectu voluntatis? Esto, in appetitum plus roboris & virium habeant, quam in voluntatem liberam: ille enim magis contra rectam rationem rebellis est, quam ista; diffiteri tamen non possumus, plurimum in eo genere valere inclinationem, quam communiter sequitur ratio, præsertim si ars & prudentia natura Principis uti noverint, & ei consentanea agere. In omnibus rebus tam animatis, quam inanimis secretum quendam quasi concentum

c Tacit. lib. 4. Annal.



centum & consensum videmus, atque occultam quandam amicitiam, cujus vincula rumpantur facilius, quam dissolvantur. *a* Nec injuria, & adversitas in Rege Joanne II. propter privatum erga Alvarum Lunam affectum, nec in hoc evidens ruinæ periculum satis esse potuere, ad dissolvendum illud amoris vinculum, quo ambæ eorum voluntates inter se unitæ erant. Sed etsi non sit naturalis ista propensio, idem tamen operari solet gratitudo pro obsequiis præstitis, aut subditi præ aliis excellentia. Virtus seipsa amari meretur, & nescio quid una secum adfert voluntati gratum. Nimis inhumanũ esset obstringere Prin-

a Mar. Hisp. lib. 20. c. 16.

Ci-

cipem, ut affectus suos semper indifferentes, & quasi in æquilibrio suspensos habeat, qui per oculos & manus sese effundunt è pectore. Quæ unquam tanta fuit securitas, quæ vim privati amoris effugere omnino potuit? Quam cordis sui retinens erat Rex Philippus Secundus! & tamen non uni soli, sed pluribus etiam sibi familiarioribus illud laxavit. Quid? Deus ipse nonne quosdam chariores præ aliis habuit? habuit sane, & facultatem iis dedit aliquando, ut Solem & Lunam *a* sisterent, *obediente Domino voci hominis*. Et cur privatis licitum sit (id quod expendit Rex Petrus, cognomento Crudelis) amicos legere, non item Principibus? Molestias suas habet Dominatio, ad quas levandas opus est aliquo, quicum fidentius possis agere. Multæ in illa difficultates sese offerunt, quæ ab uno solo superari nequeunt. Regnandi onus difficile est, & gravius; quam ut ad illud ferendum unius solius sufficiant humeri, robustissimi quique illi cedunt, & quemadmodum Iobus loquitur, sub illo *b* curvantur. Eandem ob caussam, etsi Deus Moysi adesset in omnibus, eique vires & lucem ad implendum munus suum sufficeret, præcepit tamen, ut in Populo gubernando seniorum uteretur opera, qui laboris partem in se *c* susciperent, & socero ejus Iethro onus illud videbatur majus, ac vires *d* ferrent. Factum hoc ab omni ævo. Alexander Magnus laborum socium ascivit Parmenonem, David Ioabum, Salomon Zadochum, Darius Danielem; quorum directione factum, ut negotia rectius succederent. Nemo Principum tam prudens est, atque intelligens, ut scientia sua omnia queat assequi, nec tam gnavus, ac laboriosus, ut negotia quævis solus possit conficere. Humana isthæc imbecillitas suasit erigere Tribunalia, Consilia cogere, creare Præsides, Gubernatores, & vice Reges, in quibus auctoritas & potestas Principum resideret, *Ca el solo* (verba sunt Regis Alphonsi Sapientis) *non podria ver, nin librar, todas las cosas; porque à menester por fuerza ayuda de otros, en quien se fie, que complan en su lugar, usando del poder, que del reciben en aquellas cosas, que el non podria por si cumplir*. Quare cum Princeps plerumque Ministrorum utatur opera in extraneis negotiis, quid mirandum magnopere si eosdem quoque adhibeat in iis, quæ in conclavi interiori, & apud animum suum pertractat? si quem sibi magis familiarem habeat, quique præsto illi sit, quoties examinat, aut approbat consiliorum placita, quæ ad ipsum perferuntur: cum quo, inquam, sua possit conferre du-

a *Sol contra Gabaon ne movearis, & Luna contra vallem Ajalon, Steteruntque Sol & Luna*. Iosf. 10. 12.

b *Sub quo curvantur, qui portant orbem*. Iob. 9. 13.

c *Vt sustentent tecum onus populi, & non tu solus graveris*. Num. 11. 17.

d *Vltra vires tuas est negotium, solus illud non poteris sustinere*. Exod. 18. 18.

dubia, & proposita animi, à quo item instruatur; cui denique negotiorum expeditionem, atque executionem recte committere *a* audeat? An non pejus foret, si tot ac tantis curis implicitus cum nemine ea communicaret? Præterquam quod de se opus sit, semper Ministrum aliquem assistere Principi, qui à negotiis aliis liber audiat, & referat tanquam Mediator inter ipsum & Subditos: neque enim fieri potest, ut Princeps ipse aures det omnibus, & satisfaciat, nec id permittit tantæ Majestatis auctoritas. Hæc caussa erat, cur Israëliticus Populus à Moyse peteret, ut eorum vice Deo loqueretur, quia præsentiam ejus ipsi *b* metuebant; & Absalon, ut Davidem in odium adduceret apud subditos, hoc in eo arguebat quod Ministrum non haberet, qui afflictorum querimonias exciperet.

Zelus, & prudentia alicujus in familiaritatem asciti ea licentia, quam gratia tribuit, facile corrigere poterit gubernationis defectus, & Principum *c* propensiones. Agricola insigni cum solertia Domitianum continebat, ne in vitia præceps rueret. Tametsi Sejanus homo improbus esset, suas tamen *d* *obtexit libidines* Tiberius, *dum eum dilexit, timuitve; postremo in scelera simul ac dedecora prorupit, postquam remoto pudore, & metu, suo tantum ingenio utebatur.* Et sane per ejusmodi Principum amicos Deus interdum totius Regni saluti consulit. Ita factum per Naaman in *d* Syria; in Ægypto per Iosephum. Cum igitur necessum sit, gubernandi onus partiri inter plures, naturæ consentaneum est, ut in adjutore legendo affectui concedatur aliquid, & occulto consensui sanguinis; qui delectus si prudens sit, atque ab eximiis animi dotibus, quæ in illo insunt, ortum habeat, nihil ea in re culpæ est, aut damni; immo expedit gratum esse Principi, quem is in laborum societatem advocat. Illud difficultatem habet, unus ne aliquis, an plures ad id eligendi. Si plures sint, æquali loco habiti, & pari potentia, orietur inter eos æmulatio, consiliis suis ibunt in contraria, & bono publico periculum creabitur. Adeoque ordini naturali magis consonum videtur, ut negotia uni soli Ministro committantur, qui invigilet aliis, perque cujus manus materiæ omnes rite ac ordine digestæ deveniant ad Principem, qui demique vicem hujus obeat in curis solũ, non in potentia; in consultationibus, non in gratiis largiendis. Sol unicus universo mundo

a *Solatium curarum frequenter sibi adhibent maturi Reges & hinc meliores æstimantur, si soli omnia non præsumunt.* Cassiod. l. 8. Epist. 9.

b *Loquere tu nobis, & audiemus: non loquatur nobis Dominus, ne forte moriamur.* Exod. 20. 19.

c *Qui in regia familiaritatis sacrarum admittuntur, multa facere possunt & dicere, quibus pauperum necessitas sublevetur, foveatur religio, fiat æquitas, Ecclesia dilatetur.* Petrus Bles. Epist. 150.

d Tacit. lib. 6. Annal.

e *Naaman Princeps militiæ Regis Syriæ, erat vir magnus apud Dominum suum, & honoratus: per illum enim dedit Dominus salutem Syriæ.* 4. Reg. 5. 1.

do lucem impertit, quoties vero sub occasum ab aspectu hoc nostro abit, non plures sibi substituit noctis Præsides, sed solam Lunam, & quidem majori lucis cum claritate, quam sidera reliqua, quæ veluti Ministri inferiores eidem assistunt: attamen nec in his, nec in illa nativa lux est, & propria, sed mutuata solum, quam ideò terra Soli acceptam refert. Istiusmodi affectus privatus, & favor Majestatem non dedecet, quando Princeps oneris publici partem in amicum sic derivat, ut sibi tamen arbitrium & auctoritatem supremam reservet: talis enim privata benevolentia non gratia solum est, sed officium; non favor, sed laborum communicatio. Nec tantopere in invidiæ incurreret oculos, si Principes prudentiores eam alio vestirent nomine, quale esset, verbi gratia, munus præsidendi in Consiliis & Tribunalibus; sicut Præfecti urbis Romæ olim extra invidiam erant, licet alteri essent Cæsares.

Subditorum felicitas in eo consistit, quod Princeps non adamanti similis sit qui ferrum ad se attrahit, & aurum respuit; sed quod talem legere sciat Ministrum, qui si quid bene laudabiliterque fiat, uti & gratias omnes Principi tribuat; onera vero, & odia Populi in se suscipiat; qui attento ad bonum publicum animo illi adsit in omnibus; qui sine ambitione curet negotia: sine fastidio audiat, sine passione consultet, & nulla damni vel commodi proprii habita ratione decernat, ac statuat; qui denique ad utilitatem publicam, non suam, aut ad conservandam gratiam & favorem Principis, negotia dirigat. Hæc mensura est, qua cognoscere licet, num familiaritas illa ex zelo sit, an tyrannidem spectet. In electione talis Ministri magnam curam ac diligentiam adhibere debent Principes, dando operam, ut ne ex solo affectu aut levitate voluntatis id fiat, sed propter eximias dotes ac merita interdum enim privata ejusmodi benevolentia non à consilio est, sed à casu; non à gratia, sed à diligentia, & industria. Concursus aliquis aulæ erigere solet & adorare idolum, cui certam quandam dignitatem, & Majestatis splendorem tribuit multorum cultus, qui flexo poplite illud venerantur, luminaria illi incendunt, & thura adolent, precibus suis ac votis auxilium ab illis *a* implorantes. Quemadmodum vero industria immutat subinde cursum fluminis, & aliovorsum dirigit; ita fit interdum, ut qui negotia in aulis habent, relicto ordinario negotiorum alveo, hoc est Principe, ejusque consiliis, per alium aliquem, qui Principi charior & familiarior est, ea derivare soleant; cujus deinde artes gratiam sic quasi captivam detinent, ut Prudentissimus etiam Princeps ab iis sese expedire nequeat. Nemo cautior, nemo magis sui Do-

a Multitudo autem hominum abducta per speciem operis, eum qui ante tempus, tanquam homo honoratus fuerat, nunc Deum æstimaverunt. Sap. 14. 20.

Dominus, quam *a* Tiberius; & tamen Sejano se subdidit. In quo casu nescio sane, num favor ille humana sit electio, an potius vis aliqua superior ad majus bonum, vel damnum Reipublicæ. Spiritus sanctus ait, singulare Dei esse *b* judicium. Et si Tacito *c* credimus, Sejanus *non tam solertia (quippe iisdem artibus victus est) quam Deûm ira in rem Romanam, cujus pari exitio viguit, ceciditque.* Damnum, quod caveri vix potest, quando privata illa benevolentia cadit in Virum aliquem magnum, uti plerumque in aulis fieri assolet, ubi primi è Nobilitate serviunt: nam qui ad illam familiaritatem semel delectus fuerit, auctoritate sanguinis, & familiæ amplitudine eam porro tueri conabitur, nec facile ab ea dimoveri se à quoquam patietur: quomodo factum olim Ioanni Alphonso Roblesio *d* temporibus Ioannis II Regis. Illud nimirum meo judicio innuere voluit Rex Alphonsus Sapiens, quando agens de Familia regia in quadam sua lege sic loquitur. *e* *E otrosi, de los nobles omes, è poderosos, non se puede el Rey bien servir, en los oficios de cada dia. Ca por la nobleza desdeñarian el servicio cotidiano: è por el poderio attreverse yen à fazer cosas, què se tornarian en daño, e en despreciamento del.* Cor. Principis nunquam sine periculo est in manu subditi, quem ob sanguinis claritatem, & potentiæ amplitudinem alii suspiciunt. Quanquam, si gratia illa cadat in Virum aliquem magnum, zelosum & attentum ad obsequium, & honorem sui Principis, & ad bonum publicum, minus habet periculi: in eo enim casu non tanta erit invidia, & odium Populi, & obedientior fiet imperiis, quæ per ejus manus eunt ad alios. Illud tamen nunquam non erit perutile, si Princeps suam benevolentiam inter auctoritatem suam, & Amici merita quasi in æquilibrio conservare noverit, in partem tantum gubernationis, quam solus sustinere non potest, eum admittendo. Nam si totum illi committat, officio Principis sese exuet, experieturque incommoda, quæ Rex Assuerus quondam expertus fuit, postquam subditos suos omnes Amani arbitrio *f* permisisset. Quod largiri ipse potest, aut sua firmare manu, id ne largiatur, aut firmet aliena. Oculis aliorum uti non debet qui suis videre potest oculis. Quæ ad Tribunalia & consilia pertinent, in iisdē pertractentur; ipse deinde oretenus de his statuat cum Præsidibus, & iis, qui à secretis sunt, è quorū relatione negotiorū notitiā hauriet; erunt autē responsa ipsius brevia, & quantū fieri licebit, ad justitiæ normam, quā optima, collata cum iis ipsis, per quos negotia ista gesta fuerint. Ita Pontifices solent, & Im-

a *Tiberium variis artibus devinxit, adeo ut obscurum adversus alios, sibi uni incautum, intectumque efficeret.* Tac. l. 4. Ann.

b *Multi requirunt faciem Principis, & judicium à Domino egreditur singulorum.* Prov. 29. 26.

c Tacit. l. 4. Annal.

d Mar. Hist. Hisp. l. 20. c. 15.

e L. 2. tit. 9. P. 2.

f *De populo age, quod tibi placet.* Est. 3. 11.

Imperatores, & olim sic faciebant Hispaniarum Reges, donec Philippus Secundus; ut pote calami gloria insignis, introduxit, ut consultationes de scripto fierent, qui mos deinceps invaluit, & privatæ familiaritati ansam dedit. Oppressi enim Reges variorum scriptorum prolixitate, coguntur ea uni alicui committere, & qui iis familiarior sit.

Plura favoris & benevolentiæ signa huic tali Princeps exhibeat: nam qui illius meruit gratiam, & in partem venit laborum, meretur etiam anteferri aliis. S. Petri umbra miracula *a* edebat. Quid magnum ergo, si majori cum auctoritate, quam alii, agat omnia Principi charior, qui umbra quædam illius est? Aliqui tamen favores, & gratiæ etiã pro aliis reservandæ sunt; Nec eæ tam amplæ sint, ut subditi conditionem exsuperent, eumque Principi æqualem reddant, velut si adscitus in aulam Imperii consors audientiam impertiat, & negotiantium turbam post se trahat, id quod existimationi & auctoritati Principis haud parum derogat. Qui gratia apud eum pollet præ cæteris, umbram se esse credat, non corpus. Hæc caussa fuit, cur periclitati sæpe fuerint Castellæ Reges, eo quod ad privatas hasce necessitudines admiserint alios. Cum enim tunc Regum potestas minus ampla esset, quantumvis parum iis concederent, facile tamen præponderabat potestati regiæ; uti accidit Regi Sanctio, cognomento Forti, *b* propter familiaritatem nimiam Lupi Hari; Regi Alphonso XI ob amicitiam privatam Comiti Alvari Osorii; Regi Ioanni II, & Henrico IV ob singularem erga Alvarum Lunã, & Ioannem Paciechum affectum. Momentum totum familiaritatis istius in eo consistit, *ut uterque mensuram implere noverit, Princeps* quidẽ ut sciat, *c quantum tribuere amicis possit; hic* vero *quantum à Principe accipere; cætera*, quæ extra mensuram istam sunt, *invidiam augent*, æmulationes creant, & pericula.

a *Vt veniente Petro saltem umbra illius obumbraret quenquam illorum, & liberarentur omnes ab infirmitatibus suis.* Act. 5. 15.

b Mar. hist. Hisp. l. 4. c. 10.
c Tacit. lib. 14. Annal.

SYMBOLVM L.

Despicit Mons reliqua Naturæ opera, & præ omnibus assurgit altius, ut se suaque cum cælo communicet. Ne vallis hanc ei gloriam invideat. Tametsi enim favoribus Iovis sit propior, una tamen etiam ictibus fulminum ejus magis expositus est. Circum illius tempora coguntur nubes; ibi armantur tempestates; ille vero primus omnium est, in quem furore suo desæviunt. Idem prorsus in iis muneribus, & officiis accidit, quæ Regibus viciniora sunt. Vis activa potentiæ, qua pollent, gravius nocet iis, qui adsunt propius. Communicatio eorum non minus venenata est, quam alicujus



a viperæ. Quiſquis inter illos ambulat, medios inter laqueos, & arma hoſtium offenſorum *b* ambulat. Favor & indignatio in Principibus adeo contraria inter ſe, ut nullum inter ea intercedat medium. Eorum amor teporem neſcit. Si in odium convertatur, ab uno extremo tranſilit ad aliud; ab igne ad gelu. Idem temporis momentum amare eos vidit, & odiſſe eo cum effectu, ut à fulmine crederes, quod ſimul ac auditur tonitru, aut ſulgur

a *Longe abeſto ab homine poteſtatem habente occidendi, & non ſuſpicaberis timorem mortis. Communionem mortis ſcito.* Eccleſ. 9. 88. & 20.

b *Quoniam in medio laqueorum ingredieris, & ſuper dolentium arma ambulabis.* Eccleſ. 9, 20.

percipitur oculis, jam corpora obvia redegit in cineres. Flammæ instar est in corde Principum gratia, eadem facilitate, qua succenditur, rursus extinguitur. Fuere, qui existiment, fatale periculum iis esse, qui Principibus tantopere in amoribus *a* sunt. Et sane luculente illud testantur exempla tam præterita, quam præsentia, hac nostra etiam ætate, qua potentissimos Magnatum amicos subito cecidisse vidimus. In Hispania Ducem Lermam; in Francia Mareschallum de Ancre; in Anglia Ducem Buckingamum; apud Batavos Ioannem Olden-Barnefeltium; in Germania Cardinalem Cleselium; Romæ Cardinalem Nazaretum. Id tamen variis caussis asscribi potest, aut quia Princeps tribuit omnia, quæ potuit, aut quia Privatus, ut vocant, obtinuit omnia, quę *b* cupiebat. Vnde dum ad supremum usque conscenderit fastigium, necessum est, ut in præceps ruat, & esto, in gratiis unius, & ambitione alterius, quædam sit moderatio, quę tamen constantia esse potest in voluntatibus Principum, *c* quæ *ut vehementiores, sic mobiles sæpe sibi ipsæ adversæ sunt?* Quis affectum firmare poterit, qui non uno rerum genere capitur, & materiæ primæ, ut Philosophi loquuntur, quam simillimus est, cujus appetitus una non expletur forma, sed varietate potius oblectatur? Quis favere & conservare poterit benevolentiam illam, tot casibus, & affectionibus animi obnoxiam? Quis erit tam integer, ut existimationem, quam de ipso concepit Princeps, apud universum statum tueri valeat; Singularis illa gratia omnium in se oculos convertit. Qui amici sunt Principum, per Privatum suæ credunt gratiæ detrahi; qui hostes, augeri odia. Hi si in amicitiam redeant, non nisi ea conditione redeunt, ut Privatus gratia excidat; illi si amicitiam deserant, omnem itidem culpam in eum ipsum conferunt. Semper contra ejusmodi Privatum æmulatio & invidia in armis excubant, intentæ in omnem occasionem, ut in ruinam præcipitent. Tanto in eum odio fertur Populus, ut mala etiam naturæ, & vitia Principis eidem tribuat. Bernardus Cabrera capite tandem luit tyrannides Petri Quarti Regis Aragonii, *d* cui charissimus semper fuerat. Eodem medio, quo Privatus gratiam Principis aucupatur, aliorum incurrit odium; ut verissime dixerit fortissimus ille Heros Alphonsus Albuquercius, Indiarum Orientalium Gubernator, Ministrum, si Regi suo faciat satis, homines offendere; contra si hominibus placere studeat, Regis gratiam amittere.

§. Quod si favor ille in solo cultu exteriore innititur artibus aulicis procurato, non nisi violentus est, ac furtivus, adeoque libertas Principis illud conabitur, ut tam durum servitutis jugum impositum sibi,

a *Fato potentiæ raro sempiternæ.* Tacit. lib. 3. Annal.

b *An satias capit, aut illos, cum omnia tribuerunt; aut hos, cum jam nihil reliquum est, quod cupiant.* Tacit. l. 3. Annal.

c Salust.

d Mar. Hist. Hisp. l. 7. c. 7.

sibi, non sponte susceptum excutiat.

Si est quædam voluntatis propensio, subest plurimum caussis secundis, & cum ipsa ætate mutationem subit, aut cum amici ingratitudine, si is scilicet non satis agnoscat, è quo fonte hoc suum esse *a* hauserit.

Si forte venustas oris & morum tanta est in Privato, ut manum quodam modo violenter Principis voluntati injiciat, aut brevi marcescit, aut oculis solum servit, haud secus atq; in vulgari amore usuvenit.

Si est ob dotes animi majores, quam sint in ipso Principe, mox atque hic illud agnoscit, actum est de gratia. Nemo enim facile fert in alio illam ingenii, aut fortioris animi excellentiam, quæ ipsi etiam potentiæ longe anteferri solet.

Si est ob labores publicos, & negotiorum curas, non minus vigilantia in periculo est; ac negligentia: neque enim omnia semper respondent mediis, eo quod varia intercidant; volunt autem Principes, ut ad sua vota, & appetituum desideria nihil non succedat. Successus secundiores casui, aut Fortunæ Principis *b* tribuuntur, non prudentiæ talis Privati; errores vero huic soli, licet culpa aliena sit: nam *prospera omnes sibi vendicant, adversa uni imputantur*, ei nimirum, qui Principi magis intimus est. Quid? quod & fortuita illi ascribant, uti Sejano, quod Amphitheatrũ collapsum esset, & Mons Cælius *c* conflagrasset. Nec eum incusant solum in negotiis, quæ ipse procurat, sed alienis etiam, aut iis casibus, qui à voluntate Principis, & Natura pendent. Ita Senecæ culpæ datum, quod Nero matrem suam aquis voluisset *d* submergere. *e Sejanus facinorum omnium repertor habebatur, ex nimia caritate in eum Cæsaris, & ceterorum in utrumque odio, quamvis fabulosa & immania credebantur.* Si præcipuus aliquis Minister, Principi bene affectus, si quis ex ejusdem cognatione fato naturali concedat, mortis auctor contra jus fasque Privatus creditur; quomodo Duci Lermæ immaturus, attamen naturalis obitus Principis Philippi Emmanuelis, Caroli Sabaudiæ Ducis Filii ascriptus fuit.

Si singularis illa benevolentia ex obligatione nascitur ob eximia præstita obsequia, oneris tædium & lassitudo paullatim subit Principem. *f Nam beneficia eo usque læta sunt, dum videntur exsolvi posse: ubi multum antevenere, pro gratia odium redditur.* Agnoscere beneficium, servitutis quoddam genus est: qui enim obligat, superiorem altero se constituit. Id quod cum suprema Majestate

N 2

a *Quoniam ignoravit; qui se finxit, & qui inspiravit illi animam, quæ operatur, & qui insufflavit ei spiritum vitalem.* Sap. 15. 11.

b *Hæc est conditio Regum, ut casus tantum adversos hominibus tribuant, secundos fortunæ suæ.* Æmil. Prob. Tac. in vita Agric.

c *Feralemque annum ferebant, & omnibus adversis susceptum Principi consilium absentia, qui mos vulgo, fortuita ad culpam trahentes.* Tac. l. 4. Annal.

d *Ergo non jam Nero, cujus immanitas omnium questus anteibat, sed adverso rumore Seneca erat, quod oratione tali confessionem scripsisset.* Tac. lib. 11. Annal.

e Id. lib. 4. Annal.

f Idem Lib. 4. Annal.

ſtate conſiſtere non poteſt; cujus poteſtas hoc ipſo non parum imminuitur, ſi obligatione major non ſit, preſſique Principes gratitudinis & debiti onere, inſigniter ingrati fiunt, ut illo ſeſe liberent.a *Sane quidam, quo plus debent, magis oderunt. Leve æs alienum debitorem facit, grave inimicum.* Adrianus Imperator occidi juſſit Titianum, quem à puero moderatorem habuit, & cui ſuum debebat Imperium. Taceo multorum ſæpe annorum labores negligentia unica interire: ſolent quippe Principes ad caſtigandam levem aliquam offenſionem longe eſſe proniores, quam remuneranda obſequia. Si hæc adjunctam habeant gloriam, æmulationem & invidiam in ipſo excitant Principe, cui ea exhibentur. Sunt enim nonnulli Philippo Macedonum Regi ſimiles, b *quem ita gloria cupidum dicebant familiares, ut omnia præclara facinora ſua eſſe videri cuperet, & magis indignaretur Ducibus & Præfectis, qui proſpere & laudabiliter aliquid geſſerint, quam iis, qui infeliciter & ignave:* cujus vitii etiam Filius Alexander factus eſt hæres, c *ſuæ demptum gloriæ exiſtimans, quicquid ceſſiſſet alienæ.* Eodem malo laboravit Iacobus Primus Aragoniæ Rex: nam poſtquam Blaſcus Alagonius Morellam occupaſſet, in eam venit perſuaſionem eum majorem præ ſe gloriam illa expeditione adeptum fuiſſe, quare urbem iſtam illi ademit, & aliam, Sagaſto nomine, illius loco eidem tradidit. Quas non curas pepererunt Domitiano victoriæ Agricolæ, cum videret, d *privati hominis nomen ſuper Principis attolli?* Adeo ut rebus optime geſtis, tum vel maximum ſit periculum.

Si gratia ab obedientia oritur, qua ſeſe privatus ille ad nutum & arbitriũ Principis in omnibus accommodat, effrænem inducit gubernandi modum, quo nunc hic, nunc ille præcipitat, dicta alias adulationis incommoda incurrendo. Nec minus periculi obedientia habet, quam inobedientia: nam ſi id, quod jubetur, bene feliciterque evenit, mandato Principis tribuitur; ſin male, ipſi Privato. Quod ſi obtemperatum non fuerit, putatur aut defuiſſe ſucceſſum, aut errorem obſtitiſſe. Si juſſa æquitati repugnaverint, excuſare ſe hoc nomine non audet, ne Principem offendat verbo, culpa omnis palam in ejuſmodi Privatum confertur ab omnibus, & ne Princeps mali auctor videatur, pati eum ſinit, aut in opinione Vulgi, aut in manibus judicis; quomodo Tiberius Piſoni fecit, poſtquam hic illius juſſu Germanicum veneno è vivis ſuſtulerat, e *cujus integram cauſſam ad Senatum remiſit:* cumque is Romam veniſſet, perinde ſe habuit Tiberius, ac ſi nihil ea de re ſciret, licet complex eſſet; ſane Piſo *nullo magis exterritus eſt, quam quod Tiberium ſine miſeratione, ſine ira obſtinatum clauſumque vidit, ne quo adfectu perrumperetur.*

Si favor ille ſingularis in hominem cadit, non optime à naturæ donis, inſtructum, & in-

a Sen. Ep. 19.
b Demoſth.
c Curtius.
d Tacit. in vita Agric.
e Idem l. 3. Annal.

insignem meritis, tanto negotiorum oneri succumbet: sine forti enim ac robusto animo, sine ingenio perspicaci gratia Principum diu conservari non potest.

Si hæc ex virtutum conformitate nascitur, Principe nuntium iis remittente, etiam illa dissolvitur: odit enim familiarem istum, qui contrariis moribus inconstantiam ejus arguit, & cujus opera ad vitia consectanda ei utilis *a* esse non potest.

Si Princeps Ministrũ quempiam præ cæteris amat ideo, quod pro instrumento ei sit, quo propensiones suas pravas & cupiditates exequitur, mala omnia in eum recidunt, quæcunque aut personæ Principis inde creantur, aut administrationi publicæ; & Princeps quidem facile sese purgat, eum à gratia sua excludendo, aut mox eum odisse incipit, tanquam scelerum suorũ testem, cujus præsentia sua ipsi delicta quasi exprobrat. Nec alia de caussa Anicetus executor mortis Agrippinæ, Neroni odio erat, *b* quam *quia malorum facinorum Ministri, quasi exprob. antes aspiciuntur.* Pari quoque ratione Tiberius *c sceleruum Ministros, ut perverti ab aliis nolebat, ita plerumque satiatus, & oblatis in eandem operam recentibus, veteres & pragraves adflixit.* Cũ executione una odium mortui, & gratia necem jubentis desint, satisque purgatum se Princeps existimat ex eo, quod crimen punitum sit, ut Plancinæ *d* accidit.

Si amor ille è magnorum secretorum communicatione oritur, ab iis ipsis periclitari incipit: siquidem ea quasi viperæ quædam sunt in Privati istius pectore, quæ interiora ejus arrodunt viscera donec foras erumpant; quia aut levitas, aut ambitio (ut palam fiat, quam apud Principem gratiosus sit) ea detegit, aut innotescunt aliunde, aut per discursum sese produnt, & familiarem ejusmodi invisum reddunt; quin etsi illud non accidat, hac ipsa tamen cura, quod ista commiserit aliis, liberatum se Princeps cuperet, dilacerando saccum, in quo illa sunt abdita. Quot secreta, *e* tot pericula.

Nec illud minus, si gratia in eo fundetur, quod Privatus fors ignaviæ & indignitatis Principis conscius sit; talis enim favor, timor est potius, quam benevolentia animi, nec ferre potest Princeps, ut honor suus ab alieno dependeat silentio, aut sit, qui eum interius apud animum suum despiciat.

Si gratia est exigua, invidiæ furori satis resistere non potest, sed sternitur à quovis vento, haud secus ac arbor aliqua non sat firmis nixa radicibus.

Si magna illa est, illi ipsi Principi, à quo ortum suum ducit, æmulationem ac metum injicit, adeoque sollicitum eum habet, quomodo tanto se onere liberet: sicuti dum saxa saxis superinjicimus, timemus moles ista, quam congessimus, in nostra

a *Gravis est nobis etiam ad videndum, quoniam dissimilis est aliis vita illius, & immutata sunt viæ ejus.* Sap. 2. 15.
b Tac. l. 14. Ann.
c Idem l. 4. Annal.

d *Vt odium & gratia desiere; jus valuit.* idem l. 6. Ann.
e *Secretum meum mihi, væ mihi.* Is. 24. 16.

nostra corruat capita adeoque in partem contrariam impellimus. Videt Princeps Statuam, quam erexit, amplitudini suæ umbram offundere, & iterum illam dejicit. Dicam annon? videntur fere in eo delectari Principes, ut suam ostendant potentiam, tam in destruendis ejusmodi statuis, quam in iisdem fabricandis: cum enim finita illa sit, & certis circumscripta limitibus, immensæ similis esse non potest, nisi ad suum redeat centrum, unde egressa est, aut in circulum ambulet.

Hi sunt scopuli, ad quos allisa privatæ illius amicitiæ navis confringitur, tanto majori cum damno, quanto vela sua distenderit latius; quod si aliqua evadat incolumis, id ideo accidit, quia aut tempori portum subiit, aut ante etiam ad mortis litora appulsa fuit. Ecquis igitur tam solers, ac providus est nauta, qui gratiæ clavum tenere rite noverit, & in mari tam periculoso vela facere? quæ prudentia, quæ artes ex eo eripere eum poterunt? quæ scientia chymica argentũ affectus Principis consistere faciet? presertim cum gratia in notissimis etiam fundata meritis, obsistere nequeat invidiæ, & machinationi tot hostium, qui in ejus ruinam conspirant; sicut nec Rex Darius, nec Rex Achis satis tueri poterant gratiam Daniëlis & Davidis, contra Principum & Satraparum *a* odia. Quin ut iis satisfacerent, necessum fuit, hunc quidem pellere in exilium, illum vero leonibus objicere, tametsi amborum probitas & innocentia satis iis perspecta *b* esset.

Verum licet nulla tanta sit prudentia, aut circumspectio, quæ impedire possint eos casus, qui à Privato non dependent, multum tamen efficere poterunt in iis, quæ in illius sunt arbitrio, & minimum absque noxa erit, si forsan gratia excidat. Vnde operæ pretium duxi principales ruinæ illius caussas, ex imprudentia fere, & malitia natas, hic sigillatim expendere, ut de iis factus certior, tanto securius eas devitare possit.

Quare si paullo attentius considerare placuerit maximas, & actiones eorum, qui gratia & auctoritate aliquando in aulis floruerunt, Sejani præsertim; videbimus plerosque periisse, quia constanter uti nescierunt bonis iis mediis, quibus Principis favorem sibi conciliarant. Omnes fere, ut hunc mereantur, & populi applausum habeant, in amicitiam & familiaritatem illam sese insinuant, animum zelosum, demissum, humanum, & obsequiosum præ se ferendo, eaque suggerendo consilia, quæ ad majorem Principis gloriam, & amplitudinis ejus conservationem spectare videntur. Qua arte Sejanus usus, qui *c* *incipiente adhuc*

a *Porro Rex cogitabat constituere eum super omne regnum: unde Principes & Satrapæ quærebant occasionem, ut invenirent Danieli ex latere Regis: nullamque caussam, & suspicionem reperire potuerunt.* Dan. 6. v. 4.

b *Non inveni in te quicquam mali, ex die qua venisti ad me, usque in diem hanc: sed Satrapis non places.* 1 Reg. c. 29. 6. *Tunc Rex præcepit; & adduxerunt Danielem, & miserunt eum in lacum Leonum. Dixitque Rex Danieli: Deus tuus, quem colis semper, ipse te liberabit.* Dan. 6. 16.

c Tacit. l. 4. Annal.

adhuc potentia, bonis consiliis innotescere volebat. Vbi vero jam gratia ista plene potiti fuerint, clavuum illum deserunt, existimantque, ad navigandum non amplius eo opus esse, sed solâ favoris aurâ sibi sufficere.

Interim sub initium enituntur sedulo, ut in actionibus suis rei privatæ obliti & in sola commoda Principis intenti videantur, tanquam qui illius obsequium vita & fortunis suis anteferant. Quo fit, ut falso persuasus Princeps credat se in ejusmodi aliquo homine fidelem laborum socium nactû esse, & pro tali ubivis eum, atque apud omnes deprædicet. Quo nomine Tiberius *a* Sejanum *non modo in sermonibus, sed apud Patres, & populû celebrabat.*

Porro operam dant, ut insigni aliquo, & heroico facinore fidelitatem suam probent Principi, quo animum ejus occupent; uti fecit Sejanus, quando brachiis suis, & capite ruinam montis sustinuit, qui supra Tiberiû collabebatur, *b* *præbuitque ipse materiam, cur amicitiæ constantiaque sua magis fideret.*

Quæ opinio de Privati fidelitate, si semel in Principis animo inhæserit, facile is sibi persuadet, se de eadem securum esse in posterum, & consilia illius, quamquam exitiosa, lubens audit, utpote cui plus, quam sibi ipsi confidit. Id quod in Tiberio post casum illum videre *c* licuit. Atque hinc gravissima nascuntur damna: illa enim præcepta opinio viam omnem obstruit, ut errorem suum Princeps agnoscere nequeat; quin ille ipse Privati cultum promovet, permittendo ut extraordinarii ipsi honores deferantur, quomodo permisit Tiberius, cum proponi palam, *d* *colique per theatra, & fora effigiem Sejani, interque principia legionum sineret.* Nec mora, susurrus ille favoris mox ab una aure transit ad aliâ, & inde novum formatur idolum, sicut ex inauribus vitulus ille *e* Aaronicus; imo ausim dicere, aut favor ejusmodi singularis non esset penitus, aut certe tanto tempore non duraret, si aliorum acclamatio, & applausus nô esset. Cultus iste *avaritiam & arrogantiam parit*, ad amplitudinem tuendam, *f* *præcipua validiorum vitia.* Qui semel factus est Principi familiarior, suimet obliviscitur, & labuntur paullatim eximiæ illæ dotes, ob quas initio amari cœpit, tamquam ascititiæ, fortuna prosperiore sensim in apertum vitia proferente, quæ ars tantisper celaverat. Ita Antonio Primo factum, *g* *in cuius ingenio avaritiam, superbiam, cæteraque occulta mala patefecit felicitas.* Potentia nimia perturbatur ratio, & ad intimam admissus amicitiam facile majora se audet. Vides hoc iterum in Sejano: is enim *h* *nimia fortuna socors, & muliebri insuper cupidine incensus, promissum matrimonium*

a Tacit. l. 4. Annal.
b idem l. 4 Ann.
c *Major ex eo, & quamquam exitiosa suaderet, ut non sui anxius, cum fide audiebatur.* id. l 4. Ann.

d Tac. l. 4. Ann.
e *Quas cum ille accepisset, formavit opere fusorio, & fecit ex iis vitulum conflatilem.* Exod. 32. 4.
f Tac. l. 1. Hist.
g idem l 3. Hist.
h idem l. 4. Ann.

flagitante Livia, ad Cæsarem codicillos ea supra te *componere*, non erubuit. Negotia non procurat, ut minister, sed magis ut imperii socius (quo in genere Mucianus deliquit graviter *a*) & relicto Principi solo nomine, omnem auctoritatem sibi *b* arrogat. Neque ullus est, qui dicere audeat, quod Bethsabee dixit Davidi, Adonia regnum usurpante: c *Ecce nunc Adonias regnat te, Domine mi Rex, ignorante.* Atque in eum finem contendit. Privatus virtutibus regiis anteire Principem, ut præ eo æstimetur. Quo artificio usus est Absalon, ut Regis Davidis auctoritatem minueret, affectando nimirum benignitatem & promptitudinem in audiendis subditorum querimoniis, qua re *d furabatur*, ut inquit Scriptura, *corda virorum Israel.*

Nec talem se esse credit Privatus, nisi suam potentiam cum domesticis, cognatis, amicisque communicet, atque adeo ut securior sit, illud maxime è re sua fore arbitratur, si præcipua iis munia conferat, & invidiæ vires, ac nervos incidat. Quo fine Sejanus e *clientes suos honoribus aut Provinciis ornavit.* Quia vero potestas ista haud parum derogat auctoritati consanguineorum Principis, qui privatæ illi amicitiæ modis omnibus obnituntur, nec satis æquo ferre possunt animo, quod gratia sanguine potentior, quodque Princeps inferiori se subjiciat, à quo dependere ipsi debeant (quod periculum Sejanus etiam in Tiberii familia *f* agnovit) discordias illos inter & Principem Privatus excitat. Ita Sejanus per speciem amicitiæ monebat Tiberium, Agrippinam matrem ei insidias *g* struere; Agrippinam verò ei venenum parari à *h* Tiberio.

Quod si istorum aliquid Privato succedit felicius, ad maiora attentanda audaciam sumit. Druso mortuo Sejanus totam Germanici familiam cogitavit extinguere. Vnde occæcatus tandem ejusmodi Privatus passione, & potentia nimia, spretis artibus occultis, in aperta prorumpit odia adversus consanguineos; uti Sejano accidit contra Agrippinam & Neronem. Nemo Privatum de periculo suarum actionum commonere audet: omnes enim ad ejus conspectum Majestate plenum contremiscunt; sicut filii Israël trepidabant ad intuitum Moysis, posteaquam hic Deo factus fuerat *i* familiarior, cumque videat se haberi pro Principe,

a *Mucianus cum expedita manu socium magis Imperii quam ministrum, agens.* Tacit. l. 2. Annal.

b *Vim Principis amplecti, nomen remittere.* idem l. 4. Hist.

c 3 Reg. c. 1. 18.

d 2 Reg. c. 15. 6.

e Tacit. l. 4. Annal.

f *Cæterum plena Cæsarum domus juvenis filius, nepotes adulti, moram cupitis adferebant.* Tacit. l. 4. Annal.

g *Instabat quippe Sejanus, incusabatque diductam civitatem, ut civili bello esse, qui se partium Agrippinæ vocent, ac ni resistatur, fore plures.* idem lib. 4 Annal.

h *Cæterum Sejanus mœrentem, & improvidum altius perculit, Immissis qui per speciem amicitiæ monerent, paratum ei venenum, vitandas soceri epulas.* idem l. 4. Annal.

i *Videntes autem Aaron, & filii Israel cornutam Moysi faciem, timuerunt prope accedere.* Exod. 34. 30.

cipe, sensim legitimo Principi molitur *a* insidias, & Subditos tyrannice opprimit: quippe qui certo sibi polliceri nequit, quod iis uti possit benevolis; quo fit, ut desperati ipsi dubitare incipiant, num forte *minore avaritia, & licentia grassaturus esset, si ipse imperaret,* quando *nunc,* cum rerum nondum potiatur, b *& subjectos eos habet, ut servos, & viles, ut alienos*; id quod Otho expendebat in Vinio, qui apud Galbam gratia & auctoritate valebat plurimum.

Atque omnia isthæc sic attentata ipsa etiam pericula majora faciunt: augescit enim in dies invidia, & armat sese contra Privatum malitia; cumque is existimet, se illam, nisi aliqua alia majori, superare non posse, omnes eas artes adhibet, quas æmulatio gratiæ, magis etiam furiosa, quàm ipsius amoris illi suggerit; & cum porro ejusdem stabilitas à constantia affectus Principis dependeat, illud in primis satagit, ut delitiis, & sceleribus, præcipuis tuendæ gratiæ instrumentis, cum sibi devinctum servet, quibus & Vitellii aulici uti solebant, apud quem c *unum ad potentiam iter prodigis epulis, & sumptu, ganeaque satiare inexplebiles ejus libidines.* Et ne Princeps ulli cuipiam fidem habeat, allaborat Privatus, ut diffidat omnibus bonis, præsertim, quos magis timet præ cæteris. d *Sic optimi cujusque criminatione eo usque valuit* Vatinius, *ut gratia, pecunia, vi nocendi etiam malos præmineret.* Quod & obtinuit Sejanus, e *sui obtegens*, eam ob rem, *in alios criminator.*

Sciens vero Privatus, nihil huic suæ apud Principem gratiæ magis obstare; quam ejusdem Principis habilitatem, omni studio contendit, ut ne quid ille rescifcat, intelligat, videat, audiatvé, nevé circa se habeat aliquos, qui oculos ei aperiant. Curat item, ut negotia & labores detestetur, totum illius animum occupando jucunditate venationis, ludis & tripudiis, ut sensibus aliorsum distractis, nec oculi attendant ad ea, quæ in aulis pertractantur, nec aures obtrectationes, & lamenta subditorum percipiant; uti fiebat in Sacrificiis Idoli Moloch, quando pulsabantur tympana, ne infantium immolatorum gemitus & ejulatus audirentur. Interdum etiam majori cum artificio eum negotiis & scripturis implicat, ut defatigetur, perinde ac juniores equos in molliori solo solemus exercere, ut ferocitate deposita fiant mansuetiores, & frenum atque ephippium admittant. Ad eundem finem illi persuadet, ut audientiam ipse impertiat, ac deinde datus in lassitudinem, negotia Privato committat, ratus suo se satisfecisse officio, quod petentibus aures dederit. Ea ratione, ut (quemadmodum Ieremias Propheta dixit de Idolis Babylonicis) Princeps nihil

 aliud

a *Multi bonitate Principum, & honore, qui in eos collatus est, abusi sunt in superbiam: & non solum subjectos Regibus nituntur opprimere; sed datam sibi gloriam non ferentes, in ipsos, qui dederunt, moliuntur insidias.* Esth. 6. 2.

b Tac. l. 1. Histor.

c idem l. 2. Histor.

d idem l. 15. Annal.

e Tacit. l. 4. Annal.

aliud sit, quam id quod vult ejusmodi *a* Privatus.

Non equidem ille desiderat, ut res eant feliciter: mari enim tranquillo quilibet navigare potest, sed illud potius exoptat, ut coorta tempestate status Reipublicæ fluctibus æstuet, adeo ut Princeps ipse vereatur manum admovere gubernaculo, & alterius opera magis indigeat, atque ut rimas omnes veritati obstruat, & solus ac unicus maneat negotiorum arbiter, longe extra invidiam positus, eum ab aula ad secessum & consortium paucorum avocat; quod & Sejanum movit, *ut Tiberium* b *ad vitam procul Roma, amœnis locis degendam impelleret: multa quippe providebat. Sua in manu aditus, literarumque magna ex parte se arbitrum fore eum per milites commearent: mox Cæsarem vigente jam senecta, secretoque loci mollitum munia imperii facilius transmissurum: & minui ibi invidiam, adempta salutantũ turba, sublatisque manibus vera potentia augere.*

Omnes istæ artes non leve Reipublicæ, & existimationi Principis damnum adferunt, in quo genere is peccat gravius, qui iisdem gratiam ejus aucupatur, quam qui eum *c* offendit. Etenim ad offendendum unum solum committitur delictum; ad favorem vero singularem obtinendum, complura designantur, atque hæc semper, & honori Principis derogant, & bono publico adversantur. Graviter fateor Respublica læditur morte violenta sui Principis; tandem tamen alio in ejus locum suffecto, curatur illico; quod fieri non potest, quoties vivum adhuc Principẽ istusmodi artibus inutilem prorsus & inidoneum reddunt ad gubernationem: quod malum non nisi iisdem, quibus vita, finibus terminatur, cum gravissimis interim boni publici detrimentis; quæ cum quotidie magis magisque sentiantur & deplorentur ab omnibus, qui sibi persuadent, affectum illum singularem non arbitrii esse, sed violentiæ, non electionis, sed coactionis & necessitatis; cumque multi fortunam suam collocent in eo evertendo, tamquam felicitatis suæ obstaculo, nunquam non contra illum armati, fieri non potest, ut ad illud desit occasio, aut ut non Principi aliquando aliquod ejusmodi artificium innotescat adeoque invidia tota, & odia omnia contra Privatum concepta in ipsum recidant, uti Tiberius tandem agnoscere visus *d* est. Quod si Princeps oculos aperire incipiat, una etiam potentiam, quam Privato concessit, timere incipit. Quæ caussa fuit, cur Tacitus hæreret dubius, magisne Tiberius amaret Sejanum, an *e* metueret, & cum antea de gratia ejus tuenda esset sollicitus, postea ejus odiũ magis laborabat restinguere.

Istud nimirum est momẽtum criticum singularis illius Amicitiæ, in quo omnes grave periculũ subeunt: nam neque Prin-

a *Nihil aliud erant, nisi id quod volunt esse sacerdotes.* Bar. 6. 45. b Tac. 14. Ann. c *Plura sæpe peccantur, dum demeremur, quam cum offendimus.* Tac. l. 15. An.

d *Perque invidiam tui me quoque incusans.* idem lib. 4. Annal.

e *Dum Sejanum dilexit, timuitve,* Tacit. lib. 6. Annal.

Princeps dissimulare novit, si sibi non fiat satis, neque Privatus in ea Principis indignatione tueri se potest, & facto inter illos dissidio, familiaritatis vinculum dissolvitur. Intuetur Privatum Princeps, ut gratia sua & favore indignum; is vero Principem, ut ingratum tot obsequiis: quia tamen existimat, hunc opera sua carere non posse, atque ideo se propediem revocandum, subducit sese ad tempus, & locum dat, ut alius aliquis in negotia subingrediatur, & illas animorũ alienationes foveat. Quo celerrime fit, ut gratia in mutuum convertatur odium, ipsa Privati impatientia opitulante, ut illa tãto citius dissolvatur. Volat illico fama, quod gratia exciderit: & omnes facti audaciores, insolentius in eum insultant, ita ut ne ipse quidem Princeps ei rei mederi possit. Cognati & amici animo ruinam ejus prævidentes, & periculum, quod inde sibi imminet, male metuunt, ne ruinæ eidẽ ipsi quoq; *a* involvantur. Non secus ac arbor aliqua ex altissimo monte devoluta in præceps, arbores alias, quæ sub umbra illius erant, secum trahit. Atque illi quidem omniũ primi ruinam istam promovent, ut semet in tuto collocent, deinde collaborant omnes, aliqui ut amici, alii ut hostes, nihil exoptantes aliud, quam ut inclinatus ille paries penitus *b* corruat. Princeps, quem suimet pudet, illud servituris jugũ excutere nititur, & suam sibi auctoritatem restituere. Vnde culpam omnem malorum præteritorum in Privatum confert, tanquam in auctorem præcipuum. Quo porro fit, ut suismet irretiatur artibus: nec quicquam sua ei prodest solertia; ut in Sejano videre *c* licuit, & quanto magis se iis contendit eximere, tanto magis suam accelerat ruinam. Nam si gratia semel ægrotare incipiat, mox expirat, nec ullũ superest remedium, quo sanitatem pristinam recuperet.

§. Atque ex iis, quæ hactenus diximus, satis liquet, maximum singularis illius familiaritatis periculum esse à variis illis modis, quibus ambitio perennem & stabilem eam reddere cogitat. Idẽ quippe ejusmodi amicis Principum accidit, quod iis, qui valetudinem suam nimis curant sollicite, qui dum eandem medicamentis variis conservare student, destruunt potius, & vitæ suæ spatium imminuunt; & sicut nullum opportunius est remedium, quam abstinentia, & aliis in rebus moderatio, sinendo interim Naturam, ut suum faciat officium: ita si gratia illa & favor languere cœperint, optimum consilium est nullã adhibere medicinam; sed bono & sincero affectu, atq; animo à cupiditate utilitatis propriæ, & omni alia passione libero servire Principi, permittendo interim, ut meritum operetur, & veritas secura magis & stabilis sit, quam artificiũ; & utendo solum præservativis quibusdam, quæ aut ad ipsum Privatum pertinent,

 aut

a *Quidam male alacres, quibus infaustæ amicitiæ gravis exitus imminebat.* idem l.4. Ann. b *Quousque irruitis in hominem? interficitis universi vos: tamquam parieti inclinato, & maceriæ depulsæ.* Psal.6.14.

c *Non tam solertia, quippe iisdem artibus victus est.* Tac. l.4. Ann.

aut ad Principem, aut ad Ministros ejusdem, aut ad aulam, aut ad populum, aut ad exteros.

§. Quod ad ipsum Privatum attinet, eum modestiæ, comitatis, & humanitatis statum conservare debet, in quo fortuna eum reperit. Dispellat à fronte illos singularis amicitiæ splendentes radios, quomodo faciebat Moyses, populo locuturus, postquam à familiari cum Deo colloquio è monte a revertebatur, ita ut nulla in eo Majestatis argumenta, aut hujus suæ cum Principe familiaritatis ostentatio appareant. Daniel, etsi apud multos Reges gratia polleret, una tamen cum aliis in anteriori conclavi b morabatur. Fugiat honores illos, qui aut ad Principem pertinent, aut Ministri sphæram videntur excedere; & si quis hos tales ei deferre paret, moneat ingenuè, æque se, ac illum, servum esse Principis, cui ista honoris signa debeantur: quemadmodum Angelus sanctum Ioannem monuit, cum eum venerari c vellet. Ne affectus suos, & passiones gratiæ, qua valet, beneficio executioni det. Audiat patienter, benevole & humaniter d respondeat. Favores aliorum ne captet, nec indignationes metuat, nec quo loco sit apud Principem dissimulet, nec rerum administrationem & auctoritatem supremam ambiat, nec armet sese contra invidiam, nec adversus æmulationem se muniat: in his enim ad suam defensionem parandis subsidiis, præcipuum consistit periculum. Deum, & infamiam metuat.

Sed & à familia & sanguine non leve Privato periculum est. Tametsi enim hujus actiones Principi probentur, ac populo, ea tamen, quæ à domesticis, & consanguineis ejus fiunt, placere semper non solent, quorum dissoluti mores, imprudentia, superbia, avaritia, & ambitio exosum eum reddunt, & præcipitant. Ne fallatur, in animum suum inducendo amicos aut cognatos à se evectos fortunæ & auctoritatis suæ columnas esse. Nam qui dependet à multis, in multis periclitatur, adeoque expedit eos intra modestiæ, & status sui humilioris terminos continere, procul à negotiorum procuratione, ita ut intelligant alii, eos nec gubernationis, nec gratiæ istius peculiaris, ullo modo esse participes, nec ideo, quod sint Domestici, in muniis præferendos. Quod si tamen præ aliis bene fuerint meriti, nollem cuiquam nocere Privati amorem, aut conjunctionem sanguinis. Christus exemplo suo id ipsum nos docuit, quippe qui in cognatos suos dignitatem Præcursoris, & Apostolici muneris contulit, at non Doctoris Gentium, neque Pontificatus supremi, quod istæ fidei S. Petri, & scientiæ S. Pauli deberentur.

a *Sed operiebat ille rursus faciem suam, si quando loquebatur ad eos.* Exod. c. 34. 35.

b *Daniel autem erat in foribus Regis.* Dan. 2. 49.

c *Vide ne feceris; conservus tuus sum, & fratrum tuorum habentium testimonium Iesu: Deum adora.* Apoc. c. 19. 10.

d *Audi tacens & pro reverentia accedet tibi bona gratia.* Eccli. 32. 9.

§. Cum

5. Cum Principe sequentes servet regulas: Primum, illud semper præ oculis habeat, affectum illius & favorem facillime immutari posse, & si quam forte mutationem notaverit, in causam ne curiosius inquirat, nec notitiam illius pręse ferat, ne Princeps ei subdiffidere, aut æmuli ruinam ejus sperare incipiant, quæ hoc ipso in proximo est, quod putetur, jam posse accidere. Deinde ne gratiam suam inniti faciat propensioni, & voluntati Principis, quæ facile variari possint, sed merito potius, nisi enim hujus beneficio gratiæ aurum consolidatum fuerit, æmulationis malleo resistere nequaquam poterit. Porro magis in Principe dignitatem diligat, quam personam. Zelum prudentia moderetur, suam intelligentiam judicio Principis: nemo enim ferre sustinet eum, qui secum de animi dotibus contendere satagit. Subsidium se arbitretur, non illius socium, & tanquam factura, factori suo se æqualem non *a* æstimet. Honestum ducat & gloriosum seipsum perdere (si ita necessitas tulerit) ad augendam illius amplitudinem. Consilia ei suggerat cum libertate animi gratiosa, demissa & *b* sincera, absque periculi ullius metu, & ambitione, ut Zelosus habeatur, in opinione sua contumax. Nullum negotium ita trahat ad se, ut illud sibi quasi proprium efficiat, neque in eo suam agi existimationẽ reputet, ut hunc aut illum exitum sortiantur, aut sua solum consilia sequantur alii, aut si semel placuerint, non mutentur deinde. Ejusmodi enim conatus periculo non carent; & expedit propterea, ut ne in expediendis negotiis & decernendis tam ardens sit, ut sese ipse consumat, neque tam frigidus, ut congelet: sed moderato incedat passu, prout tempus & occasio tulerint. Eo insuper magis advertat animum, ut suo recte fungatur munere in omnibus, quam ad gratiam & favorem Principis, sine affectatione tamen, & *c* jactantia: nam qui eo solum nomine Ministrum agit, ut fama inclarescat, existimationem Principi suffuratur. Silentium ejus sit opportunum, si utilitas postulaverit; verba prompta, & expedita, si opus fuerit, id quod in quodam suo familiari collaudabat Rex *d* Theodoricus. Principis obsequium privatæ suæ utilitati anteferat, quin sua & Principis commoda eadem esse ducat. Consanguineos Principis debita prosequatur veneratione, suamque in eo securitatem collocet, ut benevolos eos habeat, nec ipsos inter & Principem foveat odia; sanguis enim facile amicitiam redintegrat cum ipsius Privati nocumento. Curet præterea, ut Princeps optimos habeat ministros, & famulos, & im-

N 7 perandi

a *Quid est, inquam, homo, ut sequi possit Regem factorem suum?* Eccl. 2. 12.

b *Qui diligit cordis munditiem, propter gratiam labiorum suorum habebit amicum Regem.* Prov. 22. 11.

c *Cum feceritis omnia, quæ præcepta sunt vobis, dicite: Servi inutiles sumus.* Luc. 17. 10.

d *Sub genii nostri luce intrepidus quidem, sed reverenter astabat, opportune tacitus, necessarie copiosus.* Cass. l. 5. ep. 3.

perandi modum eum fideliter edoceat. Non oculos illi claudat, nec aures obstruat; quin in eo elaboret potius, ut ipse videat, tangat, & pertentet omnia. Suos illi errores ac defectus cum modestia exponat, neque ideo (si alias necessitas ita postulaverit) offensam metuat: etsi enim ad tempus patiatur aliquid gratia, agnito tamen postea errore convalescit iterum, & *a* roboratur; uti Danieli cum Regibus Babyloniæ usu venit. In iis, quæ Princeps violenter statuit, & aggreditur, ita se gerat, ut declinet ea potius, quam rumpat, expectando donec tempus ipsum, & incommoda eum melius instruant. Ne impediat, quo minus ad aures ejus perveniant querelæ & satyræ: hæ enim, si in innocentiam cadant, grana salis sunt, quæ Principis benevolentiam conservant, & monita quædam ad errores vitandos, & corrigendos mores. Recte facta, eorumque gratiam Principi tribuat; errata vero, & successus minus prosperos sibi imputari ne ægre ferat. Ruinam suam tanquam certam & exploratam semper habeat, præstolando illam constanti & libero animo, & absque rei privatæ studio, nec magnopere sollicitus sit de mediis, quibus suam apud Principem gratiam stabiliat. Qui magis metuit, ex alto citius præcipitat. Reflexio periculi caput obturbat, & b *sequitur vertigo prærupta cernentes*, qua vertigine quotquot laborarunt ex iis, qui in Principum aulis præ cæteris gratia & auctoritate floruere, omnes perierunt. Qui periculum istud contemsit, securus *c* transiit.

§. Erga Ministros socium se gerat potius, quam Dominum; patronum magis, *d* quam accusatorem. Bonos ad meliora exstimulet, è malis bonos efficere studeat. Caveat, ne suam ipse auctoritatem interponat, quando de eorum aut electione, aut depositione agitur. Iis negotia permittat, ad quos ea pertinent; Consiliorum cursum in consultationibus ne impediat: sinat omnes pervenire ad Principem; quod si hic eas cum ipso contulerit, poterit tunc judicium suum libere eloqui, non alio tamen affectu, quam ut in rem communem optime consulat.

§. Porro aula periculosissimus gratiæ illius scopulus est, & tamen omnes illa utuntur, ut hanc firment, & reddant perpetuam. Nullus in ea lapis est, qui solvi non cupiat & ruere, ut Privati illius statuam diruat, non minus destructioni obnoxiam, quam illa Nabuchodonosoris ob metallorum diversitatem. Nemo quisquam in aula securus Privati amicus est, si eligit aliquos, odium & invidiam apud alios excitat. Si eos Principi charos efficit, gratiam suam periculo objicit; sin minus, experietur eos hostes: adeoque tutissimum erit, media quadam via,

a *Qui corripit hominem, gratiam postea inveniet apud eum magis, quam ille, qui per lingua blandimenta decipit*, Prov, 28. 23.
b Seneca.

c *Qui ambulat simpliciter, ambulat confidenter.* Prov. 10. 9.
d *Rectorem te constituerunt? noli extolli: esto in illis quasi unus ex ipsis.* Eccl. 32, 1. Tac. l. 2. Annal.

via, & indifferenter incedere cum omnibus, nec ullius se immiscere officio, dando operam, ut quoad fieri potest, singulorum voluntati fiat satis, nec impediantur, sed juventur potius in procurandis commodis, quæ sperant. Quod si quis in Principis favorem sese insinuaverit, consultius erit eum servare benevolum in omnem eventum, si forte res ex voto ei successerit, quam velle eum impedire, aut deturbare de gratia: nam sæpe, qui luctatus cum alio eum prosternere voluit, una cum illo cecidit, & solet oppositio communiter favores magis incendere. Plures privati periere, quod nonnullorum ruinam molirentur, quam quod aliis ad eandem gratiam adjumento essent. Spernat suas apud Principem accusationes, aut laudes, easque casui & fortunæ relinquat.

§. Porro singularis ille Principis favor plurimum à populi dependet judicio, nam si iste privatum odisse cœperit, non poterit eum tueri Princeps contra communem omnium vocem; & si hanc contempserit, multitudo ipsa Privati judicem, immo & Carnificem constituere se solet, siquidem bene multos manibus illius occubuisse vidimus. Quod si populus eundem vehementer amet, non minus periculi est; nam ea res æmulationem atque invidiam in aliis excitat, immo in ipso Principe; unde *breves* plerumque & *infausti* esse solent *populi amores*. Quare ut inter extrema ista privatus ejusmodi securus incedat, ea omnia vitare oportebit, quæ plausum & acclamationem vulgi pariunt; in eo solum elaboret, ut pietate, liberalitate, humanitate & benevolentia bonam de se opinionem & existimationem concitet, in id semper animo intentus, ut justitia administretur, ut rerum ubertate Respublica floreat, ut ne pax & tranquillitas publica perturbetur, nec privilegia violentur, nec in ratione gubernandi introducantur novitates; ante omnia vero, ut caveantur controversiæ in rebus Religionis, & contentiones cum Ecclesiasticis; nam populi furorem experietur, si pro impio eum habere cœperint.

§. Exteri, in quibus non est naturalis ille in Principem amor, à privato magis, quam ab ipso dependent; quare illum potius venerantur, ut eo opitulante votis suis potiri queant, non absque insigni Principis despectu, & Statuum ejus detrimento; & aliquando ipsum privatum in ruinam trahunt præcipitem, si is desideriis eorum, & votis non cumulate satisfecerit. Eam ob rem cultum illum singularem exterorum admittere non debet, sed curare, ut ipsi paullatim intelligant, eum cortinam solum ante imaginem reducere, solum vero Principem esse, qui patret miracula.

Legati Principum privati amicitiam ambiunt, tanquam medium efficax ad negotia sua rite pertractanda, cumque ipsi plurimum ad ea prodesse sibi arbitrentur damna illa & incommoda, quæ ex privata Principum familiarita-

te nasci solent, bonis obsequiis fovere eam satagunt, inducti ad hoc interdum ab ipsomet privato; cumque occasionem habeant laudandi eum in audientiis, & prima fronte à privatæ rei studio & æmulatione omnino videantur alieni, multa operantur bona; verum periculosi amici sunt. Nam eos privatus benevolos conservare non poterit, nisi cum insigni Principis sui, bonique publici detrimento; & si muneris sui ac obligationis memor non iis abunde satisfaciat, hostes se profitentur, nec industria deest, aut facultas, qua ruinam illius moliantur. Quare tutissimum erit, non plus sese illis impendere, quam Principis obsequium atque utilitas permiserit, adeoque illud solum privatus procurabit, ut vir sincerus, comis & humanus ipse habeatur ab exteris qui bonas illas Principis sui cum aliis amicitias conservare malit, quam dissolvere.

§. Omnia isthæc præservativa privati lapsum cavere poterunt, si mox à principio adhibeantur: nam ubi semel in aliorum incurrerit odium, atque invidiam, malitiæ & fraudi ista tribuuntur, magisque periclitari faciunt gratiam; quemadmodum Senecæ accidit, qui mortem effugere non potuit, quantumvis a *instituta prioris vitæ commutaret, prohiberet cœtus salutantium, vitaret comitantes; rarus per urbem, quasi valetudine infensa, aut sapientia studiis attineretur.*

§. Quod si adhibitis omnibus istis remediis, Privatus aliquis nihilominus Principis gratia exciderit, lapsus ille inglorius non erit, cum immunis vixerit hactenus ab infami metu illam amittendi, & absque sollicitudine quærendi media generoso pectore indigna, quod gravius tormentum est ipsa Principis indignatione & odio. Et si in privata illa gratia aliquid inest boni, & sola ea gloria, quod quis à Principe æstimari meruerit. Continuatio illius plena curarum, & periculi est. Felicissimus ille, qui quam citissime, & majori cum honore inde emerserit.

§. Descripsi, Serenissime Princeps, Privatorum artes, non vero quomodo Princeps erga eos se gerere debeat, quod supponam omnino nullos ei esse debere: nam etsi concedendum illi sit, ut voluntatis propensione & gratia magis in unum feratur, quam in alium; non tamen, ut potestatem suam omnem in unum aliquem conferat, à quo mandatum, præmium & pœnam exspectare oporteat populum: talis enim auctoritas alienatio est Coronæ: unde semper gubernationi periculum imminet, etiamsi in electione personæ minime erret gratia: nunquam enim obedientia tanta, aut tantus cultus Privato defertur, quantus ipsi Principi, nec tanta illi cura de bono universali & publico, nec ita in manu sua cor Privati habet Deus, ac Principis. Quare etsi non pauci ex Antecessoribus Serenitatis Vestræ Ministros ejusmodi sibi familiariores, & præ cæteris charos habuerint, qui insigni cum diligentia & zelo (ut & hodie fieri videmus)

a Tac. l. 14. Annal.

mus) conati fuerint in omnibus quam rectissime agere, illud tamen assecuti non sunt, nec res ea felicem exitum habuit. Nec falli se sinat Serenitas Vestra exemplo Franciæ, cujus fines Privati unius consilio longe dilatari videmus, sed non absque Regni detrimento & jactura auctoritatis ipsiusmet Regis. Qui accuratius perpendere voluerit persecutionem Reginæ Matris, & Ducis Aurelianensis; profusum sanguinem Monmorancii, Prioris Vandomensis, Pilorantii & Domini de S. Marco; captivitatem Bullionii Ducis; tributa & oppressiones subditorum; usurpationem Ducatus Lotharingiæ; fœdera cum Batavis, Protestantibus, & Suecis inita; consilium capiendi Sabaudiæ Ducem Carolum Emmanuelem; pacem Monsonæ factam absque scitu fœderatorum; frænum Valli Telinæ & Grisonibus injectum, subsidia missa Scotiæ, & Parlamento Londinensi, expugnationes Fontarabiæ, Audomari, Theonis villæ, Tornaventi, & Casteleti; jacturam tot militum Lovanii, Tarraconæ, Perpiniani, Salsis, Valentiæ ad Padum, Imbreæ, & Rocæ; recuperationem Ariæ, & Basseæ: qui, inquam, ista omnia accuratius perpendere voluerit, videbit quod ejus consilia non nisi ab impetu profecta, omnisque ejus apud Regem gratia soli violentiæ innixa fuerit: quod in tanta ejus tyrannide ei fica pepercerit, alias in ipsam etiam Majestatem audax, quod denique temeritati suæ fortunam tam in omnibus habuerit propitiam, ut adversis successibus ille plura lucratus fuerit, nos vero secundioribus plura in dies perdiderimus. Quod manifestum indicium est, Deum ejusmodi Privati prosperitatem fovere ad Christianitatis exercitium, & castigationem, nostram antevertendo prudentiam, nostramque fortitudinem confundendo. Monarchiis ad exitium & ruinam destinatis illud obest etiam, quod easdem exaltare debuisset. Ita invasio per mare Adriaticum excitavit diffidentias; protectio Mantuæ, æmulationes, oppositio Nivernensis, bella; diversio per insulas Titonis, sumptus; exercitus Alsatiæ, æmulos; bellum pro Hispania, rebelliones. Arma maritima, aut tempori non fuere edicta, aut cum tempore sensim interiere; terrestria vero ob victualium, aliarumque rerum necessariarum defectum effectu penitus caruerunt. In obsidione Casalensi occasionem perdidimus bello finem imponendi. Vnum aliquod consilium Secretarii Passerii Principi Thomæ impressum obstitit, quo minus Taurino succurreret, & de Francia triumpharet: ob inanem aliquam de prærogativa contentionem idem Ariæ accidit; ob aliquem nuncium de Atrebato jam ab hostibus fossis & aggeribus cincto succurrendi cura intermissa: ob inanem aliquem fidei servandæ scrupulum succursus Ambillerii admissus non fuit: per ignaviam aut occultam cum hoste conspirationem Capella se dedidit. O divinam providentiam! quem finem spe-

ctat illa eventuum varietas, tam longe à caussis suis aberrantium! Credite, non mero casu in ejusmodi Privatorum arbitrio Europæ posita est gubernatio. Faxit Deus, ut successus votis respondeat publicis.

SYMBOLVM LI.



NIhil melius utiliusque mortalibus, prudente diffidentia. Vitæ fortunarumque custodia est, quam nostra nobis suadet conservatio: ubi ea non est, cautio esse nequit; sine

sine hac autem omnia periculis forent exposita. Princeps paucioribus confisus melius status sui gubernacula moderabitur. Vna sola confidentia secura est, ab arbitrio nimirum & voluntate alterius non dependere. Ecquis enim securus unquam esse poterit de corde humano in intimis pectoris recessibus abdito, cujus arcana consilia tam scite tegere & dissimulare novit lingua, tam dextre pernegant oculi, aliiq; corporis *a* motus? Pelagus est pugnantibus inter se affectuum fluctibus inquietum, mare sinuosum, & occultis plenum syrtibus, nec ulla unquam fuit charta nautica, quæ eas potuerit ostendere. Quam igitur acum, prudentiæ magnete tinctam, dabimus Principi, ut per tot tamque diversa maria absque periculo *b* naviget? quas regulas & documenta ad discernendos ventos, ut habita temporis ratione nunc laxet, nunc contrahat confidentiæ vela? In hoc potissimum regnandi consistit artificium. Hic maxima Principi imminent pericula, quia aut rerum experientia, notitiaque destitutus est, aut negotia & subditos tractare nondum didicit, præsertim cum nemo eorum, qui cum ipso agunt, malus esse videatur. Omnes eo præsente vultum ad honestatem componunt, & actiones suas rite obeunt. Verba præmeditata merum sonant amorem, boni publici zelum, & fidelitatem. Exterior oris corporisque species obsequium pollicetur, venerationem, & obedientiam; in imo tamen pectore rancorem, odium, & ambitionem fovent. Quam opinor causam fuisse, ut nonnemo dixerit: c *Principem nemini fidere debere.* Verum *utrumque in vitio est, & omnibus credere, & nulli.* Nemini omnino fidere, Tyranni suspicio est: fidere omnibus, Principis imprudentis facilitas. Non minoris in illo momenti confidentia est, ac diffidentia. Digna illa regio & sincero pectore; isthæc vero ad gubernandi artem perutilis, utpote ejus beneficio prudentia politica operatur, & suas rite moderatur actiones. Difficultas in eo posita est, ut utraque tempore suo, & loco uti quis noverit, ut nec confidentia nimis credula perfidiæ, & periculis ansam præbeat, nec diffidentia cauta nimis & suspicax odium pariat, & adducat in desperationem, aut Princeps, quia nemini fidit, ad omnem tractatum prorsus fiat inidoneus. Non omnia confidentia metienda sunt & ponderanda, uti nec omnia diffidentia. Si nunquam Princeps confideret, quis absque præsenti periculo eidem posset assistere? quis in ejus perseverare obsequio? Nec minus periculosa infelicitas est, ob inanes suspiciones fideles à se Ministros arcere, quam ex levi credulitate se iis credere, qui fideles non sunt. Ita confidat Princeps, ut fidem habeat; verumtamen non sine

a *Cor hominis immutat faciem illius, sive in bona, sive in mala.* Eccl. 13. 31.

b *Pravum est cor hominum, & inscrutabile; quis cognoscet illud?* Ier. 17. 9.

c Seneca.

ſine omni deceptionis metu, aut dubitatione ſaltem. Atque hæc dubitatio non retardare illum debet in ſuo opere, ſed ſolum commonere. Ni dubitaret, incurioſus eſſet, ac negligens. Dubitare, cautio quædam eſt, quæ ſecurum eum reddit; nec aliud, quam res ſuis invicem momentis expendere. Qui non dubitat, veritatem aſſequi non poteſt. Sic confidat, tanquam crederet: ſic diffidat, tanquam ſi fidem non haberet. Attemperatæ ea ratione inter ſe confidentia, & diffidentia, ac directæ à ratione & prudentia, miros habebunt effectus. Cautus igitur ſit Princeps in tractandis negotiis, in fœderibus ſanciendis, in pace conficienda, & tractatibus aliis, qui ad gubernationem pertinent, & ſi ſponſione manus confirmandi ii fuerint, manus oculata ſit oportet (uti præſens Emblema exhibet) quæ ante videat diligenter, quid agat. Non ſolis Amatoris promiſſis movebatur lena illa apud Plautum, quæ ajebat: *Manus noſtra oculata ſunt, credunt quod vident.* Et alibi diem oculatum appellat, quo nonniſi parata vendebatur, emebaturque pecunia. Cœca ſunt animi decreta, quæ ex ſola fiunt confidentia. Pythagoræ ſymbolum fuit, non cuivis facile dandam eſſe manum. Nimis periculoſum eſt, leviter omnibus fidere. Conſideret itaque Princeps etiam, atque etiam qui negotiis ſe impendat, & habeat pro explorato, omnes fere ſive amicos, ſive hoſtes, id contendere, ut fallant, alii graviter, ac leviter alii. Alii ut ſceptro & fortunis eum expolient; alii ut benevolentiam, gratiam & favorem illius ſibi concilient. Non ideo tamen opinio iſthæc præſumpta malitiæ ſervire debet, & fraudi, perinde quaſi in Principis eſſet arbitrio, ſtare conventis ac promiſſis, aut eadem pro libitu violare: ſic enim fides turbaretur publica, & grandiſſimam exiſtimationi ſuæ maculam aſpergeret. Cautio iſta nihil aliud eſſe debet, ac prudens quædam circumſpectio, & prudentia politica. Diffidentiam ex ſuſpicione ortam improbamus in Principe, ſi levis ſit, & vitioſa, quæ illico ſuos prodit effectus, & ad executionem progreditur, non circumſpectam illam, & univerſalem, quæ omnes æqualiter reſpicit, nulli interim in particulari ſiniſtri quicquam imputando, donec circumſtantiæ probe examinatæ, à ratione aliud ſuaſerint. Et fieri poteſt, ut licet alicui ſatis non fidas, bonam tamen de eo habeas opinionem: iſta enim diffidentia non particularis eſt de actionibus illius; ſed cautio quædam prudentiæ generalis. Intra ipſa regnorum viſcera arces eriguntur, ac propugnacula, & præſidiis firmantur, atque cuſtodiis, non ſecus ac ſi in hoſtium finibus ſita eſſent. Nec inutilis eſt illa prudentia, aut Subditorum fidelitati quicquam derogat. Confidat Princeps Conſanguineis ſuis, Amicis, ſubditis & Miniſtris; verum non tam vecors illa ſit Confidentia, aut altum dormiat quaſi ſecura ab omnibus caſibus, quibus aut do-

minandi

minandi cupiditas, aut rei privatæ studium, aut odium denique perturbant fidelitatem, perruptis fortioribus Iuris Naturæ & Gentium repagulis. Si Princeps tam socors sit, ut diligentiam istam onus reputet: ut minoris æstimet damnum, quam vivere inquietum ob tot ac tantas cautiones: ut sinat ire omnia, nec attendat ad incommoda, quæ evenire possunt, facile fiet, ut Ministri mali evadant, & interdum etiam infidi: cum enim ad gubernandum videatur inhabilis, despicatui habetur ab aliis, & singuli commissam sibi gubernationis partem tyrannice procurant. Verum si Princeps sit vigilans, qui licet confidat, non omnem tamen omittit cautionem; qui sic semper instructus est, ut nunquam eum è consiliis, aliisque mediis imparatum offendat perfidia; qui absolute non judicat, sed prævertit solum; qui non arguit, sed præservat fidelitatem, ut ne in periculum adducatur, is Coronam suam secure stabiliet. *a* Nulla fuit occasio, cur animum Regis Ferdinandi Catholici ulla subiret suspicio de fide magni Ducis, & tamen eo non obstante certos habebat homines, qui secreto ad omnes ejus actiones sollicite advigilarent, & attenderent, ut cognita illa diligentia tanto cautiorem se in omnibus gereret. Et sane diffidentia vere non fuit, sed prudentiæ officium, quæ provida est in omnibus casibus, & æmulationibus dominatus, quippe quæ non semper ad rationis trutinam ponderantur, & expedit interdum eas etiam levibus de causis suscipere: malitia enim fere cœco quodam modo agit absque prudentia, immo & imaginatione.

Cavendum tamen, ne metus ille levis sit, sine sufficienti fundamento, ut eidem Regi *b* Ferdinando cum eodem Magno Duce postea accidit: etsi enim is post cladem apud Ravennam valde illius opera indigeret pro rebus Italiæ, ea tamen uti noluit, viso tanto applausu quo omnes exire ex Hispania, & stipendia sub eo merere gestiebant, quin in omnem eventum Ducis Valentini præoccupavit animum, certis mediis procurando, ut de ipso securus esset. Ea ratione, ut de una aliqua fidelitate, quam expertus fuerat, dubitando, alteri magis suspectæ sese exponeret. Ita animi plus æquo suspicaces, ut unum aliquod effugiant periculum, in graviora incidunt, etsi interdum in Principibus, nolle tantorum virorum uti obsequio, invidia potius sit, aut ingratitudo, quam suspicio. Forte etiam qua erat astutia ille Rex, minime è re sua fore arbitratus fuerit, ut ejus deposceret operam, quem non optime contentum esse probe noverat. Principi, qui semel diffisus fuit, haud multum debet fidelitas. Quo quis magis ingenuus est, & generosiori animo, hoc sentit gravius, si fides sua vocetur in dubium, & offensus tanto audet facilius ab ea desciscere. Hæc causa fuit, cur Getulius ad Tiberium perscriberet, *sibi fidem inte-*

a Mar. hist. Hisp.

b Mar. hist. Hisp.

integram, & si nullis insidiis peteretur, mansuram. Longus usus & experientia variorum eventuum tam circa se, quam circa alios erudire debent Principes, quomodo fidendum sit subditis. Inter alia monita, quæ Rex Henricus Secundus filio suo Principi Ioanni dederat, illud unum fuit, ut gratias in eos collatas, qui partes ejus contra Regem Petrum Dominum suum naturalem secuti fuerant, tueretur quidem; ita tamen illis fideret, ut fidelitatem eorundem semper suspectam haberet; ut in muneribus, & officiis illorum uteretur opera, qui cum Rege Petro fecerant: quippe qui homines constantes essent ac fidi, atque adeo obsequiis offensiones præteritas compensaturi: ne vero crederet iis, qui neutrales, ut vocant, haberi voluerant, eo quod privati sui commodi magis, quam boni publici amantes se exhibuissent. *Proditores etiam iis, quos anteponunt, invisi sunt.* Contra homo fidus illi quoque, adversus quem agit, gratus est. Nec alia causa Othoni fuit, cur Celso fideret, quam quod constanter Galbæ *a* is inservisset.

5. Porro nequaquam expedit, Ministrum aliquem subito & uno quasi saltu ad summas dignitates evehi: istud enim illi invidiam, Principi odium parit apud alios, utpote qui ex levitate agere videatur. Nullus Ministrorum tanta est modestia, qui non offendi se putet; nullus tam recti amans, qui suo rite fungi velit munere, si alium inique sibi præferri videat; uni forte fit satis, & queruntur quamplurimi, à Ministris autem non bene contentis nihil in gubernatione recte geritur. Ejusmodi electiones nihil aliud sunt, quam informes quidam abortus; & altiores agit radices fidelitas, si per obsequia præstita ad honores & præmia pervenire oporteat. Interea tempus suppetit Principi ad capiendum de Ministro experimentum, prius in officiis minoribus, ne nimis caro constet, & tum deinde in aliis *b* majoribus. Antequam in pacis bellique negotiis eum occupet, videat primum ubi magis periclitari possit ejus fidelitas; quæ item subsidia à sanguine, à Nobilitate, ab opibus habeat. Atque hæc observatio in iis potissimum muneribus apprimè necessaria est, quæ quasi claves sunt, & securitas Statuum. Hoc nomine Germanicum Tiberius *c* *acerrime increpuit, quod contra instituta Augusti, non sponte Principis Alexandriam introisset. Nam Augustus inter alia dominationis arcana, vetitis, nisi permissu, ingredi Senatoribus, aut equitibus Romanis illustribus, seposuit Ægyptum*, eo quod Imperii esset granarium, ut proinde qui illa potiretur provincia, istud manu sua & potestate habere videretur. Pro majori vero securitate, atque ut Minister magis in officio contineatur, expedit pluculum auctoritatis concedere Magistratui & Consiliis provinciæ: nulla enim fræna meliora,

a *Mansitque Celso velut fataliter, etiam pro Othone fides integra & infelix.* Tac. lib. 1. Hist.

b *Qui fidelis est in minimo, & in majori fidelis est.* Luc. 16. 10.

c Tac. l. 2. Annal.

liora, ac ista & quæ fortius obsistant erratis illius, qui aliis imperat.

§. Ad nullum autem munus idonei sunt animi abjecti & humiles, qui non conituntur ad gloriam, & alios antecellere cogitant. Præcipua dos, quam in Iosue Deus reperit, ut eum grandioribus adhiberet negotiis, illa fuit, quod magnus in eo esset *a* Spiritus. Verum tamen animus tam elatus esse non debet, ut natum se subditum doleat, & intra Fortunam suam se cohibere nesciat: in his enim talibus, quia ad altiorem semper aspirant gradum, vel maxime fidelitas in periculo est, & si quis illum prætendere prætermiserit, certum est aut vires aut scientiam defuisse; præterquam quod in iisdem zelus boni publici, & obedientiæ promptitudo facile deficiat.

§. Magna ingenia, nisi modesta sint, & instructionem admittant, æquè periculosa sunt: hæc etenim, cum superba plerumque sint, sibique ipsis mire placeant, jussa aliorum contemnunt, putantque ad suum arbitrium omnia debere peragi. Nec minus obstaculi solet esse ab eximiis animi dotibus, quibus excellit aliquis, quam si omnino destiturus iis sit: nullus enim eum capit locus, qui de meritis suis nimium præsumit. Tiberius *b* *neque eminentes virtutes sectabatur, & rursus vitia oderat; ex optimis periculum sibi, à pessimis dedecus publicum metuebat.*

§. Nec item boni Ministri esse solent, qui amicis abundant, florentque fortunis ac opibus: hi enim cum non egeant Principe, *c* & *in affluentia fortunæ, virium, opum & amicorum, aliorumque talium constituti sint*, pericula & labores defugiunt, *& regi atque obedire, neque volunt, neque nôrunt.* *d* Vnde Sosibius Britannicus dicere solebat, *Auri vim, atque opes Principibus infensas esse.*

§. Vbi igitur præmisso examine debito, aliquis in Ministrum asscitus fuerit, omni exteriori motu sinceram erga eum confidentiam præ se ferat Princeps; semper tamen in actiones ejusdem, & consilia intentos habeat oculos: quod si forte ex iis periculum aliquod sibi creari posse videat, alteri eum muneri applicet, ubi voluntates aliorum non tantopere sibi obstrictas habeat, neque tantam male agendi opportunitatem: major enim prudentia, & benignitas est, præcavere, ne quis scelere se astringat, quam post admissum scelus, delicti veniam concedere. Victoriæ Germanici in partibus Germaniæ, & militum applausus, etsi ex una parte Tiberium lætitia affecerint, ex altera tamen curas illi, & æmulationem *e* pepererunt: cumque postea res in Oriente turbatas cerneret, non mediocriter gavisus est, *f* *ut ea specie Germanicum suetis legionibus abstraheret, novisque*

a *Tolle Iosue virum, in quo est Spiritus.* Num. 27. 18.
b Tac. lib. 1. Annal.

c Arist. lib. 4. Pol. c. 11.
d Tac. lib. 11. Annal.
e *Nuntiata ea Tiberium lætitia, curaque adfecere.* Tac. l. 1. Annal.
f Idem lib. 2. Annal.

visque Provinciis impositum, dolo simul & casibus objectaret. Verum si Ministrum aliquem ab officio removeri oportuerit, id fiat specie honoris, & antequam incommoda palam innotescant, ea cum prudentia, ut ne animadvertat sibi diffidere Principem, nam sicut *a multi fallere docuerunt, dum timent falli*; ita dubitare infidos reddit. Eam ob rem Tiberius, cum Germanicum Romam postea revocare vellet, id fecit triumphi specie, b *alterius modestiam ejus aggressus, alterum ei consulatum offerendo*; qua in re admodum liberales solent esse Principes, dum suspicionibus suis se liberare cupiunt.

§. Si subditus semel reverentiam erga Principem exuerit, nil postea confidentiæ proderit, ut securo vivere liceat. Sanctius Primus Legionis *c* Rex veniam dederat Comiti Gonsalvo, quod bellum contra ipsum suscepisset. Conatus est eum insuper beneficiis & gratiis demereri, sed quæ obstringere eum debuerant, ansam dedere potius, ut Regi venenum pararet.

§. Quando de utilitate & commodis Principum agitur, nullum amicitiæ, aut cognationis vinculum ad securitatem sufficit, ut unus fidat alteri. *d* Diffidebant inter se Ferdinandus Magnus Rex Castellæ, & Garsias Navarræ Rex; cumque hic Anagari morbo teneretur, deliberavit de Germano suo fratre captivo attinendo, qui visum eum venerat: sed cum secus caderet, voluit dissimulare postea, invisendo ad Ferdinandum, dum Brugis æger esset, qui comprehendi eum jussit. Efficacior nimirum est in Principibus vindicta & ratio Status, quam amicitia aut sanguis. *e Difficiles fratrum* & amicorum *dissensiones, & qui valde amant, valde odio habent.* Vnde illud etiam licebit animadvertere, quam imprudens sit confidentia eorum Principum, qui in hostium suorum arbitrio sese constituunt. Vitam suam in apertum adduxit discrimen, immo amisit Granatæ Rex, cum confisus securitatis literis ad Regem Petrum abiisset, suppetias ab eo petiturus. Cautiorem ea in re se gessit Ludovicus Sfortia Dux Mediolanensis, qui cum Rege Franciæ oretenus colloqui nolebat, nisi in medio aliquo fluvio, & supra interscissum pontem: ea enim Principum Italorum conditio est, ut diffisi semel, nunquam postea confidant amplius. Quare multi in Italia vehementer admirati sunt, quod Magnum Ducem & Regem Ferdinandum Catholicum, hunc item & Regem Franciæ ejus hostem una esse viderent. Dantur quoque nonnulli casus, in quibus longe securior est confidentia quam diffidentia, *f* adeoque illa uti, animosque obligare magis expedit. Alphonsus Sextus regno Legionis exutus, in aulam Regis Mauri Toletani se receperat; mortuo tamen Rege Sanctio, secreto à Statibus ad Coronam invitatus fuit, quod

a Seneca.
b Tac. lib. 2. Annal.
c Mar. hist. Hisp.
d Mar. hist. Hisp.

e Arist. l. 7. Pol. c. 6.
f Mar. hist. Hisp. l. 9. c. 8. & 10.

quod suspicarentur, ne Mauri forte, re intellecta, vi eum detinerent. Verum qua erat prudentia Alphonsus, & hospitii beneficium, amicitiamque grato animo reçolens, rem totam Regi Mauro exposuit. Quę confidentia Regem istum barbarum sic affecit, ut licet re jam ante cognita, insidias illi posuisset, ut caperetur, liberum eum abs se dimiserit non solum, sed & necessarios ad iter sumptus munifice suppeditarit. Tanta gratitudinis vis est, quæ cor maxime etiam ferox & inhumanum armis exuit.

§. Diffidentiæ inter duos aliquos Principes excusationibus, & satisfactionibus curari non debent, sed contrariis actibus. Si tempus eas non sanet, sanare nunquam poterit diligentia: vulnera sunt, quæ scrutatore, & manu magis etiam exulcerari solent, & genus quoddam manifestæ æmulationis, quæ ad perfidiam viam sternit.

SYMBOLVM LII.

Scorpius etiam translatus in cœlum & inter sidera collocatus, suam malignitatem retinet; quin immo tanto ea ibi major est, quam hic existentis in terra, quanto venenata ejus agendi vis in omnia hæc inferiora porrigitur latius. Probe expendant Principes indolem & dotes subditorum, quos ad Magistratus & dignitates evehunt: in his enim propensiones, & vitia naturalia augescunt indies, atque adeo virtutes ipsæ in periculo sunt interdum, eo quod voluntas potentia armatam se videns, & facta audacior, obluctetur rationi, eique dominetur, nisi tam firma & potens illa sit, ut possit resistere, ne faventioris fortunæ splendoribus obscuretur, aut evanescat. Quod si viri etiam probi in magnis amplisque muneribus & officiis ab honesto deflectere solent, improbi certe pejores fient. a *Invenit etiam æmulos infelix nequitia, quid si floreat vigeatque?* Et si semel Malitia honores promereri potest, quis virtutis via ad eosdem grassabitur? Illa à natura nobis inest; hæc labore paratur, ac studio. Illa per vim sibi arrogat præmia; hæc ea patienter expectat: appetitus vero magis propria sua gaudet violentia, quam merito, & moræ impatiens à sua dependere mavult industria, quam alieno arbitrio. Munera Reipublicæ in hominem improbum conferre est optimo cuique adimere animum & vires, roburque malitiæ addere. Iniquus aliquis civis in vita privata graviter nocere vix potest, nonnisi contra paucos improbos suos exercet mores: at in Magistratu adversus omnes, cum Iustitiæ sit arbiter, & administrationem, gubernationemque totius corporis Reipublicæ in potestate sua b habeat. Improbi iis muner bus præfici non debent, in quibus improbitatem suam exercere valeant. O Hu-

a Tacit. l. 4. Hist.

b *Nam qui magnam potestatem habent, etiamsi ipsi nullius pretii sint, multum nocent*, Arist. l. 1. Pol. c. 9.



Hujus incommodi vitandi caussa Natura ipsa solers ac provida rerum omnium dispensatrix, alas pedesque venenatioribus animantibus denegavit, ne multum detrimenti adferre possent. Quisquis malitiæ pedes addit, aut alas, hoc agere videtur, ut currat illa, aut volet. Solent vero plerique Principes malorum potius, quam proborum uti opera, eo quod videant illos ordinatiò præ istis *a* esse sagaciores. Sed egregie falluntur: neque enim Malitia sapientia est, nec clarum sincerumve judicium esse po-

a Filii hujus sæculi prudentiores filiis lucis in generatione sua sunt. Luc. 16.8.

potest, ubi virtus non est. Laudabat ea re prudentiam Romanorum, Alphonsus Aragoniæ & Neapolis Rex, quod Honoris templum intra septa templi virtutis sic construxissent, ut nonnisi per hoc illud cuipiam liceret ingredi, eo quod existimarent honoribus indignum esse eum, qui virtutibus non polleret; nec ad officia & dignitates admittendos, qui non prius virtutis vestibulum subiissent. Et quî absque isthac Minister aliquis Reipublicæ utilis esse poterit? quomodo inter ipsa vitia locus erit Prudentiæ, Iustitiæ, Clementiæ, Fortitudini, cæterisque virtutibus ei necessariis, qui cum imperio præest aliis? quomodo is, qui paret, eas tuebitur, quæ ab ipso requiruntur, si desit exemplum Ministrorum, quorum actiones, moresque attente observat, & cum adulatione imitatur! Ministrum virtute præditum populus in veneratione habet, sibique persuadet, nihil non recte ab eo agi posse; contra nullam Ministri alicujus mali actionem in meliorem partem accipit, aut approbat. Optimum consilium in senatu Spartano Demosthenes dederat; sed quia passim homo flagitiosus audiebat, acceptatum non fuit, sed alium aliquem ex Ephororum ordine idem illud consilium dare oportuit, ut admitterent, & executioni mandarent. Tanti refert, hanc populi persuasionem esse bonam, ut tum etiam, cum Minister minime malus est, periclitetur tamen in manibus ejus gubernatio, si à populo minus recte sentiente pro homine vitioso habeatur. Movit ea res Henricum Quartum Angliæ Regem (cum regni gubernacula susciperet) ut abs se dimitteret, quos licentioris vitæ in ætate juvenili habuerat socios, malosque Ministros exauctoraret, substituendo in eorum locum homines virtute insignes, gratosque subditis. Nec in aliam caussam feliciores eventus, & victoriæ Regis Theodorici referebantur, quam quod optimos quosque legeret Ministros, Consiliariisque uteretur Prælatis virtutis & probitatis laude conspicuis. Sunt nimirum Ministri quædam quasi effigies Majestatis, quæ cum ubivis coram esse nequeat, per illos quodam modo repræsentatur. Quare decet omnino, ut Principi moribus & virtute haud sint dissimiles. Cumque Princeps se solo omni in loco potestatem suam, quam communi populi consensione adeptus est, exercere non possit, videat diligenter, quanam ratione eam inter Ministros dispertiat. Hos enim plerumque a *delectat superbia sua longum spectaculum, minusque se judicant posse, nisi diu multumque singulis, quid possint, ostendant.* Ex quo illa etiam quæstio decidi potest, quisnam Reipublicæ status melior sit; an ille, in quo Princeps est bonus, mali vero Ministri; an contra ille, in quo Princeps est malus, Ministri autem boni: b *nam posse etiam sub malis Principibus magnos viros esse*, Tacitus auctor est. Enimvero cum necesse sit, ut Princeps in pluribus Ministris suam substituat

O 2 poten-

a Seneca.
b Tacit. in vita Agric.

forte domare, & regere noverunt, illico exercitum gubernare poterunt. a *Nam unum opus ab uno optime perficitur, quod ut fiat, munus est Legum latoris providere, nec jubere, ut tibia canat quisquam, & idem calceos conficiat.* Graviter ea in re hallucinatus est Ludovicus Sfortia, Dux Mediolanensis, dum armorum administrationem adversus Regem Franciæ commisit Galeaso Sanseverino, homini quidem in equis tractandis dexterrimo, sed belli prorsus imperito. Melior fuit Mathathiæ electio, cum discessurus Iudam Machabæum exercitui ducem præfecit, virum robustum & exercitatum; fratrem vero Simonem, quod judicio polleret, à consiliis esse b voluit. Ea in re grandes his nostris temporibus committi videmus errores, permutatis frænis cum administrationibus publicis. Atque hæ diversæ sunt in Regnis, & Rebuspublicis: aliæ ad Iustitiam pertinent; aliæ ad ubertatem; ad bellum aliæ; aliæ ad pacem: & tametsi inter se valde discrepent, una tamen facultas, aut virtus civilis eas omnes moderatur, & ad finem conservationis Reipublicæ dirigit, ita ut ad hunc finem contendant singuli, qui eandem moderantur, per certa media accommodata muneri, quod gerunt. Hæc civilis virtus varia est pro variis Rerumpublicarum formis, quæ diversæ sunt inter se secundum diversa gubernandi media, quibus uti solent; unde porro fit, ut civis bonus esse quis possit, non tamen ideo bonus sit Reipublicæ moderator: esto enim, à virtutibus multis moralibus instructus sit, eæ tamen non sufficient, si civiles desint, & habitudo illa naturalis, ad regendum & imperandum idonea.

5. Eam ob rem plurimum proderit, si Princeps naturas propensionesque subditorum probe perspectas habeat, ut iis deinde opportune uti noverit: nam in bona ista electione totius prope gubernationis consistit felicitas. Ingenium Hermanni Cortesii aptissimum erat ad detegendas, & occupandas Indias; illud vero Consalvi Ferdinandi Cordubæ ad bellum Regno Neapolitano inferendum: quod si secus accidisset, & priori illi armorum cura contra Francos, huic altori vero novi orbis investigatio demandata fuisset, non æque res evenisset feliciter. Vni alicui æqualia pro rebus omnibus dona Natura non impertiit, sed unum aliquod excellens & præstans pro unico aliquo officio, seu parcitatis id fuerit, seu prudentiæ potius: c *sic enim optime instrumenta proficient, si eorum singula non multis, sed uni deserviant.* Ea de caussa in Carthaginensibus improbat Aristoteles, quod unius solius opera pro multis uterentur officiis: nemo enim ad omnia idoneus est. d *Nec facile credendum est* (ut bene expendit Iustinianus Imperator) *duabus* necess-

a Arist. lib. 2. Pol. c. 9.

b *Et ecce Simon frater vester, scio quod vir consilii est: ipsum audite semper, & ipse erit vobis pater. Et Iudas Machabæus fortis viribus à juventute sua sit vobis Princeps militiæ, & ipse aget bellum populi,* 1 Machab. 2. 65.

c Arist. l. 1. Pol. c. 1.

d L. 15. §. 1. C. de Assess.

potentiam, si minus probi ii fuerint, magis perniciosi erunt Reipublicæ, quam Princeps bonus eidem prodesse possit: ejus enim bonitate abutentur, & boni specie ad fines suos sinistros, & commoda privata sensim eum pertrahent, non ad commune & publicum bonum. Princeps aliquis malus à multis bonis Ministris corrigi poterit; non item multi Ministri mali à bono aliquo Principe.

§. Arbitrantur nonnulli, à Ministris bonis Principi ligari manus, & libertatem ejus imminui, quoque subditi fuerint flagitiosiores, eo ipsum à periculis securiorem fore. Impium prorsus consilium, & ab omni ratione alienum: *ille* [a] enim *Reip. status quietior, optabilis, & firmissimus est, in quo & privatim sanctè innoxieque vivitur, & publicè Iustitia & Clementia vigent.* Bonorum gubernatio longe tolerabilior est: ubi deest virtus; legum jacet auctoritas, amatur libertas, dominatio in odio est, unde inclinationes Statuum nascuntur, & ruinę Principum. Quare opus est, ut Ministros habeant virtuti deditos, qui cum zelo & probitate iisdem à consiliis sint, suoque exemplo & auctoritate virtutem introducant in Rempublicam, & foveant. Tiberius extrema virtutis, & vitii periculosa reputabat in Ministro aliquo, & medium (ut ostendimus alibi) malebat eligere. Sed Tyranni hic metus fuit: si bonus est Minister virtute præditus, utique melior erit majori virtute præditus.

§. Verum tamen non sufficit omnino Ministros virtutibus excellere, nisi in iisdem etiam eluceant eæ animi dotes, atque experientiæ ornamenta, quæ ad bene gubernandum apprime conferunt. Deplorat etiamnum Æthiopia, & adustis incolarum frontibus, fuscisque corporibus satis testatur pessimum illud Phœbi consilium (si tamen Philosophia, & morali antiquorum doctrina è fabulis eorundem deprompta uti liceat) quando lucis quadrigas filio suo Phaëtonti moderandas commisit juveni inexperto, & qui tantum, tamque clarum imperium nondum promeritus fuerat. Ejusmodi periculi secum adferunt electiones factæ per saltum, & non per gradus, in quibus experientia nosse discit paulatim subditos, & sensim ad altiora provehit. Ipse etiam Tiberius, quamvis Tyrannus, suos tamen nepotes absque isthac consideratione promovere nunquam voluit. Factum reipsa cum Druso, cui tribunitiam potestatem *non propere* contulit, [b] *sed per octo annos capto experimento.* Dignitates in inexpertum conferre, donativum est; in probe exercitatum, remuneratio & Iustitia. At verò non omnes experientiæ, sicut nec omnes virtutes cuilibet muneri publico apte conveniunt, sed eæ solum, quæ ad illam gubernationis politicæ partem pertinent, quę cujusque est propria: nam qui ad unum aliquod officium publicū idonei sunt, non semper apti sunt ad alia; neque maris experientiæ ad negotia terra gerenda deserviunt; neque qui equum forte

[a] Polyb.

[b] Tacit. lib. 3. Annal.

orte domare, & regere nount, illico exercitum gubernae poterunt. a *Nam unum opus b uno optime perficitur, quod ut at, munus est Legum latoris proidere, nec jubere, ut tibia canat uisquam, & idem calceos confiiat.* Graviter ea in re hallucinatus est Ludovicus Sfortia, Dux Mediolanensis, dum armorum administrationem adersus Regem Franciæ commisit Galeaso Sanseverino, homini quidem in equis tractanlis dexterrimo, sed belli prorus imperito. Melior fuit Mathathiæ electio, cum discessuus Iudam Machabæum exercitui ducem præfecit, virum obustum & exercitatum; fratrem vero Simonem, quod julicio polleret, à consiliis esse voluit. Ea in re grandes his ostris temporibus committi idemus errores, permutatis rænis cum administrationibus ublicis. Atque hæ diversæ unt in Regnis,& Rebuspublicis: aliæ ad Iustitiam pertiient; aliæ ad ubertatem; ad ellum aliæ; aliæ ad pacem: & tametsi inter se valde discreent, una tamen facultas, aut irtus civilis eas omnes modeatur,& ad finem conservationis Reipublicæ dirigit, ita ut d hunc finem contendant inguli, qui eandem moderanur, per certa media accommodata muneri, quod gerunt. Hæc civilis virtus varia est pro ariis Rerumpublicarum formis, quæ diversæ sunt inter se secundum diversa gubernandi media, quibus uti solent; unde porro fit, ut civis bonus esse quis possit, non tamen ideo bonus sit Reipublicæ moderator: esto enim, à virtutibus multis moralibus instructus sit, eæ tamen non sufficient, si civiles desint, & habitudo illa naturalis, ad regendum & imperandum idonea.

5. Eam ob rem plurimum proderit, si Princeps naturas propensionesque subditorum probe perspectas habeat, ut iis deinde opportune uti noverit: nam in bona ista electione totius prope gubernationis consistit felicitas. Ingenium Hermanni Cortesii aptissimum erat ad detegendas,& occupandas Indias; illud vero Consalvi Ferdinandi Cordubæ ad bellum Regno Neapolitano inferendum: quod si secus accidisset, & priori illi armorum cura contra Francos, huic alteri vero novi orbis investigatio demandata fuisset, non æque res evenisset feliciter. Vni alicui æqualia pro rebus omnibus dona Natura non impertiit, sed unum aliquod excellens & præstans pro unico aliquo officio,seu parcitatis id fuerit,seu prudentiæ potius: c *sic enim optime instrumenta proficient, si eorum singula non multis, sed uni deserviant.* Ea de caussa in Carthaginensibus improbat Aristoteles, quod unius solius opera pro multis uterentur officiis: nemo enim ad omnia idoneus est. d *Nec facile credendum est* (ut bene expendit Iustinianus Imperator) *duabus*

 neces-

a Arist. lib. 2. Pol. c. 9.

b *Et ecce Simon frater vester, scio quod vir consilii est: ipsum audite semper, & ipse erit vobis pater, Et Iudas Machabæus fortis viribus à juventute sua sit vobis Princeps militiæ, & ipse aget bellum populi,* 1 Machab. 2. 65.

c Arist. l. 1. Pol. c. 1.

d L. 15, S. 1. C. de Assess.

potentiam, si minus probi ii fuerint, magis perniciosi erunt Reipublicæ, quam Princeps bonus eidem prodesse possit: ejus enim bonitate abutentur, & boni specie ad fines suos sinistros, & commoda privata sensim eum pertrahent, non ad commune & publicum bonum. Princeps aliquis malus à multis bonis Ministris corrigi poterit; non item multi Ministri mali à bono aliquo Principe.

§. Arbitrantur nonnulli, à Ministris bonis Principi ligari manus, & libertatem ejus imminui, quoque subditi fuerint flagitiosiores, eo ipsum à periculis securiorem fore. Impium prorsus consilium, & ab omni ratione alienum: *ille a enim Reip. status quietior, optabilis, & firmissimus est, in quo & privatim sancte innoxieque vivitur, & publice Iustitia & Clementia vigent.* Bonorum gubernatio longe tolerabilior est: ubi deest virtus; legum jacet auctoritas, amatur libertas, dominatio in odio est, unde inclinationes Statuum nascuntur, & ruinę Principum. Quare opus est, ut Ministros habeant virtuti deditos, qui cum zelo & probitate iisdem à consiliis sint, suoque exemplo & auctoritate virtutem introducant in Rempublicam, & foveant. Tiberius extrema virtutis, & vitii periculosa reputabat in Ministro aliquo, & medium (ut ostendimus alibi) malebat eligere. Sed Tyranni hic metus fuit: si bonus est Minister virtute præditus, utique melior erit majori virtute præditus.

§. Verum tamen non sufficit omnino Ministros virtutibus excellere, nisi in iisdem etiam eluceant eæ animi dotes, atque experientiæ ornamenta, quæ ad bene gubernandum apprime conferunt. Deplorat etiamnum Æthiopia, & adustis incolarum frontibus, fuscisque corporibus satis testatur pessimum illud Phœbi consilium (si tamen Philosophia, & morali antiquorum doctrina è fabulis eorundem deprompta uti liceat) quando lucis quadrigas filio suo Phaëtonti moderandas commisit juveni inexperto, & qui tantum, tamque clarum imperium nondum promeritus fuerat. Ejusmodi periculi secum adferunt electiones factæ per saltum, & non per gradus, in quibus experientia nosse discit paulatim subditos, & sensim ad altiora provehit. Ipse etiam Tiberius, quamvis Tyrannus, suos tamen nepotes absque isthac consideratione promovere nunquam voluit. Factum re ipsa cum Druso, cui tribunitiam potestatem *non propere* contulit, b *sed per octo annos capto experimento.* Dignitates in inexpertum conferre, donativum est; in probe exercitatum, remuneratio & Iustitia. At vero non omnes experientiæ, sicut nec omnes virtutes cuilibet muneri publico apte conveniunt, sed eæ solum, quæ ad illam gubernationis politicæ partem pertinent, quę cujusque est propria: nam qui ad unum aliquod officium publicũ idonei sunt, non semper apti sunt ad alia; neque maris experientiæ ad negotia terra gerenda deserviunt; neque qui equum forte

a Polyb.

b Tacit, lib. 3. Annal.

orte domare, & regere nount, illico exercitum gubernae poterunt. a *Nam unum opus ib uno optime perficitur, quod ut iat, munus est Legum latoris proidere, nec jubere, ut tibia canat uisquam, & idem calceos confiiat.* Graviter ea in re hallucinatus est Ludovicus Sfortia, Dux Mediolanensis, dum armorum administrationem adversus Regem Franciæ commisit Galeaso Sanseverino, homini quidem in equis tractandis dexterrimo, sed belli prorsus imperito. Melior fuit Mahathiæ electio, cum discessurus Iudam Machabæum exercitui ducem præfecit, virum obustum & exercitatum; fratrem vero Simonem, quod judicio polleret, à consiliis esse voluit. Ea in re grandes his iostris temporibus committi videmus errores, permutatis rænis cum administrationibus oublicis. Atque hæ diversæ unt in Regnis, & Rebuspublicis: aliæ ad Iustitiam pertinent; aliæ ad ubertatem; ad bellum aliæ; aliæ ad pacem: & tametsi inter se valde discreoent, una tamen facultas, aut virtus civilis eas omnes moderatur, & ad finem conservationis Reipublicæ dirigit, ita ut id hunc finem contendant inguli, qui eandem moderantur, per certa media accommodata muneri, quod gerunt. Hæc civilis virtus varia est pro variis Rerumpublicarum formis, quæ diversæ sunt inter se secundum diversa gubernandi media, quibus uti solent; unde porro fit, ut civis bonus esse quis possit, non tamen ideo bonus sit Reipublicæ moderator: esto enim, à virtutibus multis moralibus instructus sit, eæ tamen non sufficient, si civiles desint, & habitudo illa naturalis, ad regendum & imperandum idonea.

5. Eam ob rem plurimum proderit, si Princeps naturas propensionesque subditorum probe perspectas habeat, ut iis deinde opportune uti noverit: nam in bona ista electione totius prope gubernationis consistit felicitas. Ingenium Hermanni Cortesii aptissimum erat ad detegendas, & occupandas Indias; illud vero Consalvi Ferdinandi Cordubæ ad bellum Regno Neapolitano inferendum: quod si secus accidisset, & priori illi armorum cura contra Francos, huic alteri vero novi orbis investigatio demandata fuisset, non æque res evenisset feliciter. Vni alicui æqualia pro rebus omnibus dona Natura non impertiit, sed unum aliquod excellens & præstans pro unico aliquo officio, seu parcitatis id fuerit, seu prudentiæ potius: c *sic enim optime instrumenta proficient, si eorum singula non multis, sed uni deserviant.* Ea de caussa in Carthaginensibus improbat Aristoteles, quod unius solius opera pro multis uterentur officiis: nemo enim ad omnia idoneus est. d *Nec facile credendum est* (ut bene expendit Iustinianus Imperator) *duabus* necessitates

a Arist. lib. 2. Pol. c. 9.

b *Et ecce Simon frater vester, scio quod vir consilii est: ipsum audite semper, & ipse erit vobis pater, Et Iudas Machabaus fortis viribus à juventute sua sit vobis Princeps militia, & ipse aget bellum populi,* 1 Machab. 2. 65.

c Arist. l. 1. Pol. c. 1.

d L. 15, §. 1. C. de Assess.

potentiam, si minus probi ii fuerint, magis perniciosi erunt Reipublicæ, quam Princeps bonus eidem prodesse possit: ejus enim bonitate abutentur, & boni specie ad fines suos sinistros, & commoda privata sensim eum pertrahent, non ad commune & publicum bonum. Princeps aliquis malus à multis bonis Ministris corrigi poterit; non item multi Ministri mali à bono aliquo Principe.

§. Arbitrantur nonnulli, à Ministris bonis Principi ligari manus, & libertatem ejus imminui, quoque subditi fuerint flagitiosiores, eo ipsum à periculis securiorem fore. Impium prorsus consilium, & ab omni ratione alienum: *ille a enim Reip. status quietior, optabilis, & firmissimus est, in quo & privatim sancte innoxieque vivitur, & publice Iustitia & Clementia vigent.* Bonorum gubernatio longe tolerabilior est: ubi deest virtus; legum jacet auctoritas, amatur libertas, dominatio in odio est, unde inclinationes Statuum nascuntur, & ruinę Principum. Quare opus est, ut Ministros habeant virtuti deditos, qui cum zelo & probitate iisdem à consiliis sint, suoque exemplo & auctoritate virtutem introducant in Rempublicam, & foveant. Tiberius extrema virtutis, & vitii periculosa reputabat in Ministro aliquo, & medium (ut ostendimus alibi) malebat eligere. Sed Tyranni hic metus fuit: si bonus est Minister virtute præditus, utique melior erit majori virtute præditus.

§. Verum tamen non sufficit omnino Ministros virtutibus excellere, nisi in iisdem etiam eluceant eæ animi dotes, atque experientiæ ornamenta, quæ ad bene gubernandum apprime conferunt. Deplorat etiamnum Æthiopia, & adustis incolarum frontibus, fuscisque corporibus satis testatur pessimum illud Phœbi consilium (si tamen Philosophia, & morali antiquorum doctrina è fabulis eorundem deprompta uti liceat) quando lucis quadrigas filio suo Phaëtonti moderandas commisit juveni inexperto, & qui tantum, tamque clarum imperium nondum promeritus fuerat. Ejusmodi periculi secum adferunt electiones factæ per saltum, & non per gradus, in quibus experientia nosse discit paulatim subditos, & sensim ad altiora provehit. Ipse etiam Tiberius, quamvis Tyrannus, suos tamen nepotes absque isthac consideratione promovere nunquam voluit. Factum re ipsa cum Druso, cui tribunitiam potestatem *non propere* contulit,[b] *sed per octo annos capto experimento.* Dignitates in inexpertum conferre, donativum est; in probe exercitatum, remuneratio & Iustitia. At vero non omnes experientiæ, sicut nec omnes virtutes cuilibet muneri publico apte conveniunt, sed eæ solum, quæ ad illam gubernationis politicæ partem pertinent, quę cujusque est propria: nam qui ad unum aliquod officium publicũ idonei sunt, non semper apti sunt ad alia; neque maris experientiæ ad negotia terra gerenda deserviunt; neque qui equum forte

a Polyb.

b Tacit, lib. 3. Annal.

forte domare, & regere norunt, illico exercitum gubernare poterunt. a *Nam unum opus ab uno optime perficitur, quod ut fiat, munus est Legum latoris providere, nec jubere, ut tibia canat quisquam, & idem calceos conficiat.* Graviter ea in re hallucinatus est Ludovicus Sforti, Dux Mediolanensis, dum armorum administrationem adversus Regem Franciæ commisit Galeaso Sanseverino, homini quidem in equis tractandis dexterrimo, sed belli prorsus imperito. Melior fuit Mathathiæ electio, cum discessurus Iudam Machabæum exercitui ducem præfecit, virum robustum & exercitatum; fratrem vero Simonem, quod judicio polleret, à consiliis esse b voluit. Ea in re grandes his nostris temporibus committi videmus errores, permutatis frænis cum administrationibus publicis. Atque hæ diversæ sunt in Regnis, & Rebuspublicis: aliæ ad Iustitiam pertinent; aliæ ad ubertatem; ad bellum aliæ; aliæ ad pacem: & tametsi inter se valde discrepent, una tamen facultas, aut virtus civilis eas omnes moderatur, & ad finem conservationis Reipublicæ dirigit, ita ut ad hunc finem contendant singuli, qui eandem moderantur, per certa media accommodata muneri, quod gerunt. Hæc civilis virtus varia est pro variis Rerumpublicarum formis, quæ diversæ sunt inter se secundum diversa gubernandi media, quibus uti solent; unde porro fit, ut civis bonus esse quis possit, non tamen ideo bonus sit Reipublicæ moderator: esto enim, à virtutibus multis moralibus instructus sit, eæ tamen non sufficient, si civiles desint, & habitudo illa naturalis, ad regendum & imperandum idonea.

5. Eam ob rem plurimum proderit, si Princeps naturas propensionesque subditorum probe perspectas habeat, ut iis deinde opportune uti noverit: nam in bona ista electione totius prope gubernationis consistit felicitas. Ingenium Hermanni Cortesii aptissimum erat ad detegendas, & occupandas Indias; illud vero Consalvi Ferdinandi Cordubæ ad bellum Regno Neapolitano inferendum: quod si secus accidisset, & priori illi armorum cura contra Francos, huic altori vero novi orbis investigatio demandata fuisset, non æque res evenisset feliciter. Vni alicui æqualia pro rebus omnibus dona Natura non impertiit, sed unum aliquod excellens & præstans pro unico aliquo officio, seu parcitatis id fuerit, seu prudentiæ potius: c *sic enim optime instrumenta proficient, si eorum singula non multis, sed uni deserviant.* Ea de caussa in Carthaginensibus improbat Aristoteles, quod unius solius opera pro multis uterentur officiis: nemo enim ad omnia idoneus est. d *Nec facile credendum est* (ut bene expendit Iustinianus Imperator) *duabus* necess-

a Arist. lib. 2. Pol. c. 9.

b *Et ecce Simon frater vester, scio quod vir consilii est: ipsum audite semper, & ipse erit vobis pater. Et Iudas Machabæus fortis viribus à juventute sua sit vobis Princeps militiæ, & ipse aget bellum populi*, 1 Machab. 2. 65.

c Arist. l. 1. Pol. c. 1.

d L. 15. S. 1. C. de Assess.



Hujus incommodi vitandi caussa Natura ipsa solers ac provida rerum omnium dispensatrix, alas pedesque venenatioribus animantibus denegavit, ne multum detrimenti adferre possent. Quisquis malitiæ pedes addit, aut alas, hoc agere videtur, ut currat illa, aut volet. Solent vero plerique Principes malorum potius, quam proborum uti opera, eo quod videant illos ordinatiò præ istis *a* esse sagaciores. Sed egregie falluntur: neque enim Malitia sapientia est, nec clarum sincerumve judicium esse po-

a Filii hujus sæculi prudentiores filiis lucis in generatione sua sunt. Lucæ 16.8.

potest, ubi virtus non est. Laudabat ea re prudentiam Romanorum Alphonsus Aragoniæ & Neapolis Rex, quod Honoris templum intra septa templi virtutis sic construxissent, ut nonnisi per hoc illud cuipiam liceret ingredi, eo quod existimarent honoribus indignum esse eum, qui virtutibus non polleret; nec ad officia & dignitates admittendos, qui non prius virtutis vestibulum subiissent. Et quî absque isthac Minister aliquis Reipublicæ utilis esse poterit? quomodo inter ipsa vitia locus erit Prudentiæ, Iustitiæ, Clementiæ, Fortitudini, cæterisque virtutibus ei necessariis, qui cum imperio præest aliis? quomodo is, qui paret, eas tuebitur, quæ ab ipso requiruntur, si desit exemplum Ministrorum, quorum actiones, moresque attente observat, & cum adulatione imitatur! Ministrum virtute prædituum populus in veneratione habet, sibique persuadet, nihil non recte ab eo agi posse; contra nullam Ministri alicujus mali actionem in meliorem partem accipit, aut approbat. Optimum consilium in senatu Spartano Demosthenes dederat, sed quia passim homo flagitiosus audiebat, acceptatum non fuit, sed alium aliquem ex Ephororum ordine idem illud consilium dare oportuit, ut admitterent, & executioni mandarent. Tanti refert, hanc populi persuasionem esse bonam, ut tum etiam, cum Minister minime malus est, periclitetur tamen in manibus ejus gubernatio, si à populo minus recte sentiente pro homine vitioso habeatur. Movit ea res Henricum Quartum Angliæ Regem (cum regni gubernacula susciperet) ut abs se dimitteret, quos licentioris vitæ in ætate juvenili habuerat socios, malosque Ministros exauctoraret, substituendo in eorum locum homines virtute insignes, gratosque subditis. Nec in aliam caussam feliciores eventus, & victoriæ Regis Theodorici referebantur, quam quod optimos quosque legeret Ministros, Consiliariisque uteretur Prælatis virtutis & probitatis laude conspicuis. Sunt nimirum Ministri quædam quasi effigies Majestatis, quæ cum ubivis coram esse nequeat, per illos quodam modo repræsentatur. Quare decet omnino, ut Principi moribus & virtute haud sint dissimiles. Cumque Princeps se solo omni in loco potestatem suam, quam communi populi consensione adeptus est, exercere non possit, videat diligenter, quanam ratione eam inter Ministros dispertiat. Hos enim plerumque a *delectat superbia sua longum spectaculum, minusque se judicant posse, nisi diu multumque singulis, quid possint, ostendant.* Ex quo illa etiam quæstio decidi potest, quisnam Reipublicæ status melior sit; an ille, in quo Princeps est bonus, mali vero Ministri; an contra ille, in quo Princeps est malus, Ministri autem boni: b *nam posse etiam sub malis Principibus magnos viros esse*, Tacitus auctor est. Enimvero cum necesse sit, ut Princeps in pluribus Ministris suam substituat poten-

a Seneca.
b Tacit. in vita Agric.

potentiam, si minus probi ii fuerint, magis perniciosi erunt Reipublicæ, quam Princeps bonus eidem prodesse possit: ejus enim bonitate abutentur, & boni specie ad fines suos sinistros, & commoda privata sensim eum pertrahent, non ad commune & publicum bonum. Princeps aliquis malus à multis bonis Ministris corrigi poterit; non item multi Ministri mali à bono aliquo Principe.

§. Arbitrantur nonnulli, à Ministris bonis Principi ligari manus, & libertatem ejus imminui, quoque subditi fuerint flagitiosiores,[a] eo ipsum à periculis securiorem fore. Impium prorsus consilium, & ab omni ratione alienum: *ille a enim Reip. status quietior, optabilis, & firmissimus est, in quo & privatim sanctè innoxieque vivitur, & publice Iustitia & Clementia vigent.* Bonorum gubernatio longe tolerabilior est: ubi deest virtus; legum jacet auctoritas, amatur libertas, dominatio in odio est, unde inclinationes Statuum nascuntur, & ruinę Principum. Quare opus est, ut Ministros habeant virtuti deditos, qui cum zelo & probitate iisdem à consiliis sint, suoque exemplo & auctoritate virtutem introducant in Rempublicam, & foveant. Tiberius extrema virtutis, & vitii periculosa reputabat in Ministro aliquo, & medium (ut ostendimus alibi) malebat eligere. Sed Tyranni hic metus fuit: si bonus est Minister virtute præditus, utique melior erit majori virtute præditus.

§. Verum tamen non sufficit omnino Ministros virtutibus excellere, nisi in iisdem etiam eluceant eæ animi dotes, atque experientiæ ornamenta, quæ ad bene gubernandum apprime conferunt. Deplorat etiamnum Æthiopia, & adustis incolarum frontibus, fuscisque corporibus satis testatur pessimum illud Phœbi consilium (si tamen Philosophia, & morali antiquorum doctrina è fabulis eorundem deprompta uti liceat) quando lucis quadrigas filio suo Phaëtonti moderandas commisit juveni inexperto, & qui tantum, tamque clarum imperium nondum promeritus fuerat. Ejusmodi periculi secum adferunt electiones factæ per saltum, & non per gradus, in quibus experientia nosse discit paulatim subditos, & sensim ad altiora provehit. Ipse etiam Tiberius, quamvis Tyrannus, suos tamen nepotes absque isthac consideratione promovere nunquam voluit. Factum re ipsa cum Druso, cui tribunitiam potestatem *non propere* contulit,[b] *sed per octo annos capto experimento.* Dignitates in inexpertum conferre, donativum est; in probe exercitatum, remuneratio & Iustitia. At vero non omnes experientiæ, sicut nec omnes virtutes cuilibet muneri publico apte conveniunt, sed eæ solum, quæ ad illam gubernationis politicæ partem pertinent, quę cujusque est propria: nam qui ad unum aliquod officium publicũ idonei sunt, non semper apti sunt ad alia; neque maris experientiæ ad negotia terra gerenda deserviunt; neque qui equum forte

a Polyb.

b Tacit, lib. 3. Annal.

forte domare, & regere norunt, illico exercitum gubernare poterunt. a *Nam unum opus ab uno optime perficitur, quod ut sat, munus est Legum latoris providere, nec jubere, ut tibia canat quisquam, & idem calceos conficiat.* Graviter ea in re hallucinatus est Ludovicus Sfortia, Dux Mediolanensis, dum armorum administrationem adversus Regem Franciæ commisit Galeaso Sanseverino, homini quidem in equis tractandis dexterrimo, sed belli prorsus imperito. Melior fuit Mathathiæ electio, cum discessurus Iudam Machabæum exercitui ducem præfecit, virum robustum & exercitatum; fratrem vero Simonem, quod judicio polleret, à consiliis esse b voluit. Ea in re grandes his nostris temporibus committi videmus errores, permutatis frænis cum administrationibus publicis. Atque hæ diversæ sunt in Regnis, & Rebuspublicis: aliæ ad Iustitiam pertinent; aliæ ad ubertatem; ad bellum aliæ; aliæ ad pacem: & tametsi inter se valde discrepent, una tamen facultas, aut virtus civilis eas omnes moderatur, & ad finem conservationis Reipublicæ dirigit, ita ut ad hunc finem contendant singuli, qui eandem modetantur, per certa media accommodata muneri, quod gerunt. Hæc civilis virtus varia est pro variis Rerumpublicarum formis, quæ diversæ sunt inter se secundum diversa gubernandi media, quibus uti solent; unde porro fit, ut civis bonus esse quis possit, non tamen ideo bonus sit Reipublicæ moderator: esto enim, à virtutibus multis moralibus instructus sit, eæ tamen non sufficient, si civiles desint, & habitudo illa naturalis, ad regendum & imperandum idonea.

5. Eam ob rem plurimum proderit, si Princeps naturas propensionesque subditorum probe perspectas habeat, ut iis deinde opportune uti noverit: nam in bona ista electione totius prope gubernationis consistit felicitas. Ingenium Hermanni Cortesii aptissimum erat ad detegendas, & occupandas Indias; illud vero Consalvi Ferdinandi Cordubæ ad bellum Regno Neapolitano inferendum: quod si secus accidisset, & priori illi armorum cura contra Francos, huic alteri vero novi orbis investigatio demandata fuisset, non æque res evenisset feliciter. Vni alicui æqualia pro rebus omnibus dona Natura non impertiit, sed unum aliquod excellens & præstans pro unico aliquo officio, seu parcitatis id fuerit, seu prudentiæ potius: c *sic enim optime instrumenta proficient, si eorum singula non multis, sed uni deserviant.* Ea de caussa in Carthaginensibus improbat Aristoteles, quod unius solius opera pro multis uterentur officiis: nemo enim ad omnia idoneus est. d *Nec facile credendum est* (ut bene expendit Iustinianus Imperator) *duabus* neces-

a Arist. lib. 2. Pol. c. 9.

b *Et ecce Simon frater vester, scio quod vir consilii est: ipsum audite semper, & ipse erit vobis pater. Et Iudas Machabæus fortis viribus à juventute sua sit vobis Princeps militiæ, & ipse aget bellum populi,* 1 Machab. 2. 65.

c Arist. l. 1. Pol. c. 1.

d L. 15, §. 1. C. de Assess.

necessariis rebus unum sufficere: nam cum uni judicio adfuerit, alteri abstrahi necesse est, sicque nulli eorum idoneum inveniri. Rectius administratur Respublica, si in ea, velut in aliqua navi, quisque suo invigilet muneri. Et quamvis unus aliquis omnium esset capax, non ideo tamen omnia illi conferenda sunt. Magnum illud vas æneum in templo Salomonico sacrificiis destinatum, quod mare dicebatur, & positum ante altare à bobus duodecim sustentabatur, Scriptura teste, ter mille *a* metretas (mensuræ genus id erat) capiebat, & tamen non nisi bis mille *b* infundebantur. Nullo modo expedit, ut in unum aliquem plurima congerantur munia, & dignitates cum invidia omnium, & indignatione, & ut occupationes desint pro aliis. Attamen quia Principes aut personarum notitiam non habent, aut laborem defugiunt, in homines idoneos inquirendi, fieri plerumque solet, ut unius duntaxat, aut paucorum ex iis, quos circa se habent, in omnibus negotiis utantur opera, unde rariores ad munera promotiones, & præmia; refrigescit æmulatio, & peraguntur omnia lentius.

§. Eadem de caussa probandum non est, si duo eidem assistant negotio, quia deforme evaderet, non secus atque effigies aliqua duobus penicillis depicta, cum semper in operando difformes sint & dissimiles; unus lentus est, & gravis; levior alius: unus lucem amat; alius umbram affectat, prætterquam quod fieri nequeat, ut in iisdem conditionibus, consiliis, & mediis omnino conspirent; aut non dissideant inter se cum gravissimo negotiorum & obsequii Principis dispendio. Inter has caussas secundas unaquæque suo fungitur munere, & suas habet operationes distinctas & separatas ab aliis. Ego sane satius esse judico, unum aliquod officium uni soli Ministro committere, etsi minus capaci, quam duobus etiam capacioribus.

§. Quare cum tanti intersit bonos legere Ministros, difficillimum vero, illud reipsa assequi, cavendum ante omnia, ne sibi solis ea in re confidant Principes. Paulus III. Pontifex Maximus, & Rex Ferdinandus Catholicus Ministrorum electiones prius deliberabant cum populo, permittendo quasi per incuriam, ut ante manarent in vulgus, quam fierent. Alexander Severus Imperator, *c ubi aliquos voluisset vel Rectores Provinciis dare, vel Præpositos facere, vel Procuratores, id est, rationales ordinare, nomina eorum proponebat, hortans populum, ut si quis quid haberet criminis, probaret manifestis rebus*: quanquam communis applausus non semper secutus sit, aliquando ex vero est, errat etiam *d* aliquando, & fallitur in cognoscendis naturis, & vitiis occultis. Acce-

a *Capiebatque tria millia metretas*. 2 Par. 4. 5.
b *Duo millia batorum capiebat*. 3 Reg. 7. 26.

c Lampr. in vita Alexand. Sever.
d *Haud semper errat fama, aliquando & eligit*. Tac. in vita Agric.

Accedit, quod industria & amor commodi proprii, aut malitia & æmulatio, famam illam publicam sæpe spargunt in vulgus in favorem, aut contra: nec sufficit, Ministrum aliquem in officiis minoribus suam probasse industriam, ut mox etiam ad majora idoneus censeatur: a *extstantur* enim *quidam ad meliora magnitudine rerum, hebescunt alii.* Minus periculosa erat Regis Philippi II. diligentia, qui in ipsis plantariis teneriores arbusculas diligenter inspiciebat, & designabat animo, quæ translatæ postea ad gubernationem seu politicam seu Ecclesiasticam fructum aliquando essent allaturæ, & ante quam vitia tegere posset ambitio, per secretas informationes in ætate earum juvenili observabat, num recta sursum assurgerent, an contra in obliquum deflecterent, habebatque certas notas de præcipuorum suorum subditorum virtutibus & vitiis. Ita factum, ut omnes ejus electiones fuerint optimæ, floruerintque illius tempore viri plane insignes, in dignitatibus præsertim Ecclesiasticis: nam, satius putabat eligere b *officiis ac administrationibus potius non peccaturos, quam damnare, cum peccassent.* Fortunatum Regnum, in quo nec ambitioni, nec precibus, nec sollicitationibus locus est, & ubi virtus etiam recondita nec libello supplici opus habet, nec relatione aliorum, ut perveniat ad aures Principis, qui subditorum notitiam sibi ipse comparat. Fuit ea quondam laus Tiberii Imperatoris, c *quia sine ambitione, aut proximorum precibus ignotos etiam, ac ultro accitos munificentia juverat.* Aurium examen ab alio pendet, oculorum ab ipso Principe. Illæ decipi possunt, hi non item: illæ animum instruunt solum; hi instruunt, & movent, immo quasi vi quadam impellunt ad misericordiam, aut ad præmium.

5. Aliquæ Respublicæ in electione Ministrorum etiam sorte usæ fuerunt. Et expedit quandoque ad declinandam invidiam, & cohibendum furorem contentionis ac æmulationis, unde facile tumultus oriuntur & seditiones. Verum quando pro administratione justitiæ, & armorũ tractatione vir idoneus seligendus est, à quo gubernatio dependere debet, & salus publica, non oportet rem tantam incertitudini sortis committere, sed præstat, ut electionis examen ille subeat: illud enim pro explorato habendum, d *sorte, & urna mores non discerni: suffragia & existimationem Senatus reperta, ut in cujusque vitam famamq; penetrarent.* Et tametsi consiliorum deliberationes plerumque utilitatibus, & cõmodis privatis omnia metiri soleant, poterit tamen Princeps bonam facere electionem, si secreto inquirat in eorum, qui proponuntur, virtutes ac dotes, uti & in fines, quibus persuasi Consiliarij promotos illos cupiant. Nam si cæco quodam modo omnes consultationes Princeps approbet, facile ist-

a Tacit. l. 3. Annal.
b Idem in vita Agric.

c Id l. 4 Annal.
d Tac. l. 4. Hist.

isthæc nascuntur incommoda; at si, qui à consiliis sunt, videant, quod eas ad examen revocet, quodque non semper Viros sibi propositos admittat ad officia, sed alios meliores eligat, operam dant, ut maturiori cum deliberatione & rectius ea de re statuant.

SYMBOLVM LIII.



THebani ministrorum integritatem, eorum præsertim, qui justitiæ præsunt, symbolicos repræsentabant per statuas quasdam manibus destitutas: istæ enim in pugnum con-

contractæ, avaritiæ sunt Symbolum, ejusdemque instrumenta, si apertæ muneribus pateant. Idem istud hortus hic oculis subjicit, dispositis hinc inde ad capita viarum statuis absque manibus, quales hodiedum in viridariis Romanis cernuntur. Nec ullæ meliores custodiæ, quam istæ: siquidem oculis instructæ sunt, ut flores custodiant & fructus; at brachiis carent, ne quid eorum manibus contingat. Quod si ministri Statuarum istarum essent consimiles, magis secura forent æraria publica, meliorque passim esset gubernādi ratio, præsertim in Rebuspublicis, in quibus, cum bona earundē & reditus habeantur communia, quilibet è Magistratu fere licere sibi putat, ut iis fortunam suam fabricetur; alius per alium se excusat, & dissimulant invicem; cumque vitium istud flammæ sit simile, quæ materie eadem, qua satiari deberet, nutritur & a crescit, quo plus subripitur, eo magis habendi augescit b desiderium: & pasta semel cupiditas bonis publicis, privatorum dein fortunas aggreditur, quo demum fit, ut corruat plane finis principalis communitatis politicæ, qui in bonorum, uniuscujusque conservatione consistit. Vbi avaritia dominatur, pax atque tranquillitas exulet necesse est. Litibus, seditionibus ac bellis civilibus miscentur, turbanturque omnia. Immutantur formæ dominationis, & ruunt imperia, uti pleraque istam ob caussam pessum iere. c Propterea ex Hispania ejecti fuere Phœnices; ideo Apollinis oraculum prædixit ruinam Spartanæ Reipublicæ. Moysen quoque Deus sapientissimus monuit, ut ad munera publica viros legeret ab omni cupiditate d alienos. Gubernatio recte in eo Statu institui non potest, cujus Ministri avari sunt & cupidi. Quomodo enim justitiæ vindex erit, qui exspoliat alios? quomodo suam amabit Rempublicam, qui de thesauris cogendis dies noctesque cogitat? quomodo rebus agendis advertet animum, qui lucro totus inhiat? quomodo obsequiis suis præmia promereri conabitur, qui sua sibi manu ipse satisfacit? Nihil recte geritur, quod rei privatæ studio geritur. Hanc siquidem ipsi etiam obligationi & honori anteponit utilitas. Nullum facinus generosum suscipitur absque famæ existimatione: hanc vero in pretio non habet animus vilis, abjectusque, avaritiæ deditus. e *Pleraque eorum, quæ homines injuste faciunt, per ambitionem & avaritiam committuntur.* Nihil magis ad rebellionem concitat subditos, quam rapina corrupte æquæ Ministrorum: graviter enim irritantur damnis propriis, injustitia communi, invidia erga eos, qui opes in immēsum accumulāt, odio denique in ipsum Principem, qui remedium adferre ne-

a *Avarus non implebitur pecunia.* Eccl. 5.9.

b *Insatiabilis oculus cupidi in parte iniquitatis*, Eccles, 14. 9

c Mar. Hist. Hisp. Tom. 1. c. 18.

d *Provide autem de omni plebe viros potentes, & timentes Deum, in quibus sit veritas, & qui oderint avaritiam.* Ex. 18. 21.

e Arist. lib. 2. Pol. c. 7.

negligit. Si ignoraverit, bardum eum judicant: si dissimulaverit, ignvaum; si permiserit, conscium, & ejusdem noxæ reum: quod si desideravit etiam, ut Ministri velut spongiæ omnia imbibant, è quibus ea deinde captata occasione rursum possit exprimere, pro tyranno habebitur. O infelicem Principem, & Statum, quos ideo interire contingit, ut Ministri opibus affluant. Neque tamen hæc eo dico, quod eos tam velim esse anxie religiosos, ut omnia omnino munera respuant: nam à nemine quicquam accipere, inhumanitas est, à multis, animi vilitas; ab omnibus, avaritia.

§. Cupiditas in Principe illa est, quæ Statum *a* evertit: nam cum Populo nihil possit accidere gravius, quam quod videat ne ab ipso quidem fortunas suas esse securas, quem custodem earundem, & defensorem asciverat, aut quod ille ipse sceptrum suum in subditorum bona armaverit; mox in alium illud transferre cogitat. Quid obsecro sperare potest subditus ab avaro Principe? Ipsi etiam filii parentes abominantur isti vitio deditos. Vbi spes commodi deficit, ibi amor & obedientia deficiunt. Tyrannidi similis est gubernatio illa, quæ utilitates privatas spectat solum, non publicas. Ideo Rex Alphonsus Sapiens dicebat: b *Riquezas grandes ademas non debe el Rey cobdiciar, para tenerlas guardadas, è non obrar bien con ellas. Ca naturalmente, el que para esto las cobdicia, non puede ser, que non faga grandes yerros, para averlas, lo que no conviene al Rey en ninguna manera.* Sacræ paginæ Principem avarum, qui injuste aliorum usurpat bona, Leoni & Vrso famelico *c* comparant, & opera illius domibus, quas intra arbores teredo ædificat, quæ mox una cum ipsa corruunt, aut tabernaculis frondeis, qualia vinearum custodes construunt, haud diu *d* duratura *e* *Male parta cito dilabuntur.* Quam sese atanearum instar, nonnulli Principes mordacibus curis eviscerant, ut è Subditorum stamine fortunam suam texant, & retia conficiunt, quæ mox rumpuntur, & fiduciam eorum omnem *f* deludunt.

§. Varia huic malo parari possunt remedia, efficacissima ea, quæ præservant. Nam si natura semel ab illo superari se sinat, haud facile iterum consanescit. Hac nos tunica novissime omnium exuimus. Si Principes à natura pecuniarum amore capi contingat, ab aspectu earundem, contactuque, quantum fieri potest, arcendi sunt; per oculos enim tanquam per fenestras subingreditur avaritia, & facilius est solutionis mandatum impertiri, quam ipsam adnumerare pecu-

a *Rex justus erigit terram, vir avarus destruit eam.* Prov. c. 29. 4.

b L. 4. t1. 2. p. 2.

c *Leo rugiens, & ursus esuriens, Princeps impius super populum pauperem* Prov. 28. 15.

d *Ædificavit sicut tinea domum suam, & sicut custos fecit umbraculum.* Iob 27. 18.

e Cicero.

f *Sicut tela aranearum fiducia ejus. Innitetur super domum suam, & non stabit: fulciet eam, & non consurget.* Iob 8. 14. & 15.

pecuniam. Oportet præterea, ut Ministri ærarii generoso sint animo, neque suadeant Principi parsimoniam sordidam, & modos quosdam cumulandi divitias ejus persona indignos, ut alio in loco ostendimus pluribus.

§ Nunc ut à cupiditate etiam Ministri præserventur, cavendum, ne munera & officia publica venalia sint, id quod Commodus Imperator introduxerat: nam qui illa emit, vendit etiam. Ita Severo Imperatori visum, uti & Ludovico XII. Francorum Regi, qui isthoc remedio usus est, sed male dein observatū à successoribus. a *Provincias spoliari, & nummariū tribunal, audita utrimque licitatione, alteri addici non mirum, quando, quæ emerit, vendere gentium jus est.* Experitur aliquo modo damna isthæc Castella in gubernationibus civitatum, quia pretio venduntur, contra ac temporibus Regis Ioannis Secundi communi consensione statutum fuerat, ut essent perpetuæ, & sola Regum nominatione conferrentur.

§. Oportet præteræa, ut officiis singulis sufficiens assignetur salarium, quo, qui iis fungitur, honeste vitam sustentare possit. Factum à Rege Alphonso Nono, qui sua judicibus deputavit stipendia, graviterque animadvertit in eos, quos à partibus munera accepisse deprehenderat. Idem mandatis publicis edixerunt Reges b Catholici, Ferdinandus & Isabella, statuto etiam juribus pretio. c *Sed caput est in omni Republica, ut legibus, & omni alia ratione provisum sit, ne qua facultas quæstus faciendi Magistratibus relinquatur:* nam qui rei privatæ studio tenetur, & lucrum facit ingravescente annona, de rerū affluentia ubertateque non magnopere erit sollicitus, nec meliora dabit consilia, si commodis suis obstare ea judicaverit; præterquam quod populus dominationem dissimulet, & facile ferat honores in aliis, si quæstus & lucrum ipsi relinquantur; at si & his se destitui videat, d *tunc utrumque ei molestum est, quod nec honorum particeps sit, & quod à quæstibus submoveatur.* Atque in hanc caussam referti possunt contentiones & tumultus inter Nobilitatem & plebem Genuensem.

§. Muneribus publicis præfici non debent, qui nimia paupertate conflictantur: ejusmodi enim inopia corruptelis, aliisque rebus illicitis parat aditum. In Senatu Romano sententiæ aliquando rogabantur, cuinam procuratio Hispaniæ mandanda esset; cumque multorum suffragiis Sulpitius Galba, & Aurelius Cotta in eam rem nominarentur, dixit Scipio: *Neutrum sibi placere; unum, quod nihil omnino possideret; alterum, quod nihil ei sufficeret.* Quæ caussa etiam fuit Atheniensibus, ut Magistratum non nisi è locupletioribus legerent; & rationem dat Aristoteles, quod e *quasi impossibile sit, qui egenus existat, eum bene Magistratum gerere, aut quietem optare.* Etsi negari non possit,

a Senec. lib. 1. c. 9. de ben.
b Mar. Hist. L. 12. c. 15.
c Arist. l. 5. Pol. c. 8.
d Idem l. 5. Pol. c. 8.
e Idem Pol. l. 2. c. 9.

multos etiamnum esse viros insignes in Hispania, qui absque magnis fortunis ad officia publica admissi, & rursus iisdem defuncti sunt.

§. Ministri, qui amplam alunt familiam, magno Provinciis sunt oneri; quamvis enim ipsi integerrimi sint, non omnes tamen eorumdem domestici; atque ideo *haud frustra* Senatui Romano a *placitū olim*, *ne fœmina in socios, aut gentes externas traherentur*. Persarum Reges in præcipuis Gubernationis muneribus Eunuchorum utebantur *b* opera, quod hi ab uxorum cura affectuque ditandi liberos expediti, minus rei privatæ studio teneãtur, aut subditis graves sint.

§. Qui cumulandis opibus, & Fortunæ suæ fabricandæ plus æquo intendunt, iis munera publica absque periculo committi nequeunt: nam licet illam nonnulli per merita & gloriam augere studeant (qui quidem optimi Ministri sunt) plerique tamen satius ducunt, divitiis eam superstruere, quam præmium, & remunerationem obsequiorum exspectare à manu Principis, plerumque fere ingrata ergâ eum, qui plura meruit. Lucullus Consul, quem egestas avatum, avaritia crudelem reddidit, rei augendæ cupiditate ductus, injustissimum bellum Hispaniæ intulit.

§. Commoratio in aulis, exactis muneribus, efficacissimum est remedium, ob male parta amittendi, & pœnæ subeundæ metum; quo in rigore gratiæ locus esse non debet, neque permitti; ut delicta pecuniæ exsolutione redimantur; uti fecit Sergius Galba Prætor, Romæ aliquando de fide Lusitanis non servata postulatus. Si omnia Tribunalium subsellia pellibus sternerentur eorum Iudicum, qui largitionibus corrumpi se passi sunt, id quod Cambysen Persarum Regem, ejusque deinde exemplo Rogerū Regem Siciliæ fecisse meminus, majori haud dubie cum Religione observaretur integritas.

a Tacit. lib. 3. Annal.

b *Septem Eunuchis, qui in conspectu ejus ministrabant.* Esth. 1. 11.

SYMBOLVM LIV.

Libertas in hominibus naturalis est, obedientia coacta pæne. Illa arbitrium sequitur; hæc ratione duci se sinit. Ambæ oppositæ sunt, & semper fere pugnant inter se, unde rebelliones nascuntur, proditionesque adversus legitimum Dominum: cumque Respublicæ *c* subsistere nequeant, nisi alius sit, qui imperet, alii qui obediant, quilibet supremam optaret potestatem, & à seipso pendere cuperet: quod quia fieri non potest, libertatem suam in eo positam arbitratur, ut ipsam gubernationis formam mutet in aliam. Istud Regnorum & Rerum publicarum maxi-

c *Naturam duas necessarias res, easdemque salutares humano generi comparasse, ut alii cum imperio essent, alii ei subjicerentur; nihilque quod citra hæc, ne minimo quidem queat spatio perdurare.* Dion. l. 41.



maximum periculum eſt, ac principalis cauſſa tot ruinarum, converſionum, immutationum, quas circa illa accidiſſe hiſtoriæ memorant. Quare iis artibus uti convenit, ut libertatis appetitus, & humana ambitio procul ſceptro arceantur, maneantque ſub imperio rationis, & obligatione dominatus, ita ut nemini cuipiam ſuprema illa gubernationis poteſtas concedatur, quæ Majeſtatis Principis eſt propria. Enim vero fidelitatem præſentiſſimo exponit periculo, quiſquis potentiam nimiam, & ſine aliquo moderamine indulget alteri, non ſecus ac ferox & indomitus equus, cui fræna laxantur, cum ſeſſore præcipitat. Diadema regium,

etiam joci caussa capiti subditi impositum, superbiæ est occasio, & sublimiores in eo cogitationes excitat. Animus Subditi experiri non debet supremam illam majestatem & imperandi gloriam: facile enim per abusum illam usurpat postea, & ne ad eum, à quo accepit, reverratur, insidias illi struit, & exitium machinatur. In uno solo capite recitant sacræ literæ, quatuor diversorum Regum exempla, qui servorum suorum manibus interiere, quod altius eos, ac oportebat, evexissent. Etiam Salomon, cætera sapientissimus, istud incurrit periculum, postquam tributorum omnium Præfectũ Ieroboamum *a* constituerat, qui spreta dein Regis auctoritate; contra ipsum sese gessit *b* insolentius. Illud itaque diligenter caveant Principes, & pro regula status habeant, ne quem præ aliis nimium elevent; quod si ita fieri plane necessum fuerit, complures sint, ut unus alium contineat in officio, & ipsi inter se, quid quisque agat, & moliatur, observent. *c* Hanc Politicam (nisi forsan id excusare possit necessitas) haud satis expendit Ferdinandus Secundus Imperator, quando absolutam armorum, & Provinciarum suarum administrationem, absque recursu ad suam Cæsaream Majestatem, Fridlandiæ Duci commisit, unde tot ac tanta pericula atque incommoda; quorum maximũ illud fuit, quod tanta illa gratia, & potestate tam illustri Heroi data fuerit occasio, qua semet ipse perderet. Nec Principes moveat exemplum Pharaonis, qui omnem suam potestatem regiam Iosepho largitus *d* est, quæ totius regni salus fuit: Iosephus enim Christi fuit symbolum, & pauci his nostris temporibus Iosephi reperiuntur. Vnusquisque seipso pendere cupit, non à stipite, id quod in præsenti Emblemate ramus exhibet terræ intra vimineum corbem (quali utuntur hortulani) insertus, ubi novis auctus radicibus, & inferne resectus, distincta deinde fit arbor, à nativo trunco independens, nec ultra suam illi proceritatem acceptam refert. Atque ea res documento nobis esse potest, quanti periculi sit gubernationes Statuum perpetuas facere: ubi enim ambitio radices egerit, eas sibi ut proprias vendicat. Qui semel mandatis dandis assueverit, difficulter postea admittit imperium. Multa hujus rei exempla proprio consignata sanguine è Francia suppetunt. Ne ipsi quidem Dei Ministri in cœlesti illa Monarchia stabiles *e* sunt. Majorum munerum perpetuitas Coronæ alienatio est. Inane remanet sceptrum, & imbecillum, & illam ipsam, quam

a *Videns Salomon adolescentem bonæ indolis, & industrium, constituerat eum Præfectum super tributa universæ domus Ioseph.* 3 Reg. 11. 28.

b *Levavit manum contra Regem.* 3 Reg. 11. 26.

c *Est autem omnis Monarchiæ cautio communis, neminem facere nimis magnum, aut certe plus, quam unum facere: ipsi enim inter se, quid quisque agat observant.* Arist. Polit. l. 5. 11.

d *Tu eris super domum meam, & ad tui oris imperium cunctus populus obediet: uno tantum regni solio te præcedam.* Genes. 41. 40.

e *Ecce qui serviunt ei, non sunt stabiles.* Iob. 4. 18.

quam largitur potentiam, veretur; manet sine dote liberalitas, virtus absque præmio. Facile in tyrannum degenerat talis aliquis, qui de regimine perpetuo securus est. Subditus vere eum agnoscit ut Dominum, & veneratur, à quo gubernari semper debet; sicut contra eum despicit, qui per semetipsum imperare aut nescivit, aut non potuit, & impatiens tandem obedientiam deserit. Movit ea res Iulium Cæsarem, ut Prætoriam dignitatem ad unum annum, Consularem ad duos contraheret. Carolus V. Imperator Philippo Secundo id consilii dedit, ne diu uno aliquo Ministro in officiis publicis, militaribus præsertim, uteretur, ut majora conferret in homines fortuna mediocri; Legationes vero potentioribus mandaret, in quibus ipsi vires suas paulatim consumerent. Regi Ferdinando Catholico suspecta fuit fortitudo illa militaris, & famæ celebritas in Italia Magni Ducis, quare mox revocato eo in Hispaniam, si non omnem plane erga eum confidentiam exuit, at noluit certe, ut tot obsequiis probata ejus fidelitas ultra objiceretur periculo, si perpetuum in Neapolitano Regno vice-Regis fungi persisteret. Et tametsi *id morum Tiberii fuit continuare imperia, ac plerosque ad finem vitæ in iisdem exercitibus, aut jurisdictionibus habere.* Factum id tamen ob considerationes quasdam tyrannicas, quæ in Principem prudentem ac justum cadere non debent. Prudentiæ itaque est, Naturam ipsam optimam veræ Politicæ magistram adhibere in consilium, quæ cœlestibus illis lucis Ministris imperium quoddam & vicariam potestatem in orbem hunc inferiorem largita est quidem, non perpetuam tamen, sed statis solum temporibus: ut videre est in motibus, dominiisque Planetarum, ne scilicet horum cura & provisione sese omnino abdicaret, neque tamen ipsi Naturæ imperium sibi arrogarent. Nam illud ignorare non poterat, Terram oppressum iri penitus, si semper aut melancholia Saturni, aut furor Martis, aut Iovis severitas, aut Mercurii calliditas. aut levitas Veneris, aut Lunæ inconstantia rebus hisce inferioribus dominarentur.

§. Atque pro hac munerum commutatione laborandum inprimis, ne existimationis suæ jacturam quis existimet, si à majoribus ad minora descendat; quia enim infinita ea non sunt, ubi ad supremum aliquod pervenerit, inutilis posthac erit Minister, si a iis inferioribus rursum se impendere renuat. Tametsi vero recta ratio postulare videatur, ut una cum merito augeantur & præmia, in hoc tamen casu rationi isti utilitas Principis præferri debet, quando nimirum ob graves caussas tum obsequii præstandi, tum boni publici; non vero ex contemptu ita fieri expedit, ut inferiori aliquo fungatur munere: tunc enim ipsa negotiorum utilitas illud honorificum reddit.

§. Quod si ulla functio longo tempore sustineri possit, id maxime in legationibus erit;

in his siquidem interceditur solum, non imperatur; tractatur, non præcipitur. Cum Legati profectione perit quasi notitia natalis soli; cessant conversationes particulares cum Principe, cui assistunt, ejusque Ministris, Arces, propugnacula, & alia munimenta, quæ Regnorum sunt claves, ab arbitrio, imperioque Principis semper immediate dependeant. Quam ob caussam minus salutare fuit illud Regis Sanctii consilium, cum vita concessurus, ob pupillarem ætatem filii Alphonsi Tertii, a Proceres ipsorum fidei concreditas urbes, arcesque tamdiu obtinere voluit, donec Rex quindecimum ætatis annum explesset, unde gravia Regno isti nata sunt incommoda. Munera alia non nisi ad certum tempus perdurent, nec tam diuturna sint, ut ob imperii perennitatem Ministros superbiores in discrimen adducant. Ita faciendum judicabat olim Tiberius: b ajebat enim, *superbire homines etiam annua designatione; quid si honores per quinquennium agitent?* quanquam reipsa illud suum consilium minime exsequeretur. Defatigatur tandem virtus metendo, sperandoque. Neque tamen tam brevi tempore munia terminentur, ut notitia & usus aliquis per ea comparari non possint, aut ut rapina vigiles nimis reddat Ministros, veluti falcones Norwegiæ ob diei brevitatem. In magnis denique rerum perturbationibus & Regnorum periculis, administrationes publicæ, & officia protrahi debent longius, ne forsan hominibus novis & inexpertis committantur. Ita fecit Augustus, Quintilii Varii clade intellecta.

§. Verum isthæc doctrina, ut officia non nisi ad certum tempus conferantur, intelligi non debet de supremis illis, institutis pro consilio Principis, & administratione justitiæ; satius enim est, ut ea continua sint, eo quod in illis plurimum prosit longus rerum usus, & caussarum pendentium cognitio. Ista nimirum munera sunt in Republica, quod poli in cœlo, circum quos reliqui volvuntur orbes: & si mutarentur, universus hic Mundus in periculo foret, turbato omni naturali motu. Perpendit incommodum istud Solon in quadringentis Senatoribus, qui in annos singulos sorte legebantur Athenis, instituitque Senatum perpetuum Virorum sexaginta, quos *Areopagitas* nominabant; quod dum observatum fuit, stetit ac floruit illa Respublica.

§. Illud insuper periculosum, & gravissimorum motuum, ac seditionum occasio, si Regnorum procuratio durante Successoris pupillari ætate, ei committatur, qui jus aliquod quovis titulo in ea potest obtendere; uti factum in Aragonia imprudentia eorum, qui Regni gubernacula Sanctio comiti Ruscinonensi demandarunt, donec Rex Iacobus I. adolesceret. Regnandi libido sæpe in iis etiam insidet, quibus nec è sanguine, nec alia de caussa ulla ad coronam competit actio; quid fiet igitur

a Mar. hist. Hisp. lib. 11. c. 7.
b Tacit. l. 2. Annal.

igitur in iis, qui in picturis & statuis frontes Progenitorum suorum illa redimitas vident? Funesta aliqua ejus rei hac nostra ætate suppetunt exempla, & plura dedere sæcula retro præterita, multorum Consanguineorum, qui Regna fidei suæ concredita postea sibi arrogarunt, ut propria. Qui è Regio progenerantur sanguine, ad tyrannidem fere sunt proniores, quippe qui pluribus abundent mediis, quibus consilia sua ad exitum queant perducere. Pauci persuadere sibi possunt; justam esse illam legem, quæ nascendi prioritatem virtuti antepofuit, & quisque de se ipse præsumit, se præ alio Coronam promereri. Licet vero in uno aliquo interdum excellat ratio, periculum tamen est ab iis, quos singulariter charos habet, & familiares: hi enim, cum Majestatis illius participes se fore sperent, violentis quibusdam mediis eam procurare contendunt, & inter Cognatos diffidentias suscitant. Quod si quas tales Rex Philippus Secundus de Ioanne Austriaco habuit, ex isto manarunt fonte. Insigne exemplum hujus Politicæ reliquit posteris Infans Ferdinandus, *a* recusando Coronam, quæ ad Regem Ioannem II. illius nepotem pertinebat, quo laudabili facinore multas alias de cœlo promeruit. Et perantiqua est isthæc generosa fidelitas, ac sincerus amor Infantium hujus nominis in Reges consanguineos; nec minor in hoc præsenti elucet, cujus submissio & obedientia erga ipsum Regem tanta est, ut subditi potius, quam fratris esse videatur; nec ipsæ Sphæræ cælestes tam se submittunt primo mobili, ac sua Serenitas voluntati regiæ: nam in illis motus quidam est contrarius, in hac minime; magis de honore Regis, quam de suomet proprio sollicita est. O Magnum Principem, in quo sanguinis splendor (tametsi summus ille sit) non est tamen maximum eorum, quæ in ipso suspicimus. Divina providentia nimirum perturbatissimis hisce temporibus, inter tot tamque diuturnos bellorum motus, quibus Monarchiæ hujus axes ac poli concutiuntur, Atlantem istum è cœlo submisit, qui animi sui fortitudine, & prudentia præcipuam illius partem sustentaret.

a Mar. Hist. Hisp. l. 15. c. 19.

SYMBOLVM LV.

Aristoteles, ut Alexandro Magno Consiliariorum virtutes & conditiones aptius exprimeret, cum oculis eos comparabat. Transtulit comparationem istam in legum suarum libros Rex Alphonsus, cognomento Sapiens, & accuratam inter ea collationem instituit. Nec novum illud videri debet, aut insolens: nam & Reges Persiæ ac Babyloniæ illos appellabant oculos suos, uti Ministros alios aures suas, & manus, pro ratione muneris, quod obibant. Spiritus illi septem, Ministri Dei, missi in

omnem



omnem terram, oculi erant agni *a* immaculati. Princeps aliquis cui tam multa videnda sunt & audienda, totus deberet esse oculus, totus *b* auris. Quod quia fieri non potest, alienis utatur, necesse est. Ex quo etiam fit, ut nullus reperiatur Princeps, quantumvis intelligens sit, ac prudens, qui ministris non egeat: *c* *Nam Principes ac Reges nunc quoque multos sibi oculos, multas aures, multas item manus, atque pedes faciunt.* In illo tamen nihil inest incommodi, modo iis recte

a *Agnum stantem tanquam occisum, habentem cornua septem, & oculos septem, qui sunt septem spiritus Dei missi in omnem terra*, Apoc. 5. 6.

b *Superior debet esse totus mens, & totus oculus*, S. Antioch. Hom. 3.

c Arist. lib. 3. Polit. cap. 12.

recte uti quis noverit : a *Hac enim ratione, & omnium oculis cernet, & omnium auribus audiet, & omnium denique consiliis in unum tendentibus consultabit.* Idem significabant Ægyptii per oculum Sceptro superimpositum, *consilium* quippe *oculus* est *futurorum*. b Eodem, opinor, alludere voluit Ieremias, c cum diceret, *Virgam vigilantem ego video.* Atque ideò in præsenti Emblemate Sceptrum pingitur oculis plenum, ad significandum nimirum, per Consiliarios Principem gubernationis suæ negotia prævidere debere, ac prævertere. Nec mirum eos, qui à consiliis sunt Principi, à nobis in sceptro collocari, cum & in coronis Imperatorum, Regumque Hispaniæ nomina eorumdem insculpi, mos quondam fuerit, nec immerito : magis enim relucent, quam ipsa Principum diademata.

§. Atque ista cum oculis comparatio virtutes illas designat ac dotes, quibus instructum esse oportet, qui Consiliarii fungitur munere : sicut enim Visus per omnes partes, ad res longe etiam distantes sese extendit, ita animo Consiliarii practico obversari debet præteritum, præsens, & futurum, ut de rebus recte statuat, & certum formet judicium : quod fieri haudquaquam poterit absque multa lectione, longo negotiorum usu, & frequenti cum Nationibus variis communicatione : *Nisi* enim naturæ Principis, *morum*, d *animorumque Provincia sint gnari, qui de ea consultant, perdunt se, & Rempublicam*; ad illam autem comparandam notitiam industria opus est, neque enim ea cognoscunt oculi, quæ ante non viderunt. Qui multa fuit expertus, atque oculis usurpavit multa, ei intelligentiæ lumen suboritur, & occurrunt facile e media.

§. Tanta est oculorum, cordisque consensio mutua, ut hujus affectus, ac passiones mox ad illos quoque deriventur; si triste illud sit, hi manant lacrymis; si contra lætum, sereni sunt, amœnique. Nisi Consiliarius intime suum dilexerit Principem, ita ut fortunam ejus adversam, aut prosperam quasi suam reputet, haud multum operæ & curæ ponet in dandis consiliis: quare recte dixit Rex Alphonsus Sapiens; f *que los Consejeros an de ser amigos del Rey. Ca si tales no fuesen, poder le yà ende venir gran peligro, porque nunca, los que à ome desaman, le pueden bien aconsejar, ni lealmente.*

§. Non sinunt oculi, ut digitus aliquis artificiosam eorundem structuram, & fabricam contrectet; tempori abdunt sese, & palpebris contegunt. Quantumvis Consiliarius intelligens sit, ac prudens in suis Consiliis; si tamen facilis fuerit, & levis in pandendis secretis; si digitos sibi in intimum pectus immitti patiatur, plus nocumenti adferet Principi, quam Consiliarius aliquis ignorans & rudis: nul-

a Sines. ad Arcad.
b Arist. lib. 6. de regim.
c Ierem. 1. 11.
d Cicero.

e *Vir in multis expertus, cogitabit multa: & qui multa didicit, enarrabit intellectum.* Eccl. 34. 9.
f lib. 5. tit. 9. p. 2.

nullum enim bonum consilium est, si secretum non maneat, immo quæ recte statuta fuere, plus damni accersunt, si ante tempus detegantur, quam etiam statuta male, si cum secreto executioni mandentur. Fugiat itaque Consiliarius communicationem cum iis, qui non ex eodem sunt Consilio: subducat se eorum digitis, qui intimum pectoris ejus pertentare cogitant. Nam si in colloquium aliquod de rebus descendat, facile mens ejus explorabitur, atque una cum illa regulæ, quibus Princeps se suaque moderatur. Labia velut fenestræ sunt interioris cordis, quæ dum panduntur, illico apparet, quod intus latet.

§. Adeo puri sunt oculi, tamque ab omni habendi cupiditate alieni, ut ne paleam quidem quantumvis exigua ea sit, admittant, & si quæ in eos fors inciderit, mox turbantur, nec quicquam videre possunt; sed aut omnia aliter, aut geminata iis sese offerunt. Consiliarius, qui acceperit munera, donorum pulvere mox occœcabitur, neque res concipere poterit, prout sunt, sed prout eas commodi proprii studium illi proposuerit.

§. Tametsi diversi sint oculi, non diversimode tamen, sed uniformiter res objectas repræsentant: concordes ambo in recipiendis rerum imaginibus, & transmittendis deinde ad sensum communem per nervos opticos, unitos inter se, ne diversæ subintrent, & illum fallant. Nisi inter Consiliarios una eademque sit voluntatum conspiratio, unus idemque finis pari consensu connitendi ad consilium optimum, & maxime proficuum, ita ut nec odium, nec amor, nec existimatio propria in diversas eos trahat opiniones, confusus hærebit Princeps & dubius; neque sat scire poterit, quam potissimam partem in electione melioris consilii amplecti debeat. Atque istud periculum tum præcipue accidit, cum unus aliquis Consiliarius plus videre se & intelligere existimat, quam videat & intelligat alius; aut cum tantum judicii non habet, ut quod melius est, dignoscere a valeat; aut cum consilio offensas suas ulcisci, & affectibus suis indulgere cogitat. Verum ab his omnibus liberum esse oportet Ministrum, ita ut alium finem sibi propositum non habeat, quam obsequium sui Principis. b *A tal Consejero* (verba sunt Regis Alphonsi Sapientis) *llaman en Latin Patricio, que es asi como Padre del Principe: e este nome tomaron à semejança del Padre natural, e asi como el Padre se mueve, segun Natura, à aconsejar à su Hijo lealmente, catandole su pro, e su honra, mas que otra cosa: asi aquel, por cuyo Consejo se guia el Principe, lo debe amar, e aconsejar lealmente, e guardar la pro, e la honra del Señor sobre todas las cosas del Mundo, non catando amor, nin desamor, nin pro, nin daño, que se le pueda ende seguir, e esto de ben fazer sin lisonja ninguna, non acatando, si le pesara, ò le plazera, bien ansi como el*

a *Cum fatuis consilium non habeas; non enim poterunt diligere, nisi quæ eis placent.* Eccles. 8. 20.

b l. 7. tit. 1. p. 4.

el Padre non lo cata, quando aconseja a su Hijo.

§. Partita est Natura jurisdictionem singulis oculis, suis cuique per lineam interpositam præfixis terminis: non ideo tamen in operando ambo concordes esse desinunt, sed mutuo quodam affectu sibi assistunt invicem, ut si unus in hanc sese flectat partem, quæ ad ipsum pertinet, idem quoque alter faciat, ut rerum cognitio tanto certior sit; nec curet magnopere, sintne eæ intra circumferentiam suam, an non sint. Hæc mutua concordia & consensio valde in Ministris est necessaria, quorum zelus, & diligentia universalis sit oportet, ut non ad ea solum, quæ sui sunt muneris, attendant gnaviter; sed ad ea etiam, quæ ad aliorum officia pertinent. Nulla est corporis pars, quæ non illico sanguinem suum suosque spiritus ad eam derivet, quæ adversi aliquid patitur, ut totum corpus conservetur. Si Minister aliquis otio indulgeat & quieti, dum alium laboribus & periculis videt opprimi, malitia est, æmulatio est, & exiguus erga Principem affectus. Nascitur istud interdum ex amore commoditatis & gloriæ propriæ, aut ne ea in discrimen veniat, aut certe ut socii infelicitate evadat illustrior. Tales Ministri sibi solum prosunt, non Principi. Atque hinc exoriuntur perniciosæ illæ Contentiones inter ipsos illius Status, inter ipsa illius arma, & æraria; quibus multæ egregiæ perduntur occasiones, amittuntur integræ urbes, castella & Provinciæ. Consilia & actiones Ministrorum communicari debent inter se, haud secus ac alæ Cherubinorum in templo Salomonico sese mutuo *a* contingebant.

§. Quanquam vero plurimum corpori prosint oculi, Natura tamen non nisi binos largita est, multitudo enim cognitioni rerum officeret. Haud aliter sane, ubi magnus est Consiliariorum numerus, retardantur consultationes, secretum in periculo est, & confunditur veritas: suffragia enim numerantur solum, non expenduntur, & major denique numerus concludit. Hæc damna experiuntur potissimum Respublicæ. Multitudo cœca est semper & imprudens, & sapientior etiam Senatus, hoc ipso quod amplus est, conditionem & ignorantiam vulgi admixtam habeat, necesse est. Plus lucis pauci spargunt Planetæ, quam multæ stellæ. Et quia tot sunt in via lactea, hinc splendore repercusso alia aliam impedit, & minus ibi lucis est, quam in aliis cœli partibus. Inter multos libertas audacior est, & difficulter ad voluntatem & arbitrium Principis reduci se *b* patitur; uti experientia docet in Conventibus Ordinum publicis, & comitiis Generalibus. Expedit itaque, ut pauci potius sint Consiliarii, ii scilicet, qui ad gubernandum Statum sufficiunt, erga quos in-

a *Et ala ejus altera quinque cubitorum alam Cherubinorum alterius contingebat.* 2 Par. 3. 12.

b *Populi imperium juxta libertatem: paucorum dominatio regiæ libidini propior est.* Tac. l. 6. Annal.

indifferenter se gerat ipse Princeps, neque sinat se unius solius duci judicio; per unum enim tantum non videbit, quantum per omnes alios. Ita dixit Xenophon, qui eadem usus comparatione Consiliarios Regum Persiæ oculos, & aures *a* vocitat. b *Apud* ejuscemodi *Ministrum*, cum non nisi ipsius oculis Princeps videat, *Majestas Imperii hærere solet Regi, aut Principi orbum potentiæ nomen relinquitur*.

§. Solent plerumque Principes unius solius alicujus consilio ita acquiescere, ut omnia cum illo negotia deliberent, ea etiam quæ ipse minime intelligit. Vnde accidit, ut gravissimi in statuendo committantur errores: neque enim viri literati in rebus militaribus recte consilia dare poterunt, neque milites in iis, quæ ad pacem pertinent. Expendens illud Alexander Severus Imperator unumquemque in iis consulebat, quæ ipse pertractaverat. c *Vnde si de jure tractaretur, in consilium solos doctos adhibebat; si vero de re militari, milites veteres, & senes ac bene meritos, & locorum peritos.*

§. Istis oculorum affectionibus hactenus explicatis corpus in suis motibus regitur, quæ si deessent, ne ad unum quidem passum secure posset progredi. Idem Regno eveniet, quod bonis Consiliariis destitutum fuerit. Cœcum erit sceptrum absque istis oculis, & sine visu Majestas. Neque enim Princeps ullus tanta pollet sapientia; ut per se ipsum omnia, quæ occurrunt, possit decidere. *El Señorio* (inquit Alphonsus Rex) *no quiere compañero, ni lo ha menester, como quiera que en todas guisas conviene, que aya omes buenos, è sabidores, que le aconsejen, è le ayuden.* Et si quis Princeps tam acutos sibi oculos esse existimaverit, ut absque aliorum opera solus videre omnia, & dijudicare se posse confidat, is superbus magis erit, quam prudens, & ad quemvis passum in gubernatione *d* offendet. Iosue tametsi actiones suas cum ipsomet Deo communicaret, & expressa ab illo mandata accepisset, & instructiones pro occupanda urbe Hay, consulebat tamen seniores Duces, quos secum *e* habebat. Consiliarii Assueri Regis nunquam à latere ipsius, discedebant, quin omnia cum iis mature deliberabat, ut Regum mos *f* erat. Divinum Spiritus

a *Hinc factum est, ut vulgo jactatum, Persarum Regem multos habere oculos, aurésque multas; quod si quis putet unum oculum experiendum Regi, eum egregie falli certum est: unius enim & pauca videas, & pauca audias; e etque alia regiis Ministris quasi negligentia quadam, & segne indictum otium, si id uni solum alicui demandatum esset officium. Præterea quem subditi cognoscerent illum esse oculum, aut aurem regiam scirent hunc cavendum esse, neque quidpiam illi committendum, quod omnino præter rem Principis foret*, Xenoph. lib. 4. Cyri.

b Plutarch.

c Lampr. in vita Alex.

d Si de sua unius sententia omnia geres, superbum hunc judicabo magis, quam prudentem. Liv.

e *Et ascendit cum senioribus in fronte exercitus.* Ios. 8. 10.

f *Interrogavit sapientes, qui ex more regio semper ei aderant, & illorum faciebat cuncta consilio.* Esther, 1. 10, 13.

ritus sancti oraculum est: a *Qui agunt omnia cum consilio, reguntur sapientia.* Non tanta est Naturæ capacitas, ut ad imperium, quantumvis exiguum, ea sola sufficiat: b *Nemo* enim *solus sapit*, neque in uno solo reperiri possunt omnia, quæ sciunt omnes. Et licet multa ingenia non plus videant, quam unum aliquod perspicax, eo quod non sint sicut quantitates, quæ multiplicantur seipsis, & summam grandem conficiunt; illud tamen de distantia intelligi debet, non de circumferentia, quam citius plures oculi deprehendunt, quam *c* unus, modo tot non sint, ut nascatur inter eos confusio. Vnum solum ingenium unam sequitur ratiocinationem, neque enim uno eodemque tempore pluribus potest intendere, & illius amore captum ulterius non progreditur. In consultatione multos audit Princeps, & melius secutus judicium, suum facilius deponit, illorumque agnoscit incommoda, quæ ex passionibus, & affectibus privatis oriuntur. *d* Eam ob rem Ioannes Secundus Aragoniæ Rex datis ad filios suos Reges Catholicos sub extremum vitæ literis, serio eos monuit, ne quid unquam facerent absque consilio Virorum prudentium, & quos virtus commendaret. Omnes gubernationis gressus necesse est, ut præcedant illi Consiliariorum oculi, & viam *e* commonstrent. Antonius Imperator cognomento Philosophus, Vir ea ætate longe sapientissimus, Scævolam, Mucianum, Vlpianum, & Marcellum, Viros plane insignes à consiliis habebat, & si eorum sententias sua meliores esse animadverteret, lubens sese illis accommodabat, dicebatque: f *Satius est, ut ego tot taliumque amicorum sequar consilium, quam illi meum. Qui sapiens est, audit consilia*, & rectius peragit omnia Princeps etiam ignorans, qui consilio utitur, quam alius intelligens, in opinionibus suis obstinatus & pertinax. Ne Principem arrogantia præcipiter, propterea quod gloriam rei bene gestæ cum aliis partiri oporteat, si Consiliarii in eam aliquid conferant: neque enim profecto minor laus est, dimittere sese ad aliorum consilium inquirendum, quam seipso rectissime aliquid facere.

g *Ipse ô Rex bene consulito, & pareto vicissim.*

Hęc consilii acceptatio summa in Principe potestas est. Consilium dare inferioris est, superioris illud admittere. Nihil Principatui magis proprium, nihil necessarium magis, quam consultatio, & executio. *Digna accion es* (ajebat Rex Alphonsus Vndecimus, in Comitiis Madritensibus) *de la Real magnificentia, tener segun su loable costumbre varones de Consejo cerca de si, i ordenar todas las cosas por sus Consejo: porque si todo Home debe trabajar de aver Consejeros, mucho mas lo debe fazer el Rey.* Quilibet, etiam igno-

a Prov. 13. 10.
b Plaut.
c *Salus autem ubi multa consilia.* Prov. 11. 14.
d Mar. hist. Hisp.
e *Oculi tui recta videant, & palpebræ tuæ præcedant gressus tuos.* Prov. 4. 25.
f Prov. 12. 15.
g Hom.

ignorans, Consilium dare potest; at bene statuere, solus *a* prudens. Nil quicquam de gloria Principis decedit, qui consultare noverit, & eligere: *Bene enim quod cum vestro consilio fuerit ordinatum* (dicebat in lege quadam Theodosius Imperator) *b id ad beatitudinem nostri imperii, & ad nostram gloriam redundare arbitror.* Triumphi Scipionis Africani non aliunde, quam à Consiliis Caji Lælii profecti sunt, unde dici solebat; hunc conscribere, Scipionem vero exhibere Comœdiam: neque tamen hoc ipsum splendorem famæ illius ullo modo obscuravit, neque recte & cum laude adeo factorum gloria Lælio adscripta fuit. Res tota in eo præcipue consistit, ut recte per semetipsum Comœdiam repræsentare Princeps noverit, neque Minister sit, qui illam & componat & exhibeat. Nam etsi Consiliarii sint oculi Principis, ipsum tamen adeo cœcum esse non oportet, ut absque iis prorsus videre nequeat: hoc enim esset cœco quodam modo imperare, & Princeps apud omnes suos in contemptum veniret. Lucius Torquatus, tertiùm electus Consul, oculorum imbecillitatem excusavit, c *indignum esse*, inquiens, *Rempublicam, & fortunas Civium ei committi, qui alienis oculis uti crederetur.* Rex Ferdinandus Catholicus dictitabat, Legatos esse Principis oculos; eum tamen miserrimum fore, qui non nisi iis solis cerneret. Non concredebat omnia Ministris suis magnus ille Politicus, per eos videbat quidem, sed tamen tanquam per conspicilia, ponendo illos ante se, & oculos suos proprios iisdem applicando. Si Consiliarii animadvertant, penes se rerum decidendarum esse arbitrium, detorquent eas ad privatos suos fines, & crescente ambitione, in diversas abeunt factiones, unoquoque eorum supremam illam potestatem sibi arrogante, quam Princeps ignavus, & ad negotia tractanda inidoneus illis permittit. Miscentur & perturbantur omnia, si Consiliarii plus esse velint, quam speculæ quædam, quæ rerum Horizontem Principi detegant, ut ipse statuere deinde in iis possit, & eligere consilium, quod videbitur optimum. Oculos ei Natura dedit, & si unicuique Ministro suus assistat Angelus, cor Regis vero ipse quoque Deus præterea moderatur, *d* dubio procul etiam visum ejus dirigent, & clariorem perspicaciorémque efficient, quam Ministrorum. Rex Philippus Secundus animum interdum ad se revocabat, ut de negotiis ipse secum disquireret, & Deo sese enixe commendans, illud amplectebatur, quod sibi tum occurreret, licet aliter Ministris ejus videretur, & plerumque eveniebat feliciter. Non possunt Consiliarii semper hærere lateri Principis, e *nec omnia consilia cunctis*

a *Astutus omnia agit cum consilio.* Prov.13. 16.
b l. humanum. C. de leg.
c Tit. Liv. l.26.

d *Cor Regis in manu Domini: quocunque voluerit, inclinabit illud.* Proverb.21. 1.
e Tac. lib.1. Hist.

cunctis praesentibus tractari, ratio rerum, aut occasionum velocitas patitur; sed in arena capiendum interdum Consilium, & statuendum ex tempore. Non habent mandata auctoritatem, ut par est, si constet Principem ea accipere, non dare: statuere omnia absque consilio praesumpta temeritas est: & omnia exequi ex aliena sententia, ignorans servitus. Penes eum, qui imperat, arbitrium esse debet immutandi, adjiciendi, aut rejiciendi penitus id, quod illi Ministri consulunt. Et proderit interdum quaedam eos celare mysteria, ac fallere; uti faciebat idem Rex Philippus Secundus, diversimode ad Consilium status referendo de Legatorum expeditionibus, quando eos in certam aliquam trahere cogitabat sententiam, aut alias expedire judicabat, ne quaedam negotiorum circumstantiae iis innotescerent. Consilium Status Colosso alicui debet esse simile, ut illius humeris insistens Princeps longius quam ipsum prospiciat. Thebani visum tam longum Principi suo minime optabant: hinc enim depingere eum solebant patulis auribus & oculis obvelatis, significantes, coeco quodam impetu debere eum exequi, quae suasisset, statuissetve Senatus. Verum Symbolum illud non erat Principis alicujus absoluti, sed Principis Reipublicae; cujus potestas sic astricta est certis limitibus, ut satis sit, quod ille audiat: nam videre, quid agendum sit, Senatui reservatur. Non nisi coeca Majestatis est umbra, & vanum potentiae simulacrum. In illum non nisi per reflexionem derivatur auctoritas, quae in Senatu residet, adeoque oculis non eget, cui pro suo arbitratu progredi non licet.

§. Quamvis autem omnino deceat, ut Princeps in deliberando suum sibi servet arbitrium; in eo tamen tantopere gloriari non debet, ut ea de caussa, ne consilio indigere videatur, illud prorsus respuat, quod ei Ministri suggerunt; sic enim in gravissima incideret incommoda, quomodo, Tacito teste, Petro accidit, qui a *ne aliena sententia indigens videretur, in diversa, ac deteriora transibat.*

§. Si factu foret possibile, deberent Reges Regibus esse à consiliis, ut quae ii in rem consulerent, à decoro, existimatione & auctoritate Regia non descisceret. Saepe persona sua minus dignum aliquid agit Princeps, quia visi & abjecto est animo qui sic consulit. Verum quia illud fieri nequit, decet saltem ejusmodi legere Consiliarios, qui tametsi Principes non sint, animos tamen & spiritus gerant Principum, & ex sanguine generosiori descendant.

§. In Hispania magna cum prudentia varia instituta sunt consilia, pro bona Regnorum, & Provinciarum administratione, aliisque momenti alicujus in ista Monarchia negotiis; verum ob bonam hanc illius constitutionem non protinus curam omnem oportet abjicere: nulla enim

a Tac. lib. 5. Annal.

Respublica tam firmis munita præsidiis, cujus fundamenta cum tempore non collabascant, aut quæ malitia pravique abusus sensim non exedant. Nec sufficit partes illius singulas bene constitutas esse, nisi aliquando omnes in unum coëant, agantque inter se tam de illis ipsis partibus, quam de universo corpore. Ad eum finem in Religiosis Ordinibus cogi videmus capitula Provincialia & Generalia, in Ecclesiastica Monarchia Concilia: & easdem ob caussas maxime è re communi esse videtur, ut decimo quoque anno Madriti Generale aliquod formetur consilium, aut conventus, ad quem Consiliarii bini è consiliis singulis, aut bini Deputati ex unaquaque Monarchiæ istius Provincia conveniant, ad deliberandum de sua suarumque partium conservatione: nisi enim Regna innoventur subinde, inveterascunt ac pereunt. Atque hic conventus Monarchiæ membra arctius uniet, ut consentiant inter se, & sibi mutuum in necessitatibus ferant præsidium. Ad eundem finem cogebantur Concilia Toletana, in quibus non solum quæstiones de Religione pertractari solebant, sed ea quoque, quæ ad Castellæ gubernationem pertinerent.

§. Atque istæ oculorum affectiones reperiri etiam debent in Principum Confessariis, qui eorum sunt Consiliarii, Iudices, & Medici spirituales; quæ officia Viros desiderant in obsequio divino, & amore in Principem ferventes; instructos à scientia, ad recte judicandum; à prudentia, ad admonendum; à libertate, ad corripiendum; à fortitudine, ad instruendum, proponendo Principi ante oculos (etsi cum gratiæ amittendæ periculo) injurias subditorum, & Regnorum pericula, non vero luto illinendo (ut Ezechiël loquitur) hiantem parietem & ruinas *a* minitantem. Nonnulli Principes Confessariorum utuntur opera ad solam conscientiam expiandam; alii etiam in consultationibus ad Statum pertinentibus. Rationes politicas in utramque partem nunc non examino, illud solum dico, conveniens judicatum in Hispania, ut Regis Confessarius interesset consiliis, tum ut decisiones ex conscientiæ præscripto dirigeret, iisque pondus adderet; tum ut gubernationis quasi factus consors, corrigeret Principem, si qua in re suo muneri is deesset: aliqui enim optime norunt peccata, quæ admittunt, ut homines; at non ea, quæ peccant, ut Principes, licet graviora illa sint, quæ ad officium eorum pertinent, quam ea quæ ad ipsam personam.

§. Nec expedire solum videtur, ut Confessarius consilio Status intersit, sed alii etiam Prælati aut personæ Ecclesiasticæ in Dignitatibus constitutæ, & ut auctoritate sua, atque eruditione, qua valent plurimum, Regni consultationibus assistant; sic enim magis unirentur inter se ad

a *Illi autem liniebant eum luto absque palea.* Ezech. 13. 10.

ad conservationem & defensionem totius corporis duo illa brachia, spirituale scilicet, & temporale. Reges Gothi de rebus maximis conferebant cum Prælatis, qui in Conciliis Toletanis in unum convenerant.

§. Quod dictum de Confessariis, de Concionatoribus quoque debet intelligi, qui tubæ sunt *a* veritatis, & interpretes Deum inter & *b* homines, in quorum ore *c* verba sua posuit. Cum illis valde caute oportet agere Principem, tanquam cum canalibus quibusdam, per quos fluenta doctrinæ aut salutaris, aut noxiæ derivantur ad populum. Ab iis plebs dependet, suntque instrumenta peridonea ad illam aut concitandam, aut componendam; uti in seditionibus Catalaniæ, & Lusitaniæ compertum fuit. Fervor eorum & zelus in reprehendendis vitiis, exerere sese potissimum solet contra eos, qui aliis præsunt, & ex levibus indiciis facile istud penetrat populus, quia natura sua erga Ministros minus bene afficitur. Vnde fieri potest, ut gubernationis pereat auctoritas, & subditi minus contenti sint; inde vero oriantur tumultus, & seditiones, præsertim quando culpantur, produnturque vitia Principum, contra officii sui obligationem commissa. Præstat igitur reprehensiones illas esse generales, absque eo, quod ipsæ designentur personæ, quando scandalum non est publicum, aut præmissæ non fuerunt admonitiones Euangelicæ, aliæque circumstantiæ cum bono publico in trutina appensæ. Cum tali modestia reprehendit Deus in Apocalypsi nonnullos Episcopos, ut prima fronte iis ablandiri, immo etiam adulari cuipiam videri *d* posset. Neminem Christus offendit ex cathedra: reprehensiones ipsius fuerunt generales, & quando ad particulares descendit, non ut concionator, sed ut Rex locutus videtur. Pro concione dici non debet, quod in angulis platearum interdicitur, & punitur; qua in re falli solet zelus, aut quia nimius est, aut quia eum excæcat applausus imperitæ multitudinis, quæ frequens concurrere solet, ad audiendos defectus Principis aut Magistratus.

a *Clama, ne cesses, quasi tuba exalta vocem tuam.* Is. 58. 1.

b *Pro hominibus constituitur in iis, quæ sunt ad Deum.* Hebr. 5. 1.

c *Ecce dedi verba mea in ore tuo.* Ier. 1. 9.

d *Novi opera tua, & fidem, & charitatem tuam, & ministerium, & patientiam tuam, & opera tua novissima plura prioribus; Sed habeo adversus te pauca.* Apocal. 2. 19. & 20.

SYMBOLVM LVI.

AB intelligentia, non à calamo est Secretarii officiũ. Si ad id sufficeret belle pingere literas, optimi Secretarij Typographi forent. Illius est de rebus consultare, eas disponere, & ad perfectionẽ adducere. Dextera manus est voluntatis.



Principis, & gubernationis ejus inſtrumentum, index denique, quo decreta ſua conſignat, atque uti dixit *a* Rex Alphonſus Sapiens, *el Chanciller* (ejus loco nunc Secretarius eſt) *es el ſegundo Official de caſa del Rey, de aquellos, que tienen oficios de poridad. Ca bien aſi como el Capellan* (de Sacellano Majori loquitur, qui tunc Regi à confeſſionibus erat) *es medianero entre Dios, e el Rey ſpiritualmente en fecho de ſu anima: otro ſi lo es el Chanciller entre el, e los Omes.* Perparum proderit, in Conſiliis prudentes inſtitutas fuiſſe conſultationes, ſi qui diſponere eas debet, errorem committat. Conſiliarii ſuas dicunt ſententias, Princeps per Secreta-

a L. 4. tt. 9. p. 2.

cretarium suum animam iis tribuit, & unum aliquod verbum hic, aut ibi opportune positum, negotiorum formam immutat, haud secus atque in picturis exigua aliqua umbra, aut levis penicilli ductus efficit, ut ad vivum exemplar accedant propius, aut ab eo longius abeant. Consilium ideam fabricæ negotii alicujus disponit, Secretarius inde normam concinnat, in qua si erretur, ipsum quoque ædificium secundum illam constructum vitiosum erit. Vt istud Emblemate præsenti subjiciam oculis, calamus illius circinus simul est, quia non solum in chartam referre debet, sed mensurare etiam, & perficere, quæ statuta fuerunt, metiri occasiones & tempora, ne aut citius, aut tardius, ac oportet, fiat executio; officium ita conjunctum cum munere Principis, ut si negotia ferrent, alteri committi nequaquam deberet: nam si pars Majestatis non sit, quædam saltem illius est reflexio. Illud, opinor, Cicero innuebat, cum Proconsulem, qui tum Asiæ Provinciã procurabat his verbis admoneret: a *Sit annulus tuus* (quo nomine Secretarium intellige) *non ut vas aliquod, sed tanquam ipse tu; non Minister alienæ voluntatis, sed testis tuæ.* Ministri alii in uno solo munere Principem referunt; Secretarius in omnibus. In aliis sufficit scientia rerum iis commissarum; in hoc cognitio requiritur, & experientia aliqua communis, & specialis artium omnium tam belli, quam pacis. Errata illorum in una sunt materia; horum vero in omnibus, occulta tamen, & quæ postea Consiliis imputantur; quemadmodum gravitati morbi errores Medicorum in applicandis remediis. Cum malis Ministris poterit Princeps in negotiis suis efficere aliquid, at non cum imperito Secretario. Stomachus est, ubi digeruntur negotia, & si concocta male inde prodeant, caduca erit & brevis vita gubernationis. Repetantur memoria tempora retro præterita, & statim apparebit, nullum unquam statum rite & feliciter gubernatum fuisse, nisi eum, qui insignes habuit Secretarios. Quid refert, optime statuere Principem, si Secretarius male illud disponat, neque cum judicio ponderet, aut cum prudentia observet aliquas circumstantias à quibus dependere solent negotia? Si prudentia illi desit, non sufficit, quod certas quasdam scribendi formulas teneat: vix ullum enim est negotium, cui alterius exemplar aptari queat. Omnia cum tempore, aliisque accidentibus formam mutant & naturam. Habent Pharmacopœi remedia diversa à variis præscripta Medicis, pro diversis morborum curis; verum gravissimi fierent errores, si ipsi Medicinæ imperiti eas applicarent ægritudinibus absque notitia caussarum, constitutionis infirmi, temporis, aliarumque circumstantiarum, quas usus observavit, & prudens ratio expendit, ac speculatio. Idem negotium ali-

a Cic. Epist. 1. ad Quinct. Frat.

ter præscribi debet ad Ministrum phlegmaticum, aliter ad cholericum: aliter ad timidiorem, aliter ad audaciorem. Vtrosque illi instruere debent, quomodo curanda negotia, & expedienda sint. Quid Secretaria aliud sunt, quam scholæ quædam, è quibus insignes Ministri prodeunt? Ex iis, quæ ipsi usu & experientia observant, omnes rectam gubernandi rationem edocere poterunt. Ibi notare oportet, quæ recte fiant, quæ secus. E quibus omnibus facile conficitur, quanti intersit ad utilitatem publicam, tales eligi Secretarios, qui optimis Naturæ donis instructi sint, Magni illi Dei Ministri aut Secretarii, quos Euangelistas dicimus in Apocalypsi adumbrantur per quatuor animalia alata, intus ac foris oculis *a* plena, & pennæ quidem velocitatem & executionem ingenii denotant: oculi exteriores, accuratam omnium notitiam: interiores, eorundem contemplationem: tam intenti operi, ut nec noctu, nec interdiu quietem *b* caperent: tam obligationi suæ invigilantes, ut Ezechiele teste, semper calamo, & chartæ *c* intenderent; conformes in omnibus, & uniti ipsi divinæ menti & spiritui, à quo nulla in re *d* discedebant.

Atque ut hæc Secretariorum electio recte possit institui, operæ pretium foret, certos quosdam, qui ad id viderentur idonei, primum exercere in variis ministeriis atque officiis; quod fieri poterit, si Princeps Legatis suis, aut majoribus Ministris eos adjungat Secretarios, qui ingenio valent rerum capaci, cum Latinæ linguæ peritia, eorumque probet industriam extra suum Regnum in variis officiis; postea vero ad aulæ secretaria eos evocet, ubi Ministros agant, seque perficiant, ut esse possint Secretarii Status, aliorumque consiliorum, ut Custodes item ærarii, Commissarii, quorum notitiæ & experientiæ plurimum conferunt ad bene gubernandum, & expedienda negotia. Atque ita evitabitur mala Secretariorum electio, qualis plerumque à Ministris fieri assolet, eorum opera utentibus, quos jam ante habebant, quique ordinarie minus ad id munus sunt idonei, eo quod eos fere eligere soleant, qui elegantius pingunt literas, non qui scientia præstant. Vnde fit, ut plus obsit Principi Minister aliquis bonus, qui imperitum habet Secretarium, quam Minister aliquis malus, cui bonus est Secretarius. Accedit illud etiam, quod si Secretarius ab ipso legatur Principe, à quo ulteriorem sperat fortunam, majori cum studio Ministri suis invigilabunt officiis, magisque attenti erunt ad munerum suorum obligationem, & bonam administrationem fortunarum Principis. Rex Alphonsus Sapiens cum probe

a *Singula eorum habebant alas senas: & in circuitu, & intus plena oculis.* Apoc. 4. 8.

b *Et requiem non habebant die ac nocte.* Apoc. 4. 8.

c *Facies eorum & pennæ eorum extentæ desuper.* Ezech. 1. 11.

d *Vbi erat impetus Spiritus, illuc gradiebantur.* Ezech. 1. 12.

le sciret, quantum in bono aliquo Secretario esset positum, dixit aliquando, a *que debe el Rey escoger tal ome para esto, que sea debuen linaje e aya buen seso natural: e sea bien razonado, e de buena manera e de buenas costumbres, e sepa leer, e escrivir, tambien en Latin, como en Romanze.* Non videtur Rex Alphonsus solum voluisse, ut Secretarius Latine norit scribere, sed loqui etiam: id enim apprime utile est ei, quem cum omni Nationum genere agere oportet. Et hoc præsertim tempore, postquam Monarchia Hispanica per Provincias,& Regna extera longius dilatata fuit, illud valde necessarium est, ob frequens literarum Latinarum commercium.

5. Verum nihil magis essentiale & proprium Secretario, quam Secretum, unde & nomen invenit, ut eo audito continuo obligationem suam sibi in memoriam reduceret. Lingua & calamus periculosa cordis instrumenta sunt, & per illa foras se prodit, aut levitate judicii, mysteriorum incapacis, aut ex inani aliqua gloria, dum nimirum Secretarii magnarum rerum quasi depositarii videri cupiunt, aut intelligentes, loquendo de illis, scribendove ad eos, qui Ministri non sunt. Atque adeo Secretarii munere fungi iste non poterit, qui tam modestus non fuerit, ut audire potius malit, quam loqui, eundem semper vultum præ se ferendo, siquidem & in hoc legi potest, quod curæ illius & expeditioni commissum fuerit.

a L.4. tt.9. p.2.

SYMBOLVM LVII.

HOrologii rotulæ tanto tamque occulto volvuntur silentio, ut nec videas eas, nec audias; & licet ab iisdem totum pendeat artificium, sibi tamen hoc minime attribuunt, sed motum suum accommodant indici, qui solus horas distinguit, & indicat, seseq; palam omnibus ostentat dimensi temporis auctorem & regulam. Talis concordia mutua, & consensio sit oportet inter Principem & eos, qui ipsi à consiliis sunt. Istos adhibere, perutile est: nam (ut recte dixit Rex Alphonsus Sapiens) b *el Emperador, y el Rey maguer sean grandes Señores, non puede fazer cada uno dellos mas, que un Ome,* & Status alicujus gubernatio multis indiget viris, at tam modestis, & ab omni arrogantia alienis, ut ex iis, quæ statuta fuerint, nihil suo tribuant, consilio, sed solius Principis. Laboris socii sint, non potentiæ. Ministri, non Imperii cõsortes. Sciant Principem absq; iis imperare posse, se vero absque illo minime. Vbi Majestatem suam potentiamque exercere poterit sine opis alterius adminiculo, se solo id agat. In Ægypto, ubi efficacior est caloris vis, cœlum animalia perfecta absque alterius concursu procreat. Si Princeps omnia cum aliis conferat, Consultator erit potius,

b L.12. tt.1. p.2.

Fortitudo virtutis etiam ... placet, aut quia tem- pora ejus c... efficit, ut propter ipsam virtutis vim Animus violentiae non pateat, neque quicquam in eam potest Fortuna. Graves minas Ca-

a Mar. hist. Hisp. l. 17. c. 13.
b Plutarch. in apoph. Regum & Imp.



uidquid desiderat.
Claudio Impera-
non judicium, non
si indita, & jussa.
is, non Mini-
neris Deus Prin-
posuit; id quod
Sauli indicare
l, quando uncto
struxit convi-
ndustria armum
num e porrexit.
velim Princi-
sse similem, qui
inclinat; sed
numeros habeat
t animalia illa
chielis; ut vi-
ant, quid in se
Currum & auri-
Eliam vocabat
d onus guber-
cret, ac rege-
nomen haud
uisquis per se-
escit, aut con-
in Vitellio vi-
h *neque juben-*
di potens, non
sed tantum bel-
Quam ob rem
dicis officium
rologio obire
, sed inquietis
mensuram mo-
dum-

onal.
incipatus super hu-
6.
coeus armum, &
dixitque Samuel,
pone ante te, &
industria servatum
populum vocavi.

plena erant ocu-
ec. lxx.
videbat, & clama-
Pater mi, currus
s. 4. Reg. 2. 12.
histor.



tius, quam Princeps. Perit Principatus vis, nisi rerum summa ad unum [a] revocetur. Monarchia à cæteris gubernandi rationibus in eo distinguitur, quod unus solus imperet, obediant alii, & si permiserit Princeps, ut plures præcipiant, non Monarchia erit, sed Aristocratia. Vbi imperant multi, nemo imperat. Spiritus sanctus pœnæ & castigationis loco id [b] habet, & contra benedictionem interpreta-

a Neve Tiberius vim Principatus resolveret, cuncta ad Senatum vocando, eam conditionem esse imperandi, ut non aliter ratio constet, quam si uni reddatur. Tac.lib.1. Annal.

b Propter peccata terræ multi Principes ejus. Prov.28. 2.

pretatur, si penes unum solum imperium a sit. Quod si Ministri Principem tam ignavum esse animadverterint, ut alios sinat regere, maximam sibimet auctoritatem arrogant. Augescit inter eos superbia & æmulatio. Quilibet è pallio Regio detrahit aliquid, adeoque penitus tandem in frusta distrahitur. Plebs confusa inter tot Dominos verum ac legitimum amplius non agnoscit, & gubernationem contemnere incipit: nihil enim recte geri existimat, nisi quod à Principis sui mente proficisci credit, unde & vi remedium parat. Exempla funesta ejus rei apud Historicos videre licet in amissione Regni, b & morte Garsiæ Galæciæ Regis, qui ne indicem quidem agere voluit, designando gubernationis motus; sed ad unum aliquem, quem præ aliis charum habebat, remittebat omnia, qui una cum Rege postea occisus fuit. Regem Sanctium Lusitanum Regno exutum legimus, quod in eo Regina potius, aliique famuli obscuro loco nati imperarent. Idem Regi Henrico IV. accidit, quia in negotiis curandis tam erat negligens: ut eorundem expeditiones à Ministris datas, manu sua subscriberet ante, quam eas legeret, aut sciret etiam, quid in iis contineretur. Incommodis omnibus sese Princeps objicit, qui sine examine, sine consideratione id solum exequitur, quod statuunt alii, in ipso enim tanquam in molli cera quilibet imprimit, quidquid desiderat. Ita factum Claudio Imperatori, c *cui non judicium, non odium erat, nisi indita, & jussa.* Ipsius Principis, non Ministrorum humeris Deus Principatum d imposuit; id quod haud obscure Sauli indicare voluit Samuel, quando uncto in Regem instruxit convivium, & de industria armum ex agno reliquum e porrexit. Attamen non velim Principem Cameli esse similem, qui cœce oneri se inclinat; sed opus est, ut humeros habeat oculatos, sicut animalia illa in visione Ezechielis; ut videant, & sciant, quid in se f suscipiant. Currum & aurigam Israëlis Eliam vocabat g Eliseus, quod onus gubernationis sustineret, ac regeret. Principis nomen haud meretur, quisquis per seipsum jubere nescit, aut contradicere; ut in Vitellio videre licuit, qui h *neque jubendi, neque vitandi potens, non jam Imperatori, sed tantum belli caussa erat.* Quam ob rem non solius indicis officium in regendo horologio obire debet Princeps, sed inquietis etiam, quæ mensuram modum-

P 5

a *Et suscitabo super eas Pastorem unum qui pascat eas.* Ezech. 34. 23.

b Mar. Hist. Hisp. cap. 8. l. 9.

c Tac. lib. 2. Annal.

d *Factus est Principatus super humerum ejus.* Isa. 9. 6.

e *Levavit autem cocus armum, & posuit ante Saul: dixitque Samuel, ecce quod remansit, pone ante te, & comede: quia de industria servatum est tibi, quando populum vocavi.* 1. Reg. 9. 24.

f *Et dorsa eorum plena erant oculis.* Ezech. 1. 18. sec. lxx.

g *Eliseus autem videbat, & clamabat: Pater mi, Pater mi, currus Israël, & auriga ejus.* 4. Reg. 2. 12.

h Tacit. lib. 1. histor.



tius, quam Princeps. Perit Principatus vis, nisi rerum summa ad unum a revocetur. Monarchia à cæteris gubernandi rationibus in eo distinguitur, quod unus solus imperet, obediant alii, & si permiserit Princeps, ut plures præcipiant, non Monarchia erit, sed Aristocratia. Vbi imperant multi, nemo imperat. Spiritus sanctus pœnæ & castigationis loco id b habet, & contra benedictionem interpreta-

a Neve Tiberius vim Principatus resolveret, cuncta ad Senatum vocando, eam conditionem esse imperandi, ut non aliter ratio constet, quam si uni reddatur. Tac. lib. 1. Annal.

b Propter peccata terræ multi Principes ejus. Prov. 28. 2.

pretatur, si penes unum solum imperium *a* sit. Quod si Ministri Principem tam ignavum esse animadverterint, ut alios sinat regere, maximam sibimet auctoritatem arrogant. Augescit inter eos superbia & æmulatio. Quilibet è pallio Regio detrahit aliquid, adeoque penitus tandem in frusta distrahitur. Plebs confusa inter tot Dominos verum ac legitimum amplius non agnoscit, & gubernationem contemnere incipit: nihil enim recte geri existimat, nisi quod à Principis sui mente proficisci credit, unde & vi remedium parat. Exempla funesta ejus rei apud Historicos videre licet in amissione Regni, *b* & morte Garsiæ Galæciæ Regis, qui ne indicem quidem agere voluit, designando gubernationis motus; sed ad unum aliquem, quem præ aliis charum habebat, remittebat omnia, qui una cum Rege postea occisus fuit. Regem Sanctium Lusitanum Regno exutum legimus, quod in eo Regina potius, aliique famuli obscuro loco nati imperarent. Idem Regi Henrico IV. accidit, quia in negotiis curandis tam erat negligens: ut eorundem expeditiones à Ministris datas, manu sua subscriberet ante, quam eas legeret, aut sciret etiam, quid in iis contineretur. Incommodis omnibus sese Princeps objicit, qui sine examine, sine consideratione id solum exequitur, quod statuunt alii, in ipso enim tanquam in molli cera quilibet imprimit, quidquid desiderat. Ita factum Claudio Imperatori, *c cui non judicium, non odium erat, nisi indita, & jussa.* Ipsius Principis, non Ministrorum humeris Deus Principatum *d* imposuit; id quod haud obscure Sauli indicare voluit Samuel, quando uncto in Regem instruxit convivium, & de industria armum ex agno reliquum *e* porrexit. Attamen non velim Principem Cameli esse similem, qui cœce oneri se inclinat; sed opus est, ut humeros habeat oculatos, sicut animalia illa in visione Ezechielis; ut videant, & sciant, quid in se *f* suscipiant. Currum & aurigam Israëlis Eliam vocabat *g* Eliseus, quod onus gubernationis sustineret, ac regeret. Principis nomen haud meretur, quisquis per seipsum jubere nescit, aut contradicere; ut in Vitellio videre licuit, qui *h neque jubendi, neque vitandi potens, non jam Imperatori, sed tantum belli caussa erat.* Quam ob rem non solius indicis officium in regendo horologio obire debet Princeps, sed inquietis etiam, quæ mensuram mo-

a Et suscitabo super eas Pastorem unum qui pascat eas. Ezech. 34. 23.
b Mar. Hist. Hisp. cap. 8. l. 9.

c Tac. lib. 2. Annal.
d Factus est Principatus super humerum ejus. Isa. 9. 6.
e Levavit autem cocus armum, & posuit ante Saul: dixitque Samuel, ecce quod remansit, pone ante te, & comede: quia de industria servatum est tibi, quando populum vocavi. 1. Reg. 9. 24.
f Et dorsa eorum plena erant oculis. Ezech. 1. 18. sec. lxx.
g Eliseus autem videbat, & clamabat: Pater mi, Pater mi, currus Israël, & auriga ejus. 4. Reg. 2. 12.
h Tacit. lib. 1. histor.



tius, quam Princeps. Perit Principatus vis, [a] niſi rerum ſumma ad unum [a] revocetur. Monarchia à cæteris gubernandi rationibus in eo diſtinguitur, quod unus ſolus imperet, obediant alii, & ſi permiſerit Princeps, ut plures præcipiant, non Monarchia erit, ſed Ariſtocratia. Vbi imperant multi, nemo imperat. Spiritus ſanctus pœnæ & caſtigationis loco id [b] habet, & contra benedictionem interpreta-

a Neve Tiberius vim Principatus reſolveret, cuncta ad Senatum vocando, eam conditionem eſſe imperandi, ut non aliter ratio conſtet, quam ſi uni reddatur. Tac.lib.1. Annal.

b Propter peccata terræ multi Principes ejus. Prov.28. 2.

pretatur, si penes unum solum imperium *a* sit. Quod si Ministri Principem tam ignavum esse animadverterint, ut alios sinat regere, maximam sibimet auctoritatem arrogant. Augescit inter eos superbia & æmulatio. Quilibet è pallio Regio detrahit aliquid, adeoque penitus tandem in frusta distrahitur. Plebs confusa inter tot Dominos verum ac legitimum amplius non agnoscit, & gubernationem contemnere incipit: nihil enim recte geri existimat, nisi quod à Principis sui mente proficisci credit, unde & vi remedium parat. Exempla funesta ejus rei apud Historicos videre licet in amissione Regni, *b* & morte Garsiæ Galæciæ Regis, qui ne indicem quidem agere voluit, designando gubernationis motus; sed ad unum aliquem, quem præ aliis charum habebat, remittebat omnia, qui una cum Rege postea occisus fuit. Regem Sanctium Lusitanum Regno exutum legimus, quod in eo Regina potius, aliique famuli obscuro loco nati imperarent. Idem Regi Henrico IV. accidit, quia in negotiis curandis tam erat negligens: ut eorundem expeditiones à Ministris datas, manu sua subscriberet ante, quam eas legeret, aut sciret etiam, quid in iis contineretur. Incommodis omnibus sese Princeps objicit, qui sine examine, sine consideratione id solum exequitur, quod statuunt alii, in ipso enim tanquam in molli cera quilibet imprimit, quidquid desiderat. Ita factum Claudio Imperatori, *c* *cui non judicium, non odium erat, nisi indita, & jussa.* Ipsius Principis, non Ministrorum humeris Deus Principatum *d* imposuit; id quod haud obscure Sauli indicare voluit Samuel, quando uncto in Regem instruxit convivium, & de industria armum ex agno reliquum *e* porrexit. Attamen non velim Principem Cameli esse similem, qui cœce oneri se inclinat; sed opus est, ut humeros habeat oculatos, sicut animalia illa in visione Ezechielis; ut videant, & sciant, quid in se *f* suscipiant. Currum & aurigam Israëlis Eliam vocabat *g* Eliseus, quod onus gubernationis sustineret, ac regeret. Principis nomen haud meretur, quisquis per seipsum jubere nescit, aut contradicere; ut in Vitellio videre licuit, qui *h* *neque jubendi, neque vitandi potens, non jam Imperatori, sed tantum belli caussa erat.* Quam ob rem non solius indicis officium in regendo horologio obire debet Princeps, sed inquietis etiam, quæ mensuram mo-

a *Et suscitabo super eas Pastorem unum qui pascat eas.* Ezech. 34. 23.
b Mar. Hist. Hisp. cap. 8. l. 9.

c Tac. lib. 2. Annal.
d *Factus est Principatus super humerum ejus.* Isa. 9. 6.
e *Levavit autem cocus armum, & posuit ante Saul: dixitque Samuel, ecce quod remansit, pone ante te, & comede: quia de industria servatum est tibi, quando populum vocavi.* 1. Reg. 9. 24.
f *Et dorsa eorum plena erant oculis.* Ezech. 1. 18. sec. lxx.
g *Eliseus autem videbat, & clamabat: Pater mi, Pater mi, currus Israël, & auriga ejus.* 4. Reg. 2. 12.
h Tacit. lib. 1. histor.

ter præscribi debet ad Ministrum phlegmaticum, aliter ad cholericum: aliter ad timidiorem, aliter ad audaciorem. Vtrosque illi instruere debent, quomodo curanda negotia, & expedienda sint. Quid Secretaria aliud sunt, quam scholæ quædam, è quibus insignes Ministri prodeunt? Ex iis, quæ ipsi usu & experientia observant, omnes rectam gubernandi rationem edocere poterunt. Ibi notare oportet, quæ recte fiant, quæ secus. E quibus omnibus facile conficitur, quanti intersit ad utilitatem publicam, tales eligi Secretarios, qui optimis Naturæ donis instructi sint, Magni illi Dei Ministri aut Secretarii, quos Euangelistas dicimus in Apocalypsi adumbrantur per quatuor animalia alata, intus ac foris oculis *a* plena, & pennæ quidem velocitatem & executionem ingenii denotant: oculi exteriores, accuratam omnium notitiam: interiores, eorundem contemplationem: tam intenti operi, ut nec noctu, nec interdiu quietem *b* caperent: tam obligationi suæ invigilantes, ut Ezechiele teste, semper calamo, & chartæ *c* intenderent; conformes in omnibus, & uniti ipsi divinæ menti & spiritui, à quo nulla in re *d* discedebant.

Atque ut hæc Secretariorum electio recte possit institui, operæ pretium foret, certos quosdam, qui ad id viderentur idonei, primum exercere in variis ministeriis atque officiis; quod fieri poterit, si Princeps Legatis suis, aut majoribus Ministris eos adjungat Secretarios, qui ingenio valent rerum capaci, cum Latinæ linguæ peritia, eorumque probet industriam extra suum Regnum in variis officiis; postea vero ad aulæ secretaria eos evocet, ubi Ministros agant, seque perficiant, ut esse possint Secretarii Status, aliorumque consiliorum, ut Custodes item ærarii, Commissarii, quorum notitiæ & experientiæ plurimum conferunt ad bene gubernandum, & expedienda negotia. Atque ita evitabitur mala Secretariorum electio, qualis plerumque à Ministris fieri assolet, eorum opera utentibus, quos jam ante habebant, quique ordinarie minus ad id munus sunt idonei, eo quod eos fere eligere soleant, qui elegantius pingunt literas, non qui scientia præstant. Vnde fit, ut plus obsit Principi Minister aliquis bonus, qui imperitum habet Secretarium, quam Minister aliquis malus, cui bonus est Secretarius. Accedit illud etiam, quod si Secretarius ab ipso legatur Principe, à quo ulteriorem sperat fortunam, majori cum studio Ministri suis invigilabunt officiis, magisque attenti erunt ad munerum suorum obligationem, & bonam administrationem fortunarum Principis. Rex Alphonsus Sapiens cum probe

a *Singula eorum habebant alas senas: & in circuitu, & intus plena oculis.* Apoc. 4. 8.

b *Et requiem non habebant die ac nocte.* Apoc. 4. 8.

c *Facies eorum & pennæ eorum extentæ desuper.* Ezech. 1. 11.

d *Vbi erat impetus Spiritus, illuc gradiebantur.* Ezech. 1. 12.

le sciret, quantum in bono aliquo Secretario esset positum, dixit aliquando, *a que debe el Rey escoger tal ome para esto; que sea debuen linaje e aya buen seso natural: e sea bien razonado, e de buena manera e de buenas costumbres, e sepa leer, e escrivir, tambien en Latin, como en Romanze.* Non videtur Rex Alphonsus solum voluisse, ut Secretarius Latine norit scribere, sed loqui etiam: id enim apprime utile est ei, quem cum omni Nationum genere agere oportet. Et hoc præsertim tempore, postquam Monarchia Hispanica per Provincias, & Regna extera longius dilatata fuit, illud valde necessarium est, ob frequens literarum Latinarum commercium.

5. Verum nihil magis essentiale & proprium Secretario, quam Secretum, unde & nomen invenit, ut eo audito continuo obligationem suam sibi in memoriam reduceret. Lingua & calamus periculosa cordis instrumenta sunt, & per illa foras se prodit, aut levitate judicii, mysteriorum incapacis, aut ex inani aliqua gloria, dum nimirum Secretarii magnarum rerum quasi depositarii videri cupiunt, aut intelligentes, loquendo de illis, scribendove ad eos, qui Ministri non sunt. Atque adeo Secretarii munere fungi iste non poterit, qui tam modestus non fuerit, ut audire potius malit, quam loqui, eundem semper vultum præ se ferendo, siquidem & in hoc legi potest, quod curæ illius & expeditioni commissum fuerit.

a L.4. tt.9. p.2.

SYMBOLVM LVII.

HOrologii rotulæ tanto tamque occulto volvuntur silentio, ut nec videas eas, nec audias; & licet ab iisdem totum pendeat artificium, sibi tamen hoc minime attribuunt, sed motum suum accommodant indici, qui solus horas distinguit, & indicat, seseq; palam omnibus ostentat dimensi temporis auctorem & regulam. Talis concordia mutua, & consensio sit oportet inter Principem & eos, qui ipsi à consiliis sunt. Istos adhibere, perutile est: nam (ut recte dixit Rex Alphonsus Sapiens) b *el Emperador, y el Rey maguer sean grandes Señores, non puede fazer cada uno dellos mas, que un Ome.* & Status alicujus gubernatio multis indiget viris, at tam modestis, & ab omni arrogantia alienis, ut ex iis, quæ statuta fuerint, nihil suo tribuant consilio, sed solius Principis. Laboris socii sint, non potentiæ. Ministri, non Imperii cōsortes. Sciant Principem absq; iis imperare posse, se vero absque illo minime. Vbi Majestatem suam potentiamque exercere poterit sine opis alterius adminiculo, solo id agat. In Ægypto, ubi efficacior est caloris vis, cœlum animalia perfecta absque alterius concursu procreat. Si Princeps omnia cum aliis conferat, Consultator erit potius,

b L.12. tt.1. p.2.



tius, quam Princeps. Perit Principatus vis,* niſi rerum ſumma ad unum [a] revocetur. Monarchia à cæteris gubernandi rationibus in eo diſtinguitur, quod unus ſolus imperet, obediant alii, & ſi permiſerit Princeps, ut plures præcipiant, non Monarchia erit, ſed Ariſtocratia. Vbi imperant multi, nemo imperat. Spiritus ſanctus pœnæ & caſtigationis loco id [b] habet, & contra benedictionem interpreta-

a Neve Tiberius vim Principatus reſolveret, cuncta ad Senatum vocando, eam conditionem eſſe imperandi, ut non aliter ratio conſtet, quam ſi uni reddatur. Tac. lib. 1. Annal.

b Propter peccata terræ multi Principes ejus. Prov. 28, 2.

pretatur, si penes unum solum imperium *a* sit. Quod si Ministri Principem tam ignavum esse animadverterint, ut alios sinat regere, maximam sibimet auctoritatem arrogant. Augescit inter eos superbia & æmulatio. Quilibet è pallio Regio detrahit aliquid, adeoque penitus tandem in frusta distrahitur. Plebs confusa inter tot Dominos verum ac legitimum amplius non agnoscit, & gubernationem contemnere incipit: nihil enim recte geri existimat, nisi quod à Principis sui mente proficisci credit, unde & vi remedium parat. Exempla funesta ejus rei apud Historicos videre licet in amissione Regni, *b* & morte Garsiæ Galæciæ Regis, qui ne indicem quidem agere voluit, designando gubernationis motus; sed ad unum aliquem, quem præ aliis charum habebat, remittebat omnia, qui una cum Rege postea occisus fuit. Regem Sanctium Lusitanum Regno exutum legimus, quod in eo Regina potius, aliique famuli obscuro loco nati imperarent. Idem Regi Henrico IV. accidit, quia in negotiis curandis tam erat negligens: ut eorundem expeditiones à Ministris datas, manu sua subscriberet ante, quam eas legeret, aut sciret etiam, quid in iis contineretur. Incommodis omnibus sese Princeps objicit, qui sine examine, sine consideratione id solum exequitur, quod statuunt alii, in ipso enim tanquam in molli cera quilibet imprimit, quidquid desiderat. Ita factum Claudio Imperatori, *c* *cui non judicium, non odium erat, nisi indita, & jussa.* Ipsius Principis, non Ministrorum humeris Deus Principatum *d* imposuit; id quod haud obscure Sauli indicare voluit Samuel, quando uncto in Regem instruxit convivium, & de industria armum ex agno reliquum *e* porrexit. Attamen non velim Principem Cameli esse similem, qui cœce oneri se inclinat; sed opus est, ut humeros habeat oculatos, sicut animalia illa in visione Ezechielis; ut videant, & sciant, quid in se *f* suscipiant. Currum & aurigam Israëlis Eliam vocabat *g* Eliseus, quod onus gubernationis sustineret, ac regeret. Principis nomen haud meretur, quisquis per seipsum jubere nescit, aut contradicere; ut in Vitellio videre licuit, qui *h* *neque jubendi, neque vitandi potens, non jam Imperatori, sed tantum belli caussa erat.* Quam ob rem non solius indicis officium in regendo horologio obire debet Princeps, sed inquietis etiam, quæ mensuram modum-

a *Et suscitabo super eas Pastorem unum qui pascat eas.* Ezech. 34. 23.

b Mar. Hist. Hisp. cap. 8. l. 9.

c Tac. lib. 2. Annal.

d *Factus est Principatus super humerum ejus.* Isa. 9. 6.

e *Levavit autem cocus armum, & posuit ante Saul: dixitque Samuel, ecce quod remansit, pone ante te, & comede: quia de industria servatum est tibi, quando populum vocavi.* 1. Reg. 9. 24.

f *Et dorsa eorum plena erant oculis.* Ezech. 1. 18. sec. lxx.

g *Eliseus autem videbat, & clamabat: Pater mi, Pater mi, currus Israël, & auriga ejus.* 4. Reg. 2. 12.

h Tacit. lib. 1. histor.

dumque dat rotularum motui, ab illo siquidem totum negotiorum dependet artificium.

Neque tamen illud nunc contendo, ut *Princeps Prætoris*, Consiliarii, aut Præsidis *partes sustineat* a: *majus aliquid & excelsius* ab eo *postulatur*. Si ad omnia attendere vellet animum, pro rebus majoris momenti tempus illi non suppeteret. *I asi debe haver* (verba sunt Alphonsi Regis) *Omes sabidores, e entendidos, y leales y verdaderos; que le ayuden, e le sirvan de fecho en aquellas cosas, que son menester para su Consejo, e para fazer justicia e derecho a la gente; ca el solo no podria ver, nin librar todas las cosas, porque ha menester por fuerza ayuda de otros, en quien se fie* b. Ipsius est Ministris uti, velut gubernandi instrumentis, eosque operari sinere; sic tamen ut attendat ad ea, quæ agunt, cum directione aliqua superiore magis minusve immediata, aut assistente, prout negotiorum ratio postulaverit. Quæ Ministrorum sunt propria, ipsi Ministri peragant. Quæ ad Principis pertinent officium, de iis solus Princeps statuat. Ea de caussa Tiberius c *Senatum per literas castigabat, quod cuncta curarum ad se rejicerent*. Curæ Principis graviores turbari non debent consultationibus levioribus, si absque Majestatis læsione à Ministro eæ decidi possint. Quapropter d *Sanguinius Maximus è Consularibus oravit Senatum, ne curas Imperatoris, conquisitis insuper acerbitatibus augerent: sufficere ipsum statuendis remediis*. Quod si Princeps semel Ministro alicui, ejus prudentiæ & fidei confisus, negotium aliquod commiserit, totum eidem postea derelinquat. Postquam Deus Adamum totius terræ Dominum constituisset, adduxit ad eum universa animantia, & volatilia cæli; ut nomina iis imponeret, nec Deus id sibi reservari e voluit. Pari ratione aliis relinquere debet Princeps curas, & labores ordinarios: caput enim officiis manuum, aut pedum minime sese occupat, neque navarchus vilioribus se impendit ministeriis, sed in puppi sedens navim gubernat quieta manus agitatione, qua plus efficit, quam omnes alii.

5. Quod si Princeps ob ætatem aut teneram, aut ingravescentem, aut naturam alias ad gubernandum minus idoneam negotiorum directioni intendere nequeat, alium adjutorem asciscat: minus enim est incommodi, alterius uti opera, quam per seipsum errare in omnibus. Primi anni Imperii Neronis felices fuere, quod viros bonos adhiberet in consilium; postea vero cum solus peragere negotia voluit, semetipsum perdidit. Rex Philippus Secundus, cum videret ob senectam, aliasque corporis imbecillitates se ad Imperium minus habilem reddi, fidis

a Tac. lib. 3. Annal.
b L. 3. tt. 1. p. 2.
c Tacit. l. 6. Annal. d Ibid.

e *Formatis de humo cunctis animantibus terræ, & universis volatilibus cæli; adduxit ea ad Adam, ut videret, quid vocaret ea*. Gen. 2. 19.

fidis quibusdam, expertisque Ministris usus fuit.

Verum tum etiam, cum necessitas ea fuerit; non decet Principem omnem omnino negotiorum curam deponere, quantumvis intelligentes sint Ministri & fidi: corpus enim politicum naturis est simile, quibus, si calor animæ nativus defuerit, nulla sufficiunt remedia, nullæ industriæ ad conservandas illas, & sustentandas, ne intereant. Anima Reipublicæ suæ Princeps est, quare ut illa vivat, necesse est, ut hic membris suis, & organis aliquo modo præsto sit. Si omnino non possit, illud curet saltem, ut ipsemet videatur audire omnia, & oculis cernere, tanta solertia, ut ipsius dispositioni & judicio tribuantur. Præsentia Principis, etsi nihil agat, aut alio intendat, cautos tamen & sollicitos reddit Ministros. Vel nosse duntaxat, omnes consultationes ad ejus pervenire manus, auctoritatem iis tribuit, licet nec mutet eas, nec videat. Quid erit igitur, si interdum suismet lustrarit oculis, aut instructus secreto correxerit, & castigarit Ministrorum suorum errores, iisque metum injecerit. Si vel semel id fiat, semper erunt solliciti: persuadebunt enim sibi, eum videre omnia, aut certe solere inspicere. Consultent porro in Consiliis de negotiis, & viris bene de Republica meritis, quos ad munia publica & dignitates evehant; verum ad ipsum Principem omnia perveniant oportet, ipsius manus sit, quæ decisiones & gratias denotet, neque facile permittat, ut tanquam in Solari horologio umbræ ipsius (per has, Ministros & Principi familiariores intelligo) eas indicent, & primum in apertum proferant, adeoque sibi asscribi faciant: nam si in hoc existimatio defuerit, negotiorum peribit auctoritas, beneficia suam perdent gratiam, & Princeps contemptui erit, cui ea in acceptis referri oportebat. *a* Ob hanc caussam *inclinatio Senatus*, qua in M. Hortalum propendebat, *incitamentum Tiberio fuit, quo promptius adversaretur, vehementerque increpuit b* Iunium Gallionem præmia Prætorianis militibus proponentem, *velut coram rogitans, quid illi cum militibus, quos neque dicta Imperatoris, neque præmia, nisi ab Imperatore accipere par esset.* Princeps non ideo in veneratione est, quod Princeps sit, sed quia ut Princeps mandat, castigat, remunerat. Si quid statuendum acerbius, si quæ pœnalis ferenda sententia, per Ministrorum manus id fiat; suam vero quantum fieri potest, Princeps celet. Illi populi indignationem, rigoris ac pœnæ odium sustineant, non *c* iste. De Iove antiqui dicere solebant, quod benignos solum vibraret radios, qui absque cujusquam offensione mirarentur, ejusque potentiam ostenderent, alios vero per Deorū consiliū. Ministri

P 6

a Tacit. lib. 2. Annal.
b Idem l. 6. Annal.
c *Et honores ipse per se tribuere, pœnas autem per alios Magistratus, & judices irrogare,* Arist. lib. 5. Pol. cap. 11.

ſtri ſeveri habeantur & duri; Princeps benignus & clemens audiat. Illorum eſt accuſare, & condemnare; Principis abſolvere, & veniam concedere. Emanuel Luſitaniæ Rex gratias agebat cuidam, quod argumenta quædam reperiſſet, quibus reum capitis morti poſſet eripere. Alius item Luſitaniæ Rex Ioannes Tertius quæſtioni cuidam criminali præſens aderat, cumque ſententiis rogatis, paria eſſent tum abſolventium, tum condemnantium ſuffragia, ſolumque ipſius exſpectaretur, fertur reſpondiſſe; *Quod hunc morti adjudicaveritis, juſtiſſime factum arbitror, cuperemque alii omnes in eandem ivissent ſententiam. Ego tamen abſolvendum eum cenſeo, nequis dicat, Regis ſuffragio ſubditum capite damnatum eſſe.* Ad ſubditos conſervandos Princeps creatus eſt, & niſi illius cauſſa fiat, vitam eripere nemini debet.

5. Horologii index ad rotularum artificium nihil confert, ſed eas operari ſinit, & motus ſolum earumdem denotat. Ita Carolo Quinto Imperatori videbatur agendum eſſe Principi cum ſuis Conſiliariis, ut iis nimirum conſultationes relinqueret, neque his facile ſe coram ingereret. Quod documentum etiam filio ſuo dedit Philippo Secundo: præſentia enim libertatem impedit, & anſam dare ſolet adulationi. Et tametſi in majoris momenti negotiis præſentia Principis perquam utilis videatur, eo quod non æque animum inſtruant conſultationes lectæ, ac coram habitæ; in quibus plurima addiſcet, & negociis incipiet affici; perſpectis naturis & finibus eorum, qui ipſi à conſiliis ſunt. Verum in declaranda ſua mente admodum cautum oportet eſſe Principem, ne fors eandem adulatio ſequatur, aut veneratio, aut metus. Quæ cauſſa fuit, cur Piſo accuſato Marcello, quod ſublato capite ſtatuæ Auguſti, ſuam erexiſſet, ſententiam rogatus Tiberio diceret: a *quo loco cenſebis Cæſar? ſi primus, habeo quod ſequar: ſi poſt omnes, vereor, ne imprudens diſſentiam*: Quamobrem laudatum etiam fuit ejuſdem Imperatoris decretum, quo b *exemit Druſum* filium ſuum *Conſulem deſignatum dicendæ primo loco ſententia, ne cæteris adſentiendi neceſſitas fieret*. Ingens iſtud periculum eſt, ſed nec minus commodi ex eo, ſi Princeps nec ante, nec poſt in conſultationibus ſuum aperiat animum: ita enim majori cum ſecreto conſilium illud ſuo tempore exequi poterit, quod videbitur optimum. Henricus Luſitaniæ Rex tanta cum prudentia negotia proponebat in Conſilio, ut neque è verbis, neque ex ipſo vultu agnoſci poſſet, quo animus ejus inclinaret. Vnde & nata conſuetudo, quod Præſides & vice-Reges in Conſiliis ſuffragia non ferant, quæ antiquiſſima eſt, Ætolis quondam uſitata.

At enimvero in caſu, quo Princeps approbationem potius cuperet, quam conſilium,

a Tacit. lib. 1. Annal.
b Idem lib. 3. Annal.

lium, poterit ante animum prodere, & suam manifestare opinionem; semper enim videbit, multorum postea in eandem conspirare suffragia, aut quia placere cupiunt, aut quia facile ejus sequimur nutum, qui imperat.

§. In belli negotiis, tum præsertim, cum Princeps illo tenetur implicatus ob rationes jam dictas, valde expedit ipsum consultationibus præsentem interesse, ut hac suâ præsentia firmet, atque illico, quæ sapienter statuta fuerint, possit exequi; neve interim forte, dum de illis ad ipsum refertur, è manibus elabatur occasio. Illud tamen Principem scire velim, multos esse Consiliarios, qui coram Principe fortes videri cupiunt, magisque animosi, quam prudentes; atque adeo temeraria interdum suggerunt consilia, licet ordinarie ipsi ea non soleant exequi, immo vel maxime præ aliis periculum fugiant. Exemplum in iis fuit, qui Vitellio auctores fuerant, ut arma susciperet, a *sed quod in ejusmodi rebus accidit, Consilium ab omnibus datum est, periculum pauci sumpsere.*

§. Quæstio frequens est inter Politicos, deceatne Principem in ipsis præsidere tribunalibus ad justitiam exercendam. Et sane gravis nimirum videtur occupatio, qua tempus perderetur necessariũ pro negotiis politicis, & administranda Republica, quamvis Tiberius b *nec Patrum* in Senatu *cognitionibus satiatus, judiciis adsidebat in foro tribunalis.* Rex Ferdinandus Sanctus coram in judiciis præsens aderat, audiebat, & defendebat pauperes, & imbecilliores adversum potentiores tutabatur. Rex Alphonsus Sapiens instituit, ut Rex ipse viduarum & orphanorum caussas judicandas sibi sumeret, *porque maguer el Rey es tenudo de guardar todos los de su tierra, señaladamente lo debe fazer à estos, porque son asi, como desemparados, e mas sin consejo, que los otros.* Salomoni insignem peperit auctoritatem magnum ejus judicium, quo caussas c decidebat; & Israëlitæ Regem postulabant, qui sicut apud alias Nationes receptum erat, jus iis d diceret. Sola Principis præsentia bonos efficit e Iudices, & sola ejusdem potestas infirmiores tueri f potest. Præcipua caussa, cur Deus Davidem in Regem elegerit, illa fuit, quod qui oviculas suas dentibus ac unguibus Leonis eripuisset, optime nosset pauperes adversum g potentiores defendere. Tam grata & accepta Deo est ista cura, ut propter eam solam adpromiserit Principi, deleturum se reliqua ejus

P 7 pec-

a Tacit. l. 3. Annal.

b Idem lib. 1. Annal.

c *Audivit itaque omnis Israël judicium quod judicasset Rex: & timuerunt Regem, videntes sapientiam Dei esse in eo ad faciendum judicium.* 3. Reg. 3. 28.

d *Constitue nobis Regem, ut judicet nos, sicut & universæ habent Nationes.* 1. Reg. 8. 5.

e *Rex, qui sedet in solio judicii dissipat omne malum intuitu suo.* Prov. 20. 8.

f *Tibi derelictus est pauper: orphano tu eris adjutor.* Psal. 9. 14.

g *Persequebar eos, & percutiebam, eruebamque de ore eorum.* 1. Reg. 17. 34.

peccata, & usque ad candorem nivis eum [a] emundaturum. Quare diffiteri non possum, hanc præcipuã esse partem muneris Regii, cui tamen satisfieri puto, si bonos Iustitiæ Ministros eligat, attendatque deinde sedulo, quomodo munus suum isti impleant; cæterum sufficiet, quod subinde in caussis gravioribus (graviores autem voco, quæ à potentia possunt optimi) suffragiis ferendis ipse intersit, aut certe, ut Iudices semper in metu sint, ne forte ex occulto aliquo tribunalis loco singulorum dicta & sententias observet. In eum finem Iudices omnes Madriti versantur in Palatio Regio, & in aulis, ubi judicia exercentur; fenestræ sunt, per quas sua Majestas secreto solet attendere: perinde ut apud Magnum Turcarum Imperatorem in certo loco judiciis deputato (quem ipsi *Divan* vocant) fieri assolet, ubi Iudices de negotiis conferunt, quoties ita videtur ab ipso audiri possunt per fenestram quandam holoserico rubro coopertam.

§. Atque harmonia ista horologii, & concordia mutua rotularum cum indice exteriore, qui horas designat, haud obscure elucet etiam in regimine Monarchiæ Hispanicæ tam bene instituto, ut Regna & Provincias, quas Natura late sejunxit, Prudentia inter se uniat. Omnes peculiare Consilium Madriti habent: ibi siquidem est Consilium Regni Castellæ, Aragoniæ, Lusitaniæ, Italicum, Belgicum, & Indiarum, quibus unus aliquis præsidet. In iis in deliberationem veniunt negotia omnia seu justitiæ, seu gratiæ, quæ ad unumquodque Regnum, seu Provinciam pertinent Atque istæ consultationes ad ipsum Regem perveniunt, qui illud tandem statuit, quod maxime expedire judicaverit, ea ratione, ut consilia veluti rotæ sint, sua Majestas vero index: aut illa sint nervi optici, per quos visuales species transmittuntur ad cerebrum; Rex vero instar sensus communis, qui illas discernit ac percipit, ferendo de iis judicium. Rebus igitur Monarchiæ sic constitutis, & suæ Majestati præsentibus, tanta cum prudentia & quiete curantur singulæ, ut ab annis centum & amplius, à quo altius illa cœpit assurgere, vix ullus aliquis gravis error in ea acciderit, quod tamen in corpore tam vasto, cujus partes tam dissitæ sunt inter se, proclive est fieri. Magis unita fuit Romanorum Monarchia, & pæne quotidie graves in ea motus ac tumultus oriebantur: evidens sane argumentum, hanc nostram fundamentis suis longe illi præstare, & à Viris fidei magis probatæ, majoris item judicii ac prudentiæ gubernari.

§. Quamobrem cum summa rerum ad Principem tandem derivanda sit, decet omnino, ut non amore solum, sed œconomia etiam Reipublicæ

[a] *Quærite judicium, subvenite oppresso, judicate pupillo, defendite viduam. Et venite, & arguite me, dicit Dominus: si fuerint peccata vestra ut coccinum, quasi nix dealbabuntur.* Isa. 1. 17.

blicæ Pater sit, neque satis esse ducat, si Consiliarios habeat, & Ministros, qui rerum satagunt; sed secretam prætereà earundem notitiam sibi comparet, qua se in omnibus dirigat: uti mercatores certo aliquo, & secreto libro, in quo commercia & negotiationes suas adnotant. Ejusmodi librum Augustus Imperator habebat, in quo a *opes publica continebantur, quantum civium, sociorumque in armis, quot classes, Regna, Provinciæ, tributa, & necessitates, ac largitiones, quæ cuncta sua manu perscripserat.* Memoria experientiarum quasi quoddam depositum est, sed caducum & fragile, nisi à calamo juvetur qui illas in charta perennare faciat. Plurimum addiscet, quisquis ea, quæ recte facta fuerint, quæ secus, memoriæ juvandæ caussa, in libellum retulerit. Quam diligentiam si adhibere neglexerit Serenitas Vestra, ad solium regium aliquando evecta, putaveritque nequaquam debere Majestatem regiam eo usque sese demittere, sed sufficere, si sola sua præsentia, non autem tanta animi attentione Regnum moderetur, Ministrorum arbitrio illud permittendo, facile equidem mihi persuadeo de optima constitutione, & ordine Monarchiæ hujus in consiliis suis, & Tribunalibus fore, ut Serenitas Vestra absque graviori aliquo periculo dominationis suæ stadium decursura sit; verum tamen nihil erit aliud, quam index solum horologii, alienis rotulis agitatus, neque quicquam in ejus gubernatione elucebit eximium, & gloriosum, quemadmodum futurum esset, si (quod spero) Serenitas Vestra Augustum imitata, in certo aliquo libro, illas ipsas res adnotari fecerit quotannis, in quolibet Regno separatim, adjectis etiam munitioribus locis, quæ à militari præsidio custodiuntur: quos item Viros insignes habeat, tam pro pacis, quam belli muneribus, eorum qualitates, dotes, obsequia, aliaque similia; notando insuper memoriæ caussa negotia majoris momenti, quem ea eventum sortita fuerint, quid actum in iis bene, quid erratum, & plura talia usu observata, quæ ad rite gubernandum possunt conducere. Ab hac cura & attentione proficiscitur insignis illa gubernationis harmonia in Societate Iesu, quam tantopere omnes admirantur, siquidem ad Ordinis totius Generalem tertio quoque anno particulares fiunt relationes de rebus omnibus, aut præcipuis certe, quæ acciderunt, una cum secretis personarum Catalogis; quia vero illæ sensim & cum tempore naturam, moresque mutant, quolibet triennio illi innovantur, præterquam quod annis singulis ad eundem præscribantur informationes quædam, non tam generales, sed de iis solum rebus, quas ipsum scire magis necessarium fuerit: quo fit, ut electiones plerumque bene eveniant, personarum capacitatem officiis aptando, non contra. Quod si Principes ejusmodi

a Tacit. l. 1. Annal.

di notas rerum personarumque haberent, non fallerentur toties in relationibus, consultationibusque: melius regnandi artem condiscerent, ne in omnibus à Ministris dependere foret opus: majori cura ac sollicitudine hi servirent Principi, quippe qui scirent, omnia ad illius pervenire notitiam, & ab eo adnotari, adeoque nunquam committerentur tam graves defectus, ut nunc fieri videmus, dum tempori non curantur, quæ ad bellum, aut pacem sunt necessaria: Virtus denique metu ejusmodi catalogorum incrementum caperet, & vitia decrescerent. Nec ullam confusionem parient summariæ illæ relationes, præsertim si aliæ fiant manu ipsiusmet Principis, aliæ per Ministros, qui principalia obeunt munera; aut Viros alios intelligentes, quibus tuto credi potest, quod sincere & accurate illas facturi sint. Quare si, ut Cicero dixit, a *Senatori necessarium est nosse Rempublicam, quid habeat militum, quid valeat ærario, quos socios illa habeat, quos amicos, quos stipendiarios, qua quisque sit lege, conditione, fœdere, &c.* Senatori, inquam, qui non nisi exigua gubernationis pars est, quanto magis ista necessaria erunt Principi, cujus est ad universale bonum attendere? & si Philippus Macedoniæ Rex bis quotidie prælegi sibi voluit articulos fœderis cum Romanis initi: cur dedignabitur Princeps in uno aliquo libro inspicere totum imperii sui corpus redactum in compendium, contemplando nimirum in illo, velut in tabula quadam geographica, omnes ac singulas partes, quibus illud constat?

a Cicero.

SYMBOLUM LVIII.

E Præcipuis regnandi instrumentis honor, qui nisi ab honesto esset & laudabili, inventum politicum crederem. Firmamentum Imperiorum est. Nemo quisquam absque eo se suaque diu conservare poterit. Si is deesset Principi, deficeret virtutum custodia, famæ stimulus, & vinculum, quo amorem venerationemque sibi conciliat: b *Velle pecuniis excellere, tyrannicum est; honoribus vero, magis regium.* Nec minus subditis honor utilis est, quam ipsi Principi, nam sine eo nullæ sufficerent leges ad coërcendum populum, cum plerique comparati sic simus, ut non minus infamiæ metus, ac pœnæ nos in officio contineat. Mox rueret ordo Reipublicæ, nisi in existimatione essent obedientia, fidelitas, integritas, & fides publica. Cupiditas gloriæ legum auctoritatem nutrit ac fovet, & ut illa potiatur, labori se dat, & virtutibus. Nec periculum levius illi imminet Reipublicæ, in qua subesse omnes cupiunt, quam ei, in qua nemo non imperare desiderat. Regnum nimis abjectum & humile vi cedit, & obligationis suæ, qua Domi-

b Arist. lib. 5. Polit. c. 10.



Domino legitimo obſtrictum eſt, facile obliviſcitur. Illud vero, quod altioris eſt animi, quodque honorem in pretio habet, labores & pericula, immo ſuammet ipſius ruinam vilipendit, ut in obedientia & fide permaneat. Quæ bella, quas calamitates, quæ incendia expertus non eſt Burgundiæ Comitatus, ut ſuam erga Regem Catholicum obedientiam ac fidem tueretur? nec tyrannis & barbara hoſtium crudelitas, nec infecta elementa, tametſi omnia adverſus illam viderentur conſpiraſſe, ejus conſtantiam frangere potuere. Fortunæ, Patria, & vita fidelibus illis ſubditis eripi potuerunt, generoſa fidelitas, & ſincerus in Dominum

minum legitimum amor adimi nunquam potuit.

5. Adversus mala intestina illud solet esse remedium, ut honor omnis & existimatio quam longissime arceatur à populo; qua Politica Chinenses utuntur, quibus nullum nisi ab intimis visceribus periculum. Verum in aliis Regnis, quæ invasionibus sunt exposita, existimatio & gloria subditorum omnino sunt necessaria, ut hostibus sese objicere audeant: ubi enim honor non est, nec animi fortitudo esse potest. Non magnus est Princeps, qui animis magnis non imperat, & generosis, nec absque iis timeri se unquam faciet, aut dominii sui fines dilatabit. Æstimatio gloriæ, quæ in subditis est, eosdem stimulat, ut & Principis honorem procurent: ex hujus enim amplitudine etiam illorum gloria dependet. Vnica inanis honoris umbra in laboribus constantes, & fortes eos in periculis efficit. Qui thesauri sufficerent ad compensandum fortunas, quas prodigunt subditi, sanguinem, quem profundunt pro tuenda voluntate & arbitrio suorum Principum, nisi introducta fuisset moneta illa honoris publica, qua quisque in sua opinione sibi ipse satisfacit? Optimum fortunarum actionumque heroicarum pretium est, quod Principes reperire potuerunt, adeoque honoris æstimationem integram, quoad fieri potest, si non ob Majestatem suam propriam, at certe propter emolumentum ingens, quod illa secum affert, conservari debent inter subditos, dissimulando penitus, aut leviter saltem castigando delicta illa, quæ tuendi honoris caussa committuntur, & contra præmiis & testimoniis publicis actiones fortes, & generosas confovendo. Illud tamen advertant, admodum in subditis perniciosam esse inanem illam existimationem & gloriam, quæ sola hominum opinione, non solida virtute nititur: ex illa enim contentiones de prærogativa inter Ministros nasci solent cum jactura boni publici, & obsequii Principis, duella, injuriæ & homicidia; ex his vero motus intestini, & seditiones. Nec cum illa stare potest obedientia, sed interdum Principis sanguine sese coinquinat: nam si semel subditus opinione sua propria, aut communi rumore persuasus, Tyrannum eum judicet, & morte dignum, facile eam machinabitur, ut sese pro patria offerat, & nomen suum posteritati *a* consecret. Oportet ergo ut Princeps istam gloriæ superstitionem corrigat in subditis, ad veram & solidam eos incitando.

Nec indignum se Majestas reputet, si subditos honoret, & exteros: honor enim iste Principum honori non magis derogat, quam flammæ facis officiat, si se communicet aliis, easque incendat. Ob quã caussam Ennius pietatem illius, qui erranti viam commonstrat, flammę comparavit. a *Homo*,

a Itaque Monarchas, non ut sibi vendicent Monarchiam, invadunt; sed ut famam & gloriam adipiscantur. Arist. l. 5. Polit. c. 10.

a *Homo, qui erranti comiter monstrat viam,*
Quasi lumen de suo lumine accendat, facit,
Nihilominus ipsi lucet, cum illi accenderit.

E qua comparatione illud Ciceronis manavit consilium, b *ut quicquid sine detrimento accomodari possit, id tribuatur, vel ignoto.* Ex utraque hac sententia præsens Emblema desumptum est, fax incensa candelabro imposita, symbolum Divinitatis, & supremi Magistratus insigne, à qua lucem flammamque hauriunt aliæ, ad significandum, quam sine detrimento flammæ honoris sui, eundem Principes inter bene meritos dispertiant. Mutuatitium honorem habet, non proprium, quisquis eo destitui metuit, si honorem aliis habeat. Fontes scaturientes aquas affatim suppeditant, nec unquam deest, quod largiantur. Inexhausta est honoris dos in Principibus, quantumvis liberales ii sint: omnes enim eos venerantur ut depositarios solum, qui honores, quos accipiunt, in alios dispertiri debent; non secus ac terra vaporibus suis aërem refrigerat, qui eos deinde convertit in rorem, qui terram vicissim foveat. Atque hoc mutuum honoris subsidium Principem inter & subditos etiam agnovit Rex Alphonsus sapiens, cum dixit c *que honrando al Rey, honram a si mismos, e á la tierra, donde son, e fazen le altad conoscida: porque deben aver bien, e honra del.* Ubi honor ille reciprocus est, ibi pax efflorescit ac bellum, & firmatur dominatio. Nec ulla in re magis suam Majestatem ostendit Princeps, quam honorando. Quanto Naturæ corpora præstantiora sunt, tanto profusius virtutes ac dona sua impertiunt aliis. Fortunas largiri, humanæ liberalitatis dos est; honores dare, Dei proprium, eorumque qui ad Deum accedunt propius. In his generosis principiis ac regulis maxime instructam velim Serenitatem Vestram, atque ut singulari studio Nobilitatem veneretur, præcipuam Monarchiæ columnam.

d *Os Cavalleiros tende em muita estima,*
Pois com seu sangue intrepido, & fervente
Estenden não somente à ley de cima,
Mas inda vosso imperio preeminente.

Audiat Serenitas vestra ea de re gloriosum Antecessorem Regem Alphonsum Sapientem, qui Successores suos optimis monitis instruens, sic loquitur: e *Otrosi deben amar e honrar à los ricos Omes: porque son nobleza, e honrar de sus Cortes, e de sus Reinos, e a mar, e honrar deben los Caballeros, porque son guarda, e amparamiento de la tierra. Ca non se deben recelar de recibir muerte per guardarla, e acrescentarla.*

5. Obsequia sine præmio languescunt, cum ipso vigent & regnum efficiunt gloriosum: nam sub ingrato Rege nil magnum geritur, nec ulla heroica exempla transmittuntur ad posteros. f Vix ullum aliud egregium facinus effecere tres

a Ennius. b Cic. c l. 17. tt. 13.

d Cam. Lus. can. 10.
e l. 17. tt. 13. p. 2. f 22. Reg. 13.

tres illi fortissimi milites, qui per medios hostium cuneos aquam de cisterna attulerant, eo quod David eos remuneratus non fuerit. Princeps, qui familiæ alicujus honorat merita, vinculo perpetuo eam sibi obstringit, & jus quoddam ad illius obsequia adipiscitur. Nec minus ad agendum fortiter Viros nobiles impellunt ea, quæ à Majoribus eorum gesta fuere; uti & honores, quos acceperunt à Regibus, quam ii, quos adhuc sperant. Atque isthæc consideratio movit Serenitatis Vestræ Antecessores, ut præstantiora quædam illustriorum familiarum Hispaniæ obsequia æternis honoribus voluerint prosequi. *a* Sic Rex Ioannes Secundus remuneratus est ea, quæ Comites Ribadei præstiterant, quibus ideo perpetua lege dabatur ad mensam Regis accumbere, vestisque qua Reges die Epiphaniæ Domini sacro uterentur; *b* Eundem honorem Rex Catholicus Marchionibus Gaditanis habuit, jussitque eos donari veste, qua vestirentur Reges sexto Idus Septembris, Virginis Matris natali die. Marchionibus item de Moya, quibus dari præcepit craterem, è quo S. Luciæ festo Reges biberent. Comitibus denique Rocensibus ex familia de Vera, quibus permissum, ut quotquot ex illo sanguine descenderent, quotannis homines triginta à tributis possent immunes reddere; cumque ipse Rex Ferdinandus Galliarum *c* Regem Savonæ conveniret, magnum Ducem Gonsalvum cœnæ adhibuit; ad cujus etiam domum divertit, cum Neapolim aliquando ingrederetur. Quid igitur mirum, si unum aliquod Regnum atque adeo universa Hispania armorum suorum felicitatem, & gloriam illi debebat, de quo dici merito poterat, quod dixit Tacitus de alio quodam forti ac strenuo Duce: *d* *Illo in corpore decus omne Cheruscorum, illius consiliis gesta, quæ prospere ceciderint, testabatur* Maroboduus. Fortitudo, & prudentia unius solius Ministri fundamentum esse solet, & exaltatio alicujus Monarchiæ. Ea quæ in America assurrexit, Hermanno Cortesio, & Pizarris debetur. Fortitudo & industria singularis Marchionis Aytonæ, mortua serenissima Infante Isabella, Status Belgicos quietos tenuit. Instrumenta præcipua conservati apud Austriacos Imperii, uti & securitatis, qua Italia diu fruita est: fuere præsentes aliqui Ministri, quorum maxima præmia stimuli instar erunt; & scintillæ ad excitandam gloriosam æmulationem in aliis. Paucorum remuneratione multa alia mercari licet obsequia. Generosa usura est, qua ditescunt Principes, augent Status suos, & securos reddunt. Floret Imperium Otomannicum, quod fortitudinem decoret præmiis, & altius evehat, in quocumque illa emicuerit.

Fa-

a Mar. Hist. Hisp. lib. 21. cap. 6.
b Idem lib. 25. cap. 4.
c ibidem lib. 29. cap. 9.
d Tac. lib. 3. Annal.

Fabrica Monarchiæ Hispanicæ ad tantum pervenit fastigium, quia Rex Ferdinandus Catholicus, ac post eum Carolus Quintus, & Rex Philippus Secundus aptare formareque noverant lapides ad illius amplitudinem magis idoneos. Queruntur de hoc nostro sæculo Principes, sterile illud esse istiusmodi Virorum, nec advertunt tamen, id ideo fieri, quia ipsi aut eos non quærunt, aut si reperiant, honoribus atque officiis illustriores non reddunt; sed eos solum ad gradus altiores evehunt, qui circum ipsos versantur, aut vivunt, qua in re plus casus potest quam electio. Semper natura insignes aliquos Heroës procreat, non iis tamē semper utuntur Principes. Quot præstantia ingenia, quot generosiores animi nascuntur moriunturque obscuri & incogniti, qui si adhibiti fuissent ad munera, toti orbi fuissent admirationi. Ossatus in Sacellanatu Ecclesiæ S. Ludovici, quæ Romæ est, vitam clausisset inglorius, neque tam eximia Regno Franciæ præstitisset obsequia, nisi Rex Henricus Quartus magnæ illius indolis probe conscius, eum Cardinalitia dignum purpura proposuisset summo Pontifici. Si præstanti ingenio Virum Princeps inter vulgus sinat delitescere, vivet morieturque obscurus tanquā è plebe aliquis, nec quicquam magnum efficiet. Christus a una cum tribus Discipulis in montem Thabor conscenderat, relictis cum turba aliis, & ecce vel à solo illo speciali Domini favore exclusi, experti fuere fidem suam sic intepuisse, ut energumenum quendam curare nullo modo b possent. Non crescunt neque florent ingenia, nisi favor ea excolat, aut irriget. Ille igitur Princeps, qui honorum sparserit semina, magnos insignesque Ministros colliget: at tempori eos seminare oportet, atque ad occasionem paratos habere, & in promptu: in illa enim difficulter reperiri possunt. Qua de re minus solent esse solliciti Principes, dum in pace & tranquillitate ætatem degunt, existimando nimirum, operam illorum nequaquam sibi fore necessariam.

5. Nec solos Nobiles & Ministros insigniores honorare debent Principes, sed alios etiam subditos: id quod in legibus suis prudenter monuit Rex Alphonsus Sapiens, cum dixit: c *E aun deben honrar à los Maestros de los grandes saberes Ca por ellos se fazen muchos de Omes buenos, e por cuyo consejo se mantienen, e se enderezan muchas vegadas los Reynos, e los grandes Señores. Ca asi, como dixeron los Sabios antiguos, la Sabiduria de los derechos es otra manera de Cavalleria, con que se quebrantan los atrevimientos, e se enderezan los tuertos. E aun deben amar, e honrar à los Ciudadanos, porque ellos son como thesoreros,*

a *Nam Domino in monte demorante, & ipsis cum turbis residentibus quidam tepor eorum fidem retardaverat,* Hilar. cap. 1. sup. Matth.

b *Obtuli eum* Discipulis *& non potuerunt curare eum.* Matt. 17. 15.

c Leg. 3. tit. 30. p. 2.

vos; e raiz de los Reinos. E eso mismo deben fazer à los Mercaderes, que traen de otras partes à sus Señorios las cosas, que son y menester. E amar, e amparar deben otrosi à los Menestrales, y à los Labradores, porque de sus menesteres, e de sus labranzas se ayudan, e se goviernan los Reyes, e todos los otros de sus Señorios, e ninguno puede sin ellos bivir. E otrosi todos estos sobredichos, e cada uno en su estado debe amar, e honrar al Rey, e al Reyno, e guardar, e acrescentar sus derechos, e servirle cada uno en la manera, que debe, como à su Señor natural, que es cabeza, e vida, e mantenimiento dellos. E quando el Rey esto fiziere con su pueblo, avrà abondo en su Reyno, e serà rico por ello, e ayudarse à de los bienes, que y fueren, quando los uviere menester, e sera tenido per de buen seso, e amarlo, an todos communalmente, e sera temido tambien de los estraños, como de los suyos.

§. In largiendis honoribus magna attentione uti oportet Principem, considerandum videlicet tempus, ponderandæ personarum dotes, ut nec supra merita illi sint, nec infra: honores enim discernunt dignitatum gradus non secus, ac vis interior adamantium pretium & valorem variat. Si omnes fuerint æquales, peribit in omnibus existimatio. Tyrannidis genus quoddam est, non remunerari bene meritos, & quod vel maxime plebem adversus Principem concitat. Valde perturbatur Respublica, ubi honores male dispertiti fuerint. Impares merito notam accipienti pariunt, offensam promerentibus. Remuneratur unus, offenduntur plurimi. Æqualibus impertire omnes, est præmiari neminem. Cum æqualitate non crescit virtus, nec quicquam eximium audet fortitudo, quæ non singulare aliquod sperat præmium. Statua uni erecta multos efficit gloriosos, qui pro ea obtinenda decertarunt. Honor uni alicui Ministro bene merito exhibitus, eidem calcar est; respiratio aliis, obedientia Populo.

§. Tametsi vero nulla res magis firmet, atque illustret Principem, ac honorum largitio, cavendum tamen diligenter, ne eos in quempiam conferat, qui dignitati ipsius sunt proprii, eumque discernunt ab aliis: illi enim flammæ minime similes sunt, quæ cum in aliam transit materiam, in sua tamen integra permanet, quin omnes ii, quos in alios contulerit, in ipso lucere desinent, & manebit Majestas obscura, nec quisquam eosdem posthac sperabit nisi ab eo, quem in ejusmodi honoribus constitutum viderit. Etiam in Livia matre sua admittere noluit Tiberius peculiaria honorum signa, quæ Senatus ei parabat: a *Anxius enim invidia, & muliebre fastigium in diminutionem sui accipiens, ne lictorem quidem ei decerni passus est.* Quin & cæremoniæ, quas casus introduxit, aut adulatio, & jam Principis sunt propriæ, cum aliis communes esse non debent: etsi enim inanes & vanæ sint, venerationi

a Tacit. lib. 1. Annal.

tioni tamen Majeſtatis limites definiunt. Ægerrime tulit Tiberius eaſdem pro Nerone & Druſo preces publicas & ſupplicationes fieri, quæ pro ipſo factæ fuerant, tametſi filii ipſius eſſent, & in Imperio *a* Succeſſores. *Vaneſcit Principum honor, ſi promiſcuis adulationibus vulgatur.* Aliquando tamen, cum Miniſtri abſente Principe perſonam ejuſdem ſuſtinent, communicari iis poterunt iſtiuſmodi honores, & cæremoniæ, quæ Principi deberentur, ſi præſens eſſet; uti cum Pro-Regibus, & ſupremis Tribunalibus fieri aſſolet, perinde atque in ſtellis, quæ ſole abſente lucent, præſente non item: tunc enim illa honorum ſigna Dignitatem regiam reſpiciunt, repræſentatam in Miniſtris, qui effigies quædam ſunt Majeſtatis, & ſupremæ poteſtatis reflexio.

a *Tum vero æquari adoleſcentes Senectæ ſuæ, impatienter indoluit.* Tacit. l. 4. Annal. *b* Idem ibid.

SYMBOLVM LIX.

NAtura provida rerum omnium adminiſtratrix Provincias diſtinxit inter ſe, & ſepſit, nunc montibus tanquam altiſſimis mœnibus, nunc interfuſis amnibus & fluviis, nunc interjectis tumidis Oceani fluctibus, ut ambitioni humanæ obſtacula poneret. Ad eundem etiam finem diverſa conſtituit climata, naturas, linguas & mores; ut in tanta Nationum diverſitate unaquæque magis ſeſe uniret ad ſui conſervationem, nec potentiæ & tyrannidi Exterorum tam facile cederet. Verum propugnacula illa naturalium limitum ſufficere minime potuerunt, ne inſatiabilis dominandi cupiditas ea perrumperet: tanta enim tamque potens eſt humani cordis ambitio, ut quinque terræ zonas nimis etiam anguſtas exiſtimet. Alexander Magnus illacrymaſſe fertur, quod plures ſibi mundos ſubjicere non poſſet. Fortunæ, & vitæ hujus bona, imo vita ipſa, non obſtante naturali eam prorogandi inclinatione, contemnuntur præ exiguo regnandi ſpatio. Humeja Regnum Cordubæ parabat occupare, cumque illum amici monerent de periculo, a *Hodie*, inquit, *Regem dicite, cras perimite.* Nulla in homini paſſio cœca magis eſt & periculoſa, ac iſta. Multos illa vita pariter & ſtatibus, quos dilatare nolebant, exuit. Princeps quidam Tartarus poculo utebatur, cui inſculptum caput Moſcoviæ Principis, qui dum illi ſceptrum eripere voluit, ſuum non tantum, ſed & vitam perdidit, in ipſo vero calicis labro hæc inſcriptio legebatur:

Hic aliena appetendo, amiſit propria.

Idem fere Regi Sanctio accidit, eo quod fratres ſuos regnis exſpoliare conatus fuiſſet, quæ Rex Ferdinandus parens inter eos diviſerat. Periculum ſubit ambitio, ſi

a Mar. Hiſt. Hiſp. l. 8. c. 10.



Si brachium extra regnũ ſuum porrigat; haud ſecus ac teſtudo, ubi caput extra concham exerit, diſcrimini ſeſe a objicit. Et tametſi b *ſua retinere, privata domus; de alienis certare, regiam laudem eſſe*, Rex Tiridathes diceret; illud tamen tunc ſolum locum habet, quando ratio & prudentia id ſuadent, neque aliud potentiæ Tribunal, quam armorum ſupereſt. Enim vero qui injuſte alteri ſtatum ſuum eripit, occaſionem

a *Teſtudinem ubi collecta in ſuum tegmen eſt; tutam ad omnes ictus eſſe, ubi exerit partes aliquas, quodcunque nudavit, obnoxium atque infirmum habere.* Livius.

b Tacit. l. 15. Annal.

nem præbet & jus, ut suomet quoque privetur ab aliis. a *Suam* Princeps *Fortunam in consilio habeat, cum de aliena deliberat.* Ea de caussa Rudolphum Primum Imperatorem dicere solitum accepimus: *Satius esse, bene regere, quam dilatare Imperium.* Quod consilium si secutus fuisset Rex Alphonsus Sapiens, nunquam se Imperii cupiditate abripi passus fuisset, b cum tam præsenti Regni sui periculo, ut in eo verissima fuerit illa Regis Alphonsi Neapolitani sententia, hos tales lusoribus comparantis, qui vana lucrandi spe decepti, perdunt ea etiam, quæ possident. Statum suum tueri, obligationis est; alienum acquirere, meri arbitrii. Ambitio fallax ad nova & ancipitia multos c impellit. Quo quis potitur pluribus, eo plura desiderat. *Vetus ac jam pridem insita mortalibus potentia cupido cum Imperii magnitudine adolescit*, & incrementum sumit. Opportunitas occasionum, mediorumque facilitas oculos rapiunt, & animos Principum, ut ne videant quidem, non omnia quæ obtineri possunt, esse appetenda. Mentis generositas ad rationis, & prudentiæ normam regulari debet. Non ille se melius tuetur, qui plura possidet; sed is, qui plura jure possidet. Potentia nimia æmulationem & invidiam concitat, augetque pericula: adversus potentiorem enim omnes in fœdera coëunt, & arma sumunt; uti fecere Hispaniæ Reges contra Alphonsum Tertium, cujus prosperitas & amplitudo iis suspecta erat. Quæ caussa est, cur magis expediat potentiam bene habere constitutam, quam eandem exercere: neque enim in acquirendo minus periculi est, quam postquam acquisitum aliquid fuerit. Si hostes exteri defuerint, ipsa rerum affluentia enervat corpora; ut experta quondam fuit Romana Respublica, d *quæ ab exiguis profecta initiis, eo creverat, ut jam magnitudine laboraret sua*; e quod cum Augustus ante prævidisset, *addiderat consilium coërcendi intra terminos Imperii*, quod Adrianus Imperator postea effectum dedit. f *Imponat* Princeps *felicitati suæ frænos, facilius reget.* Evehere & dilatare Monarchias haud admodum difficile est injustitiæ & tyrannidi, si violentia armatæ fuerint. Difficultas in conservatione est posita, g *facilius* quippe est *quædam vincere; quam tenere*, in armis enim plerumque casus locum habet; in gubernatione vero consilium dominatur. h *Fortunam magnam citius invenies, quam retineas.* Vltro illa aderit, non advocata à merito aut diligentia; at sine prudentia singulari conservari non potest.

Nec minor est virtus, quam quærere, parta tueri.

Cujus rei Rex Alphonsus Sapiens

a Curtius.

b Mar. hist. Hisp. l. 13. c. 10.

c *Quibus nova, & ancipitia præcolere, avida, & plerumque fallax ambitio est.* Tac. l. 4. Annal.

d Livius l. 1.

e Tacit. l. 1. Annal.

f Curtius.

g Idem.

h Publ.

piens hanc caussam adfert: a *Porque la guardia aviene per sesso, e la ganancia por aventura. Fortunam tuam pressis manibus tene, lubrica est.* b Erinaceum reperire (unde hoc desumpsi Symbolum) perquam facile est; ad detinendum vero consilio opus, ut nimirum manum sic applices, ut demittat paulatim aculeatas suas setas, quas dum sursum erigit, legioni militum sarissis undiq; cinctæ similis videtur.

——— c *Fert omnia secum,*
Se pharetra, sese jaculo, sese
utitur arcu.

Vix è Provinciis Belgicis Hispanorum arma clara fuerant Ioannis Austriaci tempore, cum illa Rebellium sese in apertum prodiderunt. Regi Franciæ facile fuit Lotharingiæ Ducatum contra jus fasque occupare; at eundem nunc tueri, res multorum est sumptuum, & periculis plena, ita ut manum armatam subducere nunquam audeat. Et caussæ, quæ ad acquirendum concurrunt, non semper ad conservandum præsto sunt. Quod si tamen semel in dominatu præscriptum fuerit, ipsum tempus illum sustentat. Quo fit, ut unus aliquis facile interdum gubernet Imperium, quod non nisi magna cum difficultate multi Principes erexerunt.

§. Quare cum præcipuum Principis officium sit, suos Status conservare, adjiciam hic ea media, quibus id fieri possit sive successione, aut Electione, aut armis acquisiti illi fuerint. Tres solum caussas generales præmitto, quæ ad acquirendum, & conservandum solent concurrere; & sunt istæ: Deus, si eum Religione & justitia servemus propitium: Occasio, cum caussarum concursus ad altiorem fortunam viam aperit. Prudentia, quando aut accersere occasiones, aut sponte natis recte uti quis novit. Alia instrumenta sunt cum scientia conservandi communia: ejusmodi sunt animus generosus, & applicatio Principis; consilium, prudentia, existimatio, cultus, & in ipsum amor; dignitas Coronæ; armorum vis; unitas religionis; administratio justitiæ, legum auctoritas; distributio præmiorum; severitas castigationis; Magistratus integritas; electio bona Ministrorum; privilegiorum, & consuetudinum conservatio; educatio juventutis; modestia Nobilitatis; frequentia populi; monetæ puritas; matrimoniorum, & bonarum artium incrementum; concordia, ubertas, & ærariorum opulentia.

§. His artibus conservantur Status, & tametsi in omnibus sedula attentione sit opus; ii tamen, qui successione hæreditaria à parentibus derivantur in filios, tantam non desiderant. Cum enim dominatio, & obedientia jam quasi in naturam transierint, non amplius meminerunt Subditi. Coronam ab institutione esse, non vero proprietariam. Nemo cultum & venerationem ei denegare audet, quem mox ab ipso suo ortu Dominum agnovit. Omnes à successore vindictâ metuunt

a L. 3. tt. 3. p. 2.
b Curtius.
c Claud.

tuunt & pœnam, si quid in eum, qui cum Imperio præest, commiserint. Defectus ipsius facile ferunt, & tolerant subditi. Ipse negotiorum fluxus (qui longo jam usu & experientia alveum reperit) securum eum reddit, licet ad gubernandum minus idoneus sit, modo naturam habeat docilem, quæ in omnibus recte agere studeat, & bonos sciat legere Ministros, aut certe hos tales ei casus obtulerit.

5. In iis vero Statibus, qui jure hæreditario per lineam transversam, aut per matrimonium eidem obveniunt, majori etiam cura ac solertia opus est, sub prima gubernationis initia præsertim, quo in genere non leve periculum experiri solent Successores, qui nimio cum zelo, aut cupidine gloriæ minus prudente Antecessorum suorum actionibus, & institutis sese opponunt, statim præteritum innovando absque prudentia debita & moderatione, etiam tum, cum de emendando eo agitur. Nam Platonis sententia, qui mutationes omnes ait esse periculosas, nisi de malis sit, locum habere non videtur in illa gubernatione, in qua magna quidem sunt pericula, mutationes tamen sensim fiunt ad imitationem Naturæ, quæ non confestim ab uno extremo transit ad aliud, sed inter asperitatem hyberni frigoris, & æstivos calores temperamentum Veris, & Autumni interjicit. a *Anceps, & operosa nimis est mutatio, quæ subito, & cum quadam violentia suscipitur, facilior autem, quæ sensim, & paulatim declinando fit.* Navigationis tempore periculosum est mutare vela ob ventum contrarium, eo quod repente ab uno navis latere in aliud convertenda sint. Ea propter valde expedit, ut Princeps sub Imperii initium, quantum fieri potest, sequatur normam gubernationis præteritæ, dando operam, ut paulatim ad meliorem reducatur formam tali cum suavitate & moderatione, ut populus alio se delatum ante videat, quam animadvertat, quibus gradibus effectum id fuerit. Tiberius ad Imperium evectus, b *populum per tot annos molliter habitum, nondum audebat ad duriora vertere*, & ludos publicos, ab Augusto introductos, abrugare. Paucos menses Imperium Galba tenuit, quia mox sub prima ejus initia castigare cœpit delicta, & donationibus modum ponere, nec permittere voluit licentias illas, & insolentias, quibus Neronis tempore sic Romanus assueverat populus, c *ut haud minus vitia Principum amarent, quam olim virtutes venerarentur.* Idem Pertinaci Imperatori accidit, cum laxatam sub Commodo disciplinam militarem ad pristinos mores reducere cuperet. In eundem errorem lapsus etiam fuit Rex Franciæ Ludovicus Undecimus, qui mox à susceptis regni gubernaculis in præcipuos Proceres severiorem justitiam exercuit. Quare cum rigor nimius Principatus inveterati vitium sit, novi contra virtus debet esse benignitas.

a Arist. l. 6. Polit.

b Tacit. lib. 1. Annal.

c Idem lib. 1. Hist.

a *Nil pudet assuetos sceptris, mitissima sors est Regnorum sub Rege novo.*

Tempore opus est ad recte disponendam gubernationem, *neque enim minus negotii est Rempublicam emendare, quam ab initio constituere.* b Eam ob rem excusavit se David, quod ob proditorie illatam Abnero necem, de Ioabo pœnas non sumeret, dictitans Regem se esse adhuc delicatum, & recens unctum; veritus scilicet ne dominatum suum rigore nimio exosum c redderet. Non semetipsum perdidisset Roboamus, si istud habuisset præ oculis, cum malo usus consilio, populo rigoris paterni moderationem petenti hunc in modum respondit: *d Pater meus aggravavit jugum vestrum; ego autem addam jugo vestro: pater meus cecidit vos flagellis; ego autem cadam vos scorpionibus.*

§. Nihil in gubernationis primordiis tanti refert, ac gloriosis quibusdam facinoribus auctoritatem sibi conciliare: nam semel parta, non facile iterum deperditur; Ideo Domitius Corbulo missus in Armeniam tantopere laborabat, e *ut fama inserviret, quæ in novis cœptis validissima est.* Idem etiam Agricola fecit cum Armeniam regeret, f *non ignarus instandum famæ, & prout prima cessissent, fore universa.*

§. Periculosa semper est comparatio gubernationem præteritam inter & præsentẽ institutā à populo, si non eandem in hac, atque in illa prosperitatem reperiat, aut in Successore non videat eam humanitatem, eas bonas dotes & ornamenta animi, quibus Antecessor floruerat. Curet itaque, quoad fieri potest, ne tempus à tempore nimium discrepet; sed ut una eademque videatur manus, quæ habenas moderatur. Quod si Princeps actiones suas sic instituere aut non possit, aut nesciat; ut æque ac priores placeant subditis, minimum eas fugiat occasiones, in quibus fieri possit comparatio. Quæ caussa erat, cur Tiberius, homo severus & melancholicus, g spectaculis publicis abstineret, *tristitia scilicet ingenii, & metu comparationis, quia Augustus comiter interfuisset.* Quare simul atque Princeps ad gubernacula sedere cœperit, inquirat oportet, quæ tempore gubernationis præteritæ in odio & reprehensione fuerint, ne in eundem forte lapidem offendat. Atque ex hac ipsa regula Nero ad Imperium evectus hortatu eorũ, quorũ consilio utebatur, h *formam futuri Principatus præscripsit, ea maxime declinans, quorum recens flagrabit invidia.*

§. Porro illud etiam conetur Princeps, ut actiones suas moribus Patriæ, & institutis Majorum accommodet: nam & virtutes novas Successoris, quæ in antecessore, aut Provincia alias visæ non fuerunt, in vitiis numerat populus, & detestatur. Parthi Vo-

a Lucan.
b Arist. lib. 4. polit. c. 1.
c *Ego autem adhuc delicatus, & unctus Rex.* 2. Reg. 3. 39.
d 3. Reg. 12. 14.
e Tac. lib. 13. Annal.
f Idem id vita Agric.
g Idem lib. 1. Annal.
h Tacit. lib. 13. Annal.

Vononem suavioribus Romæ (ubi obsidis loco fuerat) imbutum moribus Regẽ poscebant; a *sed prompti aditus, obvia comitas, ignotæ Parthis virtutes, nova vitia; & quia ipsorum majoribus aliena, perinde odium pravis, & honestis.* Indigne nimirum ferebat populus, quod nec venandi studio caperetur, nec equorum cura, ut Antecessores solebant; contra ac Nero, qui b *prima ab infantia instituta, & cultum Armeniorum amulatus, venatu, epulis, & quæ alia barbari celebrant, proceres plebemque juxta devinxerat.* Et si novitates istæ in ipsamet Principis persona id efficiunt, quanto magis, si circa mores, & consuetudines ipsius populi aliqua fiat immutatio? Si tamen correctione aliqua opus fuerit, moderatione tali utendum erit, ut Princeps nec severus nimium, nec remissus videatur. Quamvis, quando magna fuit Antecessoris negligentia, populusque remedium expetit, Successoris gnavitas ac diligentia gratissima accidat; uti primis annis susceptæ à gloriosissimo Patre Serenitatis vestræ, Rege nostro, gubernationis experientia compertum fuit.

§. Regnum sic ordiri, ut offensas proprias quis condonet, & castiget alienas, hæc demum generosa justitia est, quæ magnam Principibus auctoritatem, & omnium voluntatum studia conciliat: siquidem c *novum Imperium inchoantibus utilis clementiæ fama:* ut Vespasianus ac Titus, ambo Imperatores, Carolus item Septimus Franciæ Rex, experti sunt. Quæ perpendens Witiza Rex sustulit exilii pœnam, qua Pater ejus quosdam mulctaverat, jussitque lites eorum ac caussas in ignem conjici, ut nimirum hac ratione capitis sui Coronam magis securam redderet.

§. Tametsi vero artes istæ apprime utiles sint, præcipua tamen in eo est posita, ut amorem & obedientiam subditorum sibi Princeps conciliet. Qua in re insignes excelluerunt duo Aragonæ Reges: d unus fuit Alphonsus Primus, quando pro uxore sua Vrraca regnaturus in Castellam profectus, comem & benignum sese omnibus exhibuit. Ipse caussas pro tribunali cognoscens jus dicebat, administrabat justitiam, viduas & pupillos à potentiorum vi injuriaque protegebat, succurrebat egenis, Optimates pro suis quemque meritis colebat, virtutem excitabat præmiis, Rempublicam bonis omnibus ornare, atque ubertate & populi frequentia augere studebat; ob quæ amari ab omnibus meruit. Alter fuit Rex Alphonsus Quintus, qui Regni Neapolitani subditos mire sibi devinxit attentione & prudentia in negotiis: præmio & castigatione; liberalitate, humanitate & promptitudine audientiã largiendi. Tam boni publici privatiq; amans, tam ad genium moresque Regni istius formatus, ut non Princeps extraneus videretur, sed naturalis. Reges isti, utpote præsentes, faci-

a Tacit. lib. 2. Annal.
b Idem lib. 2. Annal.
c Tac. lib. 4. Hist.

d Mar. Hist. Hisp. l. 10. c. 8.

facilius longe subditorum animos & voluntates occupare potuêre; in absentibus vero Principibus, qui aliis in Provinciis aulas suas habent, id difficilius est: nam fidelitas longa illa distantia si non refrigescit omnino, at intepescit saltem, nec in ardore suo conservari aliter poterit, quam gubernatione optime instituta, procurando nimirum, ut non nisi optimi eligantur Ministri, & severe animadvertendo in eorum delicta, ea cumprimis, quæ contra Iustitiam, Honores, & Fortunas aliorum ipsi commiserint. Illud enim solum solatium restat absentibus subditis, a *laudatorum Principum usum ex æquo esse, quamvis procul agentibus: sævos proximis ingruere.* Verum quia ejusmodi Regna fere semper novitates amant, & mutationes, atque à Principe præsenti gubernari malunt, quam ab aliis: oportet ut confidentia, quam de illis habuerit Princeps, armata sit, & adversus casus omnes munita, iis adhibitis mediis, quæ necessaria esse dicemus pro tuendis Regnis armorum vi acquisitis.

§. Imperia electiva, quæ gratia largita est, eadem quoque gratia conservat, licet hæc raro diuturna sit. Etsi enim omnia nova Imperia cum applausu suscipiantur, in hoc tamen facilis lapsus est, & subitus. In illa ipsa acclamatione, qua Saul unctus fuit in Regem, diffidere ei cœpit populus, eumque *b* spernere, tametsi à Deo ipsomet illius esset electio. Verum non desunt artes, quibus electus conceptam de se opinionem tueri potest, dando nimirum operam, ut insignes illas virtutes ac dotes, quæ corona dignum eum effecêre, porro conservet; solent namque homines cum Fortuna secunda mores etiam suos immutare. Tiberium c *egregium vita famaque* Historiæ memorant; *quoad privatus vel in imperiis sub Augusto fuit.* Similiter Galba *major privato visus, dum privatus fuit.* *d* Comis humanusque sit erga omnes. Gratus, & liberalis in eos, quorum suffragiis electus est; benignus in eos etiam, quos contradictores habuit, amans boni publici, & studiosus conservandorum privilegiorum Regni, & consuetudinum. Provinciæ Proceres in consilium advocet, occupando eos in officiis, & muneribus publicis, nec facile exteros admittat, neque largam nimis potestatem cognatis & amicis concedat. Familiam suam servet modestam; Majestatem severitate, Iustitiam clementia temperet. Regnum sic moderetur, quasi hæreditate partum, quod ad posteros transmittere debeat, non tanquam electivum, omnes omnino ex eo fructus, dum imperat, ad extremum usque colligendo; unde Poëta quidam queritur:

e *Non parcit populis Regnum breve.*

Per enim difficile est, *temperare*

a Tacit. lib. 4. Hist.

b *Num salvare nos poterit iste? & despexerunt eum, & non attulerunt ei munera.* 1 Reg. 10. 27.

c Tacit. lib. 4. Hist.

d Idem lib. 1. Hist.

e Statius.

rare felicitati, qua te non putes diu usurum. a

§. Oportet præterea Principem esse pacificum, non alienorum invasorem: nam Regna electiva eum habere metuunt Dominum, cui animus ad subjugandos alios; amant vero eum, qui de sua conservatione magis est sollicitus, (ut in Polonia fieri videmus) quippe quibus minime latet, Regna omnia in primis initiis suis fuisse electiva, postea cupiditate dilatandi suos fines sensim perdidisse libertatem, quam eripere aliis volebant, novas sibi Provincias subjiciendo. Neque enim fieri potest, ut inter tot electionis casus & pericula diu firma consistat multorum Statuum amplitudo, & ea ipsa arma, quibus debellantur, eos reducunt ad Monarchiam hæreditariam. Quam caussam Galba dedit, cut Imperium suo tempore in Rempublicam commutatum *b* fuerit.

§. Regna electiva libertatem amant, adeoque absque hac gubernari non debent, semperque danda opera, ut Princeps à parte stet electionis, in ea siquidem libratam quasi tenent suam libertatem, & si animadversum in Principe fuerit, quod coronam ad successionem reducere cogitet, ea privabitur.

§. In iis vero Statibus, qui armorum vi comparantur, plus difficultatis in acquirendo experitur violentia, quam in conservando: sunt enim velut equi nondum domiti, quibuscum præcipuus labor est, ut sessorem admittant, postea oneri & ferro lubentes cedunt. Timor & adulatio viam sternunt dominationi; nempe c *prima dominandi spes in arduo, ubi ingressus fueris, adsunt studia & Ministri.* Verumtamen, cum illa voluntatum studia plerumque ficta sint, facile sese ostendunt contraria, ubi possunt, ideoque bonis artibus ea fovenda & nutrienda in principio præsertim, quando ex actionibus primis de gubernatione futura judicium fit; uti Vitellio accidit ob Dolabellæ mortem, inviso omnibus & *d* odioso. Et tamen si Piso dixerit, e *neminem unquam Imperium flagitio quæsitum bonis artibus exercuisse*, scimus tamen, sic Regem Sanctium dubium Regni bello patti jus paullatim stabilivisse. Principes, qui ea, quæ vi occupaverant, eadem vi tueri conati sunt, mox periere. Pessima ista ratio Status omnes fere Tyrannos pessundedit; & si quis aliquamdiu substitit, id ideo factum, quia tyrannidem in benevolentiam, crudelitatem in clementiam commutavit. Vitium diuturnum esse non potest, nisi virtus ei substituatur. Ambitio, quæ in acquirendo primum injusta fuerat, in zelum boni publici transeat necesse est, ut perduret. Subditi diligunt Prin-

a Tacit. l.2. Hist.

b *Si immensum Imperii corpus stare, ac librari sine rectore posset, dignus eram, à quo Respublica inciperet.* Tacit. l.1. Hist.

c Tacit. l.4. Annal.

d *Magna cum invidia novi Principatus, cujus hoc primum specimen noscebatur.* Tac. l.2. Hist.

e Idem l.1. Hist.

Principem boni publici privatique caussa, quod ab eo sibi pollicentur, & si reipsa illud obtineant, facile timorem in reverentiam, & odium in amorem vertunt. In quo illud observandum, mutationem vitiorum, quæ jam nota sunt aliis, non tam repentinam esse debere, neque affectatam, ut à dolo oriatur, non à natura, quæ sensim & cum tempore operatur. Sic Otho sentiebat, a *simul reputans, non posse Principatum scelere quæsitum, subita modestia & prisca gravitate retinere.* Istiusmodi transmutationes vehementius metuit populus, quam ipsa vitia; illis enim majorem subesse suspicatur malitiam. Virtus per artem simulata malitia deterior est: nam hæc illius se velat pallio, & ambæ junctæ inter se monstrum quoddam malitiæ procreant.

5. Egregie fortis & prudens fuit Cæsar *b* Augustus in augenda tam sua quam Imperii gloria, quin & hujus conservandi exemplar aliis omnibus Principibus esse potest. Annis decem & novem dignum se Imperio probavit, bella civilia sustinens; à quo tempore fortunam suam fabricari cœpit. Imperia non merendo obtinentur; sed merita jam ante præcessisse oportet. Vna victoria Imperatorem eum *c* fecit, eo quod occasione & prudentia usus fuisset. Occasione quidem, nam d *Lepidi & Antonii arma in* eum *cessere. Cuncta discordiis civilibus fessa erant.* e *Nulla jam publica arma, nullo adversante, cum ferocissimi per acies, aut proscriptione cecidissent.* f *Neque Provinciæ illum rerum statum abnuebant, suspecto Senatus, populique Imperio ob certamina potentium, & avaritiam Magistratuum*, adeoque Reipublicæ mutationem exoptabant. g *Nec aliud discordantis patriæ remedium, quam ut ab uno regeretur.* Quæ omnia, accedente præsertim Augusti prudentia, in caussa fuerunt, ut unus ipso tanto facilius rerum potiretur, & iisdem postea artibus Imperii amplitudinem porro sustinuit. Plebem sibi devinxit, tuendo eam auctoritate *h* Tribunitia. Atque, ut odium evitaret, neque Regis nomen, neque Dictatoris asscivit, sed i Principis. *Magistratuum vocabula* sustulit, *Militem donis, populum annona, cunctos dulcedine otii*, & pacis humanitate, benevolentia, & clementia *pellexit. Multa* suis etiam æmulis, *Antonio & Lepido concessit. Quanto quis servitio promptior, opibus & honoribus extollebatur.* k *Pauca admodum vi tractabat*, & ne tum quidem ex passione aliqua, sed a *qua*

a Tacit. l. 1. Hist.

b *Nonodecimo Cæsar Octavianus civilia bella sustinuit*, Tacit. lib. 13. Annal.

c *Mansisse Cæsare Augusto victore Imperium.* Idem l. 1. Hist.

d Idem l. 1. Annal.

e Idem ibid.

f Idem ibid.

g Idem ibid.

h *Ad tuendam plebem Tribunitio jure contentam.* Tacit. ibid.

i *Non regno tamen, neque Dictatura, sed Principis nomine constitutam Rempub.* Tac. ibid.

k Tacit. ibid.

a *quo ceteris quies esset. Prompta ac profluente, qua deceret Principem eloquentia* b omnium animos capiebat. c *Ius apud cives, modestiam apud socios* servabat. Tanta erat integritate, ut ne impunitam quidem fineret *impudicitiam filiæ & neptis, quas urbe depulit.* Curabat, ut ne familiæ Nobiles extinguerentur; ob quam caussam insignes plane Marco *d* Hortalo gratias & beneficia præstitit. *Primus cognitionem de famosis libellis, specie legis ejus tractavit, commotus Cassii Severi libidine, qua viros fœminasque inlustres procacibus scriptis diffamaverit.* e Eosdem libellos *f* in suam personam & gubernationem conscriptos tulit ipse, contempsitque. Multis egit de politia, & ornatu magnifico urbis *g* Romæ. *Mari oceano, aut amnibus longinquis* tanquam terminis *sepsit Imperium,* adnotatis in libro (ut diximus) reditibus & expensis. Ærarium militare instituit, & vires ea ratione partitus est, ut h *Regiones, Provinciæ, classes, cuncta inter se connexa* essent. Atque his *novis ex rebus aucti* Romani, *tuta & præsentia, quam vetera & periculosa malebant*; quo factum, ut tyrannis jam in amore esse inciperet. Non ego tamen has artes ideo refero, ut tyrannidem doceam; sed ut is, qui tyrannum hactenus egit, in bonum evadat Principem, artibus iis sociando timorem è viribus ortum & potentia: nam quod armis acquisitum fuit, armis quoque conservari debet. Quam ob caussam ejusmodi Status tueri oportet propugnaculis & munimentis, tali erectis artificio, ne frænum videatur Regni libertati injectum; sed securitas potius adversus incursiones exteras, & ut præsidia militaria custodiæ loco sint, non diffidentiæ: hæc enim ad desperationem extremam adigit subditos. Tam acerbe tulerunt Hispani, quod Constans, consalutatus Imperator, illorum diffisus fidelitati, custodiam montium Pyrenæorum exteris commisisset, ut acciverint in Hispaniam (cum maximo etiam illius detrimento) Vandalos, Alanos, Suevos, aliasque Nationes. Confidentia fideles reddit subditos: eam ob rem Scipiones Celtiberis permiserunt, ut Romanis immixti sub iisdem signis militarent, & iisdem habitaculis uterentur. Augustus quoque corporis sui custodes habuit Hispanos, è legione Calaguritana selectos.

§. Conetur Princeps sensim traducere Provincias acquisitas ad mores, genium, & stylum Nationis dominantis Coloniarum beneficio; uti factum in Hispania cum iis, quæ Augusti temporibus fundatæ sunt: ad quod nationes facile induci possunt: sem-

a Idem ibid.
b Idem ibid.
c Idem l.13. Idem l. 1. Idem l.3.
d *In lectius à divo Augusto liberalitate decies sestertium ducere uxorem, ne clarissima familia extingueretur.* Tac. lib.2.
e Idem lib. 1.
f *Sed ipse divus Julius, ipse divus Augustus tulere ista, & relinquere; haud facile dixerim, moderatione magis, an sapientia.* Tac. l.4. Annal.
g *Urbem ipsam magnifico ornatu.* Tac. l.1. Annal.
h Idem, ibid.

per enim imitantur victores, iisque adulantur, eorum moribus atque ingenio se accommodando, & privilegia eorum ac consuetudines pluris æstimando, quam proprias. Quæ caussa fuit, cur Romani amicos suos, & fœdere sibi junctos civium titulo donarent, ut nimirum tanto eos fideliores experirentur. Vespasianus Imperator, ut Hispanos sibi obstringeret, Italiæ privilegia cum iis communia esse voluit. Provinciæ acquisitæ, si tanquam extraneæ habeantur, hostilem semper retinent animum. Movit ea res Imperatorem Claudium, ut jus civitatis Romanæ etiam Galliæ Comatæ largiretur, sic inquiens: a *Quid aliud exitio Lacedamoniis & Atheniensibus fuit, quanquam armis pollerent, nisi quod victos pro alienigenis arcebant? At conditor noster Romulus tantum sapientia valuit, ut plerosque populos eodem die hostes, dein cives habuerit.* His aliisque mediis paullatim in naturam abeunt dominia extranea, postquam ea præscripsit temporis diuturnitas, & sublata est libertatis pristinæ memoria. Hæc politica neglecta fuit in Hispaniæ instauratione, cumque ea pluris esse crederet, puram & integram suam servare Nobilitatem, quam Africanum illi miscere sanguinem, privilegia sua & honores victis Nationis illius communicare noluit; unde factum, ut uniti una simul cum odio servarent mores suos, idioma suum & perfidiam, ut necessum esset deinde eos omnino ejicere, & privare sese tot subditis tam proficuis ad agros colendos, non sine admiratione rationis status aliorum Principum, quod splendorem Nobilitatis utilitati, & Religionem prudentiæ humanæ viderent anteferri.

5. Vbi una Reipub. forma in aliam diversam mutanda erit, tali uti oportebit artificio, ut plebs non omnia omnino nova reperiat, nec formam gubernationis præteritæ desideret; uti factum exactis Romæ Regibus, quando tam sacra, quam profana tanta cum dexteritate fuerunt ordinata ut Reges, b qui de utrisque curabant, expulsos esse notari haud posset; cumque postea imperium in Rempublicam verteretur, *eadem Magistratuum vocabula* permansere, idem Senatus ordo imaginem antiquæ libertatis præbens, id quod vim principatus haud parum c firmavit. Idem in Ducatu Florentino fecere Toscani Duces. Excellens ea in ratione Status fuit Augustus Imperator: quippe qui d *non omnia statim, uti decretum erat, executus est, veritus, ne parum succederet, si simul homines transferre & invertere vellet; sed quædam ex tempore disposuit, quædam rejecit in tempus.* Verum majori dignus admiratione Samuel fuit, qui gubernationem & politiam populi Dei sic immutavit,

a. Tac. l. 11. Annal.

b Tac. l. 1. Ann.

c *Sed Tiberius vim principatus sibi, firmans imaginem antiquitatis Senatui prabebat.* Tac. lib. 3. Annal.

d Dion.

mutavit, ut nemini *a* displiceret. Tali cum prudentia sensim sine sensu umbræ istæ libertatis dissipandæ sunt, ut pari passu ea subducatur oculis, quo radices agit dominatio. Quo modo *b Agricola adversus Britanniam profuturum putabat, si Romana ubique arma, & velut è conspectu libertas tollerentur.* Atq; hæc documenta sine injustitia locum habent in Statibus vi armorum acquisitis: victoria enim, quæ in vitas potestatem dedit, eandem concedit etiam adformandam pro arbitrio gubernationem. In iis tamen, quæ successione obveniunt, haudquaquam licitum est, eorum evertere jura ac privilegia, aut moribus & institutis eorundem vim inferre. Solum mutuæ concordiæ caussa, consensu communi statui poterit, ut communia sint præmia & monetarum commercia, sublatis iis controversiis, quæ odium & æmulationem creare solent; uti in Regno Navarræ factum, ut cum unum idemque sit dominium, vivendi item modus subditorum uniformis sit, ac mutua inter eos communicatio & amor.

§. Nulla vis suavior juxta, ac efficacior, quam beneficium, ad tuendas conservandasque Provincias acquisitas. Etiam res inanimas colebant homines, & divinitatem iis tribuebant, si quid beneficii ab iis acciperent. Facile mortales capi se sinunt commodis, nec magnopere attendunt ad largientem ista, & sceptra moderantem, num alienigena sit. Qui beneficiis obligari se sinunt, & suo desunt officio, nihil postea adversus Principem moliri possunt, assectarum defectu, cum nemo quisquam ab homine ingrato fortunam sibi bonam polliceatur. Ea de caussa Scipio expugnata Cathagine bona sua Dominis jussit restitui; & Sertorius magnam ab Hispanis iniit gratiam, tributa moderando, instituendoque Hispanorum Senatum, Romano similem. Vt suam stabiliret coronam *c* Rex Erwigius, vectigalia regia, quorum gravitate provinciales fessi erant, imminuit, & quæ eo nomine fisco regio debebantur, condonavit. A Romanis item in debellatis Provinciis *d quadam ex regiis tributis diminuta, quo mitius Romanum Imperium sperarėtur.* Acerbius dominantis avaritiam ferunt subditi, quam ipsam servitutem; pro eo ac Romani in Frisiorum rebellione experti sunt, qui *pacem exuere*, Romanorum *e magis avaritia, quam obsequii impatientes.* Caveat itaq; Princeps, ne Provincias acquisitas tributis nimium oneret, potissimum vero, ne usitata alibi in eas quoquè introducat: hæc enim introductio perquam odiosa est. Rebellionem cœptavere Cappadoces, quod Romanum *f in modum deferre census, pati tributa* ab Archelao adigerentur.

§. Nihil utilius modestia ad tuenda

a *Renovavit Imperium, & unxit Principes in gente sua, & non accusavit illum homo.* Eccl. 45. 16. & 22.

b Tac. in vita Agric.

c Mar. hist. Hisp. l. 6. c. 17.

d Tacit. lib. 2. Annal.

e Idem l. 4. Annal.

f Idem l. 6. Annal.

tuenda Regna bello & armis parta. Gravius tulit Senatus Romanus, quod Iulius Cæsar, Senatoribus ingredientibus in Senatum, non assurgeret, quam libertatis suæ jacturam. Quod cum adverteret Tiberius, a *verbis paucis* cum ãis utebatur, *& sensu permodesto.* Populus ad minus præcipua magis, quam ad ipsam rerum substantiam advertit animum, & ob inanem auctoritatis captationem deperditur non raro applausus communis, & in odium incurritur. Apud Romanos augendi conservandique Imperii potior cura fuit, b *inania transmittebantur.* Ob quam caussam Tiberius, ut pote Politicus egregie prudens, c *validum sese spernendis honoribus præstitit*, nec permisit unquam, ut ab Hispania ulteriora templa sibi erigerentur, quin & d *nomen Patris Patriæ à populo sæpius ingestum repudiavit.* e *Cuncta mortalium incerta, quantoque plus adeptus foret, tanto se magis in lubrico dictans.* Eandem rationem status præ oculis habentes Florentini Duces valde humanos erga subditos suos sese exhibent, nec permittunt, ut, qui in plateis fiunt obvii, gradum aut rhedam sistant honoris caussa, uti Romæ fieri consuevit. Posteaquam Castella obedientiam Regibus præstare ad tempus recusasset, non impertiit iis, penes quos summa rerum erat, grandia nomina, sed Iudicum duntaxat, ut tanto facilius à plebe admitterentur. Eadem quoque prudentia & moderatione animi Rex Ferdinandus Catholicus, mortua Regina Isabella, Regis titulum usurpare noluit, solo gubernatoris Castellani contentus. Status quidam in Italia, qui ad Majestatem regiam aspirant, videbunt, opinor, successu temporis (utinam ista me fallat opinio!) ab antiqua recedere molestia nihil esse aliud, quam universa in discrimen abducere, & perturbare velle tranquillitatem publicam; neque enim Italia semetipsam ferre poterit, si tot capita coronis redimita intra fines suos viderit. Minoribus cum incommodis Status alicujus limites dilatari solent, quam interior amplitudinis forma immutari; ut aut cum majoribus de dignitate contendat, aut æquales despiciat: ea enim re utrique vane irritantur. A communitatum inæqualitate communis orta est dominatio. In illis vivere, nec ullum agnosci Principatum, istud est, quod eas conservat liberas. Si spiritus regii seminentur, pullulabunt Monarchiæ desideria, quæ libertati exitium adferunt.

§. Pax denique (ut alibi dicimus) illa est, quæ Regna acquisita potissimum tuetur, dummodo pax ista studiosa sit, atque armata: sic enim tempus indulgebit, ut possessio dominium præscribat paullatim, & titulum justum tribuat, absque belli tumultu, quod jura confundit, occasionem dat miscendi omnia ingeniis inconstantibus & inquietis, & arbitrium eripit ei, qui

a Idem l. 1. Annal.
b Idem l. 15. Annal.
c Idem l. 4. Annal.
d Idem l. 1. Annal.
e Idem ibid.

qui imperat. Quare non in solis Regnis istis de novo acquisitis procurari debet, sed in Provinciis etiam finitimis: ex igne enim vicino facile scintillæ aliquæ emicant, migrantque arma ex uno loco in alium proximum, & proclive admodum est irritari eum, qui ea sibi tam propinqua contuetur. Quæ caussa fuit, cur Rex Philippus Tertius contra Carolum Emmanuelem Sabaudiæ Ducem arma sumeret, cum is Mantuano Duci Montferratum eripere conaretur, dante interim sua Majestate operam, ut Iustitia, non gladius prætensiones illas decideret, neque quies Italiæ publica ob cupiditatem unius pateretur. Idem periculum etiamnum hodie perdurat, nisi componantur dissensiones, quæ armis onerarunt Coronas quasdam & Principes: eductis enim semel gladiis, aut Vindicta de injuriis acceptis ultionem sumere cogitat, aut recuperare Iustitia, quod inique usurpatum fuit, aut Ambitio dilatare dominia, aut Mars ipse armatus ferri aciem experiri desiderat.

5. Finio nunc præsentem hanc disceptationem quatuor versibus Tassi, in quibus magno cum judicio vera comprehendit fundamenta, quibus novum aliquod Regnum stabiliri debet & conservari.

a *E fundar Bœmondo al nuovo Regno,*
Suo d'Antiochia alti principii mira:
E leggi imporre, & introdur costume,
Et arti, e culto di verace Nume.

a Tass. cant. 1.

SYMBOLUM LX.

Sagitta ab arcu emissa aut sursum fertur, aut deorsum, nec unquam suspensa hæret in aëre, similis tempori præsenti tam velociter prætervolanti, ut dubitare possis, priusne esse desinat, quam advenerit: aut sicut anguli in circulo, ubi acutus in obtusum transit, ut in recto ne tangat quidem. Primum punctum, in quo sagitta consistit, declinationis ejus punctum est. Quod ascendit altius, à lapsu suo propius abest. Res omnes, cum ad supremum venerint, mox iterum deorsum labi necesse est, nec firmare se possunt. Observavit id in corporibus humanis Hippocrates: ea quippe b *nec in melius verti, nec diu sistere valent; reliquum ergo est, ut in deterius dilabantur.* Nihil in natura stabile ac permanens. Caussæ secundæ cælorum moveri nunquam desinunt; adeoque nec cessant effectus, quos rebus hisce inferioribus imprimunt, cui tanquam fonti Rerumpublicarũ mutationes attribuit c Socrates. Nec in hoc differunt monarchiæ à rebus iis, quæ vivunt, & vigent. Nascuntur, vivunt moriunturque æque, ac istæ, nec unquam firmæ consistunt, adeoq; d *conversiones*

b Hippocrat.

c *Qui caussam esse tradit, quod nihil perpetuo maneat, sed omnia motu quodam orbiculari mutentur.* Arist. lib. 5. pol.

d Cic. l. 2. de natur. Deor.



verſiones earundem *naturales ſunt*. Non creſcendo, decreſcunt. In inclinatione majoris fortunæ nihil moræ intercedit. Vbi labi ſemel cœperit, nullis viribus ſiſti poterit. a *Regum Majeſtatem, difficilius eſt, à ſummo faſtigio ad medium detrahi, quam à mediis ad ima præcipitari.* Verumtamen non omnes Monarchiæ pari paſſu ſurſum ſcandunt, & ruunt: b *fati* namque *maligna perpetuaque in omnibus rebus lex eſt, ut ad ſummum perducta, rurſus ad infimum velocius quidem, quam aſcenderunt, relabantur.* Annis non niſi duodecim ſuam evexit Monarchiam Alexander, & paucis iterum corruit, in quatuor diviſa Prin-

a Livius.

b Seneca.

Principatus, & postea etiam in plures.

5. Multæ caussæ sunt incrementi pariter, & decrementi, quæ in Monarchiis & Rebuspublicis fieri contingit. Qui ea casui tribuit, aut motui, & occultæ astrorum vi, aut numeris Platonicis, aut annis climactericis, rerum harumce inferiorum curam providentiæ divinę abnegat. Non dedignatur horum orbium gubernationem, qui fabricam eorundem dedignatus non fuit. Quin immo condere illam & curam ejusdem abjicere postea, esset suammet improbare actionem. Si ad exornandum pavonis collum, aut ad depingendas unius papilionis alas Deus penicillos suos nemini committit alteri; quomodo existimabimus, quod casui relinquat Imperia & Monarchias, è quibus felicitas, aut infelicitas, mors, aut vita hominis dependet, cujus gratia omnia condidit? Impium esset isthuc credere, aut certe grandis superbia, rerum successus nostris asscribere consiliis. Per ipsum *a* Reges regnant. Ipse manu sceptra distribuit, & tametsi in eorundem conservatione aut amissione cursum suum relinquat propensionibus naturalibus, quæ aut notæ sunt nobiscum, aut impressæ à sideribus, & consistat cum illis arbitrium liberum, absque ulla libertatis læsione, cum illo ipso tamen Deus agit & operatur, disponendo nobiscum incrementa, aut eversiones Monarchiarum, adeo ut nulla unquam interierit, absque interventu imprudentiæ alicujus humanæ, aut cœcarum animi perturbationum. Salustium ea de re audire juvat; *b* *Ego ita comperi*, inquit, *omnia regna, civitates, nationesque usque eo prosperum imperium habuisse, dum apud eos vera consilia valuerunt; ubicunque gratia, timor, voluptas ea corrupere, post paullo imminuta opes, denique ademptum imperium, postremo servitus imposita est.* Nescio sane, num dicere ausim, Imperia futura fuisse perpetua, si voluntas in Principibus semper potentiæ sese accommodasset, potentia rationi, ratio eventibus.

Quare cum in inclinationibus Imperiorum locum aliquem prudentia habeat, & humanum consilium, caussas earundem facile licebit describere. Vniversales, quæ complectuntur regna omnia, seu successione, seu electione, seu armis parta, plurimæ sunt; ad quatuor tamen fontes reduci omnes poterunt, è quibus oriuntur reliquæ, haud secus atque in mundi horizonte è quatuor ventis cardinalibus multi alii nascuntur collaterales. Caussæ istæ sunt Religio, Honor, Vita, & Fortunæ. Pro rebus hisce conservandis societas inter homines civilis instituta fuit, & subjecit se populus gubernationi aut unius, aut paucorum, aut plurium; quoties vero videt, unum aliquod illorum quatuor inique pati, seditionem concitat, & regiminis formam immutat. De illis igitur, quantũ pro præsenti opere satis est, breviter aliquid attingemus.

Reli-

a *Per me Reges regnant, & legum conditores justa decernunt.* Pro. 8. 15.

b Salust.

Religio, tametsi Reipublicæ vinculum sit (ut alibi diximus) præcipua tamen est, quæ eam dissolvit, & varias in eandem inducit gubernationis formas, quia concordia & pax inter eos esse nequit, qui diversimode de Deo loquuntur & sentiunt. Etenim si diversitas in moribus & lineamentis corporum animos sibi invicem contrarios efficit, quid faciet affectus & fidelitas naturalis rerum omnium Conditori debita, & furiosus ille mentis ardor intelligendi ea, quæ tanti momenti sunt. Status alicujus ruina est, conscientiæ libertas. Clavus in oculis (quemadmodum Spiritus sanctus loquitur) & lancea in pectore sibi sunt invicem; qui in Religione *a* diffident. Obligationes subditorum erga Principes, fortissima quæque amicitiæ & sanguinis vincula rumpuntur & dissolvuntur, ut cultus sacer conservetur. Regem VVitericum manibus suis obtruncarunt subditi, quod Arrianam sectam conatus fuisset introducere: VVitizam item, quod ritus & cæremonias Religionis immutasset: *b* Galæcia adversus Regem suum Froilam arma sumpsit, quod conjugia Clericorum per abusum introducta sustulisset: simulatque Religionum diversitas Provincias Belgicas invasit, una incolæ à legitimi sui Regis ac Domini obedientia desciverunt.

§. Pari ratione honor, uti tuetur ac conservat Respublicas, easque ad fidelitatem obligat, ita quoque easdem perturbat, ut in offensa, in contemptu, in injuria ab infamia immunis sit, cum præsertim subditi honorem vitæ fortunisque communiter anteferre *c* soleant. Comes Iulianus Afros evocavit in Hispaniam, propterea quod Rex Rodericus Cavæ filiæ suæ honorem violasset. Castellæ Nobiles arma sumpserunt adversus Regem Alphonsum III, quia privilegia eorum evertere, & ad tributa exsolvenda eos adigere voluit. Ramirus Tertius Rex Legionis non alia de caussa subditos suos rebelles & infideles expertus est, quam quod aspere nimis & serviliter eos haberet. *d* *Multa conspirationes & invasiones in Monarchas propter pudendas contumelias in corpus illatas facta sunt.* *e* *Propter contemptum etiam seditiones fiunt*; idque sive Princeps despiciat subditos, sive hi Principem, quando dotibus & ornamentis Principe dignis instructus non est, judicantes nimirum, non nisi viles animos obedire ei, qui nec ipse imperare didicit, nec auctoritatem sibi parere; & gubernationis curam in postremis habet. Ita fecere subditi Regis Ioannis Primi Aragonii, eo quod nomen Regni & negotiorum curam abs se abjiceret: subditi item Ioannis Secundi Castellæ Regis, ob ejus flagitia, inconditos mores & exiguam aucto-

a Erunt vobis quasi clavi in oculis, & lancea in lateribus, & adversabuntur vobis in terra habitationis vestræ. Num. 33. 55.

b Mar. hist. Hisp. lib. 7. cap. 6.

c Honor quoque quantum valeat, & quomodo sit caussa seditionis, manifestum est. Arist. lib. 5. Polit. c. 3.

d Arist. lib. 5. Polit. c. 10.

e Idem l. 5. Polit. c. 3.

auctoritatem; uti & subditi Alphonsi Quinti Lusitaniæ Regis, quod se ab aliis gubernari pateretur. Nec minus injuriam & defectum interpretantur subditi si ab exteris mandata accipiant, aut inter eosdem distribuantur dignitates & munera: nam (ut Rex *a* Henricus aiebat) *isthuc nihil aliud est, quam palam ostendere, deesse in regnis nostris viros dignos & habiles.* Id quod temporibus Caroli V. Imperatoris Castellæ motibus ansam dedit. Idem accidit, quando honorum partitio minus recte instituitur: *b nam multitudo quidem graviter fert inæqualitatem patrimoniorum, præstantes autem viri bonorum inæqualitatem*, & pro contemptu habent, quod alii minus de Republica benemeriti iis *c* præferantur.

Maxima Reipublicæ infirmitas est incontinentia & lascivia eorum, qui præsunt. Hinc seditiones nascuntur, Regnorum immutationes, & ruinæ Principum, quia multorum honorem tangunt, & severissimis pœnis à Deo castigantur. Vnica turpitudo per multa sæcula Hispaniam cineribus obruit. Propter illam plagæ ingentes *d* Ægyptum exercuerunt; ob eandem magnis cum ærumnis tum Davidem ipsum, tum ejus *e* posteros, diu multumque conflictari oportuit, ita ut plerique omnes in perpetua vixerint persecutione, & gladio interierint.

Non minus periculi in Republica ex eo est, si multi ab officiis excludantur: *f cum enim multitudo inopum est in civitate, eademque ab honoribus exclusa, necesse est eam civitatem esse plenam hostium Reipublicæ*; nec ullus homo tam ignavus est, qui honori non incumbat, aut isto se privari non graviter *g* sentiat, idem periculum subeunt Respublicæ, in quibus certus solum numerus è Nobilitate gaudet Magistratu, exclusis aliis.

§. Tertia caussa immutationum & seditionum in Regnis est amor conservandæ vitæ, quando nimirum subditi Principem suum tam ignavum & vecordem esse credunt, ut vitam suorum defendere ac tueri non possit; ut alias eum odio habent ob severitatem, ut Regem Alphonsum Decimum; aut ob crudelitatem, ut Regem Petrum; aut existimant injustum esse, & ingenio tyrannico, in cujus manibus vita omnium periclitetur, uti Regem Ordonium, *h* ob trucidatos, & male habitos Castellæ Comites, unde totius regiminis immutatio ortum habuit.

§. Vltima caussa bona & fortu-

a L.14.tt.3.lib.2.Recop.

b Arist. l.2. Polit.

c Nam homines tum, quod ipsi inhonorati fiant, movent seditiones, tum quod alios videant in honore. Arist. l.5. Polit. c.3.

d Flagellavit autem Dominus Pharaonem plagis maximis, & domum ejus, propter Sarai uxorem Abram. Gen.12. 17.

e Non recedet gladius de domo tua usque in sempiternum, eo quod despexeris me, & tuleris uxorem Vriæ. 2. Reg.12. 10.

f Arist. lib.3. Polit.c.7.

g Honori incumbit tam ignavus, quam bonus. Arist.l.2. Pol.c.5.

h Mar. hist. Hisp. l. 9. c.8.

fortunæ sunt, si nimirum Princeps subditorum facultates leviter consumat; quæ caussa fuit, cur Garcias Galæciæ a Rex Regno pariter ac vita exutus sit. Aut si reditus regios inutiliter prodigat, quã rationem Ramo prætendit, cum fratrem suum germanum Sanctium Navarræ Regem interimeret. Aut si ipse in omnem aviditatem pronus sit, quemadmodum Rex Alphonsus Sapiens. Aut si ob malam gubernationem Respublica laboret annonæ inopia, si rerum pretium accendatur, si cessent mercaturæ, & negotiationes, id quod eundem Regem Alphonsum invisum reddidit. Aut si moneta proba non sit, uti temporibus Regis Petri Aragonii Secundi, multorumque aliorum Regum accidit; aut munera prodigua, & opes male distribuantur: invidia enim & necessitas contra locupletiores arma sumunt, & seditiones b excitant. Quæ oriri etiam solent ex mala administratione justitiæ, ex hibernatione militum, aliisque oneribus; quibus subditorum reditus, & bona graviter onerant.

§. Præter caussas istas universales & communes; alia quoque sunt unicuique è tribus supra allatis gubernandi formis peculiares ac propriæ, quas facile colligere licebit ex iis, quæ pro iisdem conservandis attulimus in medium: nam c *illud dubitari non potest, quin cognitis iis quæ Reipublicæ interitum important, ea quoque quæ salutem afferunt, intelligantur, cum contraria contrariorum sint efficientia.* Non possum tamen, quin ea de re adjiciam aliquid, etsi forte periculum sit, ne quædam aliàs à me dicta hic repetam.

§. Status hæreditarii tunc perire solent, cum in iis omnino acquiescit Successoris cura, præsertim si potentes ii sint; illa ipsa enim amplitudo securum eum efficit & minus sollicitum, tanquam qui omne spernat periculum, & anceps in suis consiliis hæreat, ac res magnas exequi pertimescat, ne quietam illam possessionem qua fruitur, forte interturbet. Damna prævertere negligit, sed tum primum parat remedia cum illa jam evenere, quo tempore sumptuosiora ea sunt, & minus d efficacia; audere aliquid, periculum æstimat, & pacem procurando per incerta quædam & indecora media, bellum iisdem accersit, ut quibus conservare se cogitabat, seipsum nunc pessundet. In isto discrimine versantur Monarchiæ, quæ dum quietem sectantur, in turbas & motus incidunt. Sistere volunt, & labuntur. Dum laborare desinunt, languere incipiunt. Omnia ista belle adumbravit illa Ezechielis visio quatuor animalium alatorum, symboli Principum & Monarchiarum, e quæ *cum ambularent, quasi sonus erat multitudinis, ut sonus castrorum; cumque starent, demitteban-*

a Mar. Hist. Hisp. l. 8. cap. 8.

b *Insuper seditiones oriuntur non solum ob patrimoniorum, verum etiam ob honorum inæqualitates.* Arist. l. 2. polit. c. 5.

c Arist. l. 5. polit. c. 8.

d *Tardiora sunt remedia, quam mala.* Tac. in vita Agric.

e Ezech. 1. 24.

tebantur penna eorum. Verum ad se conservandum necesse non est, ut novas semper ditiones suis adjiciant: hoc enim infinitum foret, & tandem in injustitiam & tyrannidem vergeret. Satis se tueri poterit Status aliquis in circuli sui circumferentia, ita tamen, ut intra illius septa suam agendi vim retineat, & robur exerceat, easque ipsas artes, quibus ad tantam magnitudinem pervenire contigit. Aquæ intra suum motum se conservant, is si desit, vitium capiunt; necessarium tamen non est, ut fluant, sufficit, si intra semetipsas moveantur, ut in lacubus & stagnis accidit sola ventorum vi agitatis. Sic Monarchiæ, in quibus viget disciplina, quæque adversus occasionem omnem munitæ sunt, diutius perdurant, licet aliena non invadant. Etiam absque bello militares exercitationes frequentari possunt. Ita pacis tempore artes istas Cajus Cassius fovebat, *a & quantum sine bello dabatur, revocabat priscum morem, exercitabat legiones, cura, provisu agebat perinde, ac si hostis ingrueret* Si Principi armorum desit exercitium, non ideo tamen pacis otio torpescat omnino, sed in ea etiam gloriosum aliquid moliatur, quod opinionem sustineat. Augustus in Imperii sui tranquillitate animum suū igneum cineribus sopiri minime passus est; quin immo cum ut homine agere illi non liceret, tanquam Deus aliquis majora aggressus est componendo cælestium orbium motus, corrigendo menses, & leges dando tempori. In eum finem Rex Philippus Secundus admirandam illam Escurialis fabricam construxit, qua in re ipsam etiam Naturam artificio superare conatus est, & universo orbi animi sui suæque pietatis magnitudinem ostendere.

5. Sed & Regna hæreditaria in periculo sunt, quando qui succedit, moribus institutisque Majorum neglectis, subditorum servitutem & subjectionem à Natura esse existimat, & immemor ab illis ipsis suam proficisci amplitudinem, eos spernit, tanquam si mancipia forent, magisque bonum privatum præ oculis habet, & ut suas expleat cupiditates, quam bonum publicum, dominatione jam in tyrannidem *b* conversa; unde existimatio Principis perit apud populum, amor in odium vertitur, multaque alia fiunt, quibus discinditur reciproca illa unio, qua Rex & Regnum *c* colligantur inter se; dum hic paret, ille imperat, beneficio quasi mutuo, quod ab invicem accipiunt, Rex quidem splendorem illum & imperandi auctoritatem; Regnum vero felicitatem bene institutæ gubernationis. Absq; hoc vinculo mutuo hæreditarii status aut pereunt, aut in aliam transeunt formam: nam Princeps, qui despici se videt, & omnibus esse odio, sibi metuit, à metu autem crudelitas, ex hac deniq; tyrannis nasci-

a Tac. l. 12. Annal.

b *Alia tyrannides ex Regibus, qui moribus institutisque Majorum violatis, imperia magis concupierunt.* Arist. lib. 5. Polit. c. 10.

c *Nam si non volentibus imperet, protinus desinit esse Regnum.* Idem ib.

nascitur; quam quia potentiores ferre non sustinent, conjurant adversus ejusmodi Principem, & plebe opitulante eum sceptro exuunt: unde porro fit, ut populus illis ipsis, utpote quibus libertatem suam tum acceptam fert, gubernacula committat, introducaturque Aristocratia, in qua Optimates imperant. Attamen ne tum quidem Monarchiæ incommoda vitari poterunt: cum enim eorundem filii succedant postea, ideoque Magistratus & dominatio fiant hæreditaria, facile iis abutuntur, ad utilitatem & commodum proprium in administranda Repub. omnia referendo; è quo illud deinde fit, ut populus inique & per tyrannidem opprimi se ab iis videns, sceptrum iisdem extorqueat è manibus, malintque imperare omnes, perinde quasi major sit libertas Democratiæ; in qua cum æqualitas servari nequeat, invalescunt insolentia atque injustitia, & exoriuntur seditiones ac tumultus, quorum confusio ac damna tanta sæpe sunt, ut tolerabilius omnes existiment, si penes unum solum sit Imperium, atque ita ad Monarchiam tandem, à qua primum recesserant, fit regressio. Istiusmodi circulum committere solent Respublicæ, in quo non raro accidit, ut omnem omnino libertatem amittant, dum nimirum status aliquis vicinus & potens inquietudinis illius occasione utitur, ad debellandas eas & subjugandas.

5. Imperia electiva, aut certe subditorum erga Principem affectus tum pereunt, cum Principis electi facinora non respondent conceptæ opinioni; deprehenso nimirum electionis errore ex inani meritorum præsumptione. Multi enim sunt, qui ad gubernandum videntur idonei, antequam ad gubernacula admoveantur, uti in Galba accidit, a qui *omnium consensu capax Imperii* habebatur, *nisi imperasset.* Qui electioni non subscripsere, nunquam ab electo satis securi sunt, quin potius metus iste, in caussa est, ut mutationem exoptent & moliantur. Si illi vero, qui sua dedere suffragia, tantum sibi de ejus favore fuerunt polliciti, ut postquam spe sua frustrari se vident, vivant inquieti & conquerantur: neque enim fieri poterit, ut Princeps satisfaciat omnibus; taceo ipsam etiam humanam gratitudinem paullatim fatigari, dum amplitudinis & fortunæ suæ instrumenta assidue ante oculos habet, eosque tanquam illius creditores aversatur. Subditi mutationibus electionis assueti: easdem amant, semperque sibi persuadent, Principem alium novum fore meliorem. Qui in electione suffragii jus habent, tanto tempore suspendi, & quasi emori dolent suam eligendi potestatem, unde eorum existimatio dependet. Electus efferens sese dominandi libidine, Imperii sui fines latius propagare contendit, violat juramenta, conditiones & pacta, cum quibus ad sceptrum asscitus fuerat, & spretis Regni incolis (si alienigena sit) alios suæ Na-

a Tacit. lib. 1. Histor.

Nationis muneribus præficit, suæ familiæ homines evehere satagit; qua in re subditorum incurrit odium, & ruinæ suæ ansam præbet: omnes enim ab exteris regi grave ducunt. Ieremias certe pro tristi nuntio illud in *a* Ierusalem habuit.

§. Imperia quoque armis parta diu florere haud solent: deliciis enim illud animorum robur flaccescit sensim, & eliditur Felicitas, consilia impedit, ipsosque Principes ita abripit, ut ea nunc media negligant, quibus ad illam fortunam pervenerunt. b *Illud clarum, testatumque exemplis est, quod homines felicitatem assequantur benignitate in alios, & bona de se opinione. Iidem cum adepti, qua voluerant, ad injurias & impotentiam in imperiis dilabuntur, fit meritissimo, ut una cum imperantium mutatione ipsi subditi se & affectus mutent.* Hæc caussa fuit, cur Carthaginenses ex Hispania ejecti fuerint, quia nimirum non adverterant, artibus iisdem, quibus acquiruntur Status, eos etiam conservari oportere: qua de re magis soliciti esse solent ii, qui primi ejusmodi Provincias armis subegerunt, quam eorundem Successores: illi enim omne animi & ingenii sui robur ad eas acquirendas tuendasque contulerunt; contra vero hos ipsa successio negligentes ea in re & minus sollicitos efficit.

a *Ecce auditum in Ierusalem, custodes venire de terra longinqua, & dare super civitates Iuda vocem suam.* Ierem. 4. 16.

b Polyb.

c Vnde fit ut *qui occuparunt Imperia, eorum plerique eadem retinuerint; qui vero tradita ab aliis accepere, hi statim fere omnes amiserint.* d Spiritus sancti oraculum est, *Regna de gente in gentem transferri propter injustitias, & injurias, & contumelias, & diversos dolos.*

Concludo præsentem materiam duobus documentis: primum est, e quod *conservantur Respublica non solum, quia procul sunt ab iis, qua interitum afferunt, sed etiam quia prope sunt. Nam timor intentiore cura Reipublica consulere cogit.* Alterum est, quod & in ipso Principe, & in corpore Reipublicæ f *maxime omnium quod exiguum est, caveri debeat. Detrimentum enim latenter obrepit, quia non totum simul contrahitur*; at postquam invaluerit, remedium non admittit. Minimus etiam vermiculus cedri medullam paullatim exedit, & eam denique humi sternit. Navem secundissimis impulsam ventis una sistit Echæneis: quanto velocitas illius major est & vehementior, tanto facilius in scopulos allisa dissolvitur. Levissima damna Romanam Monarchiam everterunt. Plus interdum creat periculi levis aliqua humorum intemperies, quam gravis infirmitas, quia illa fere negligitur, huic vero gnaviter paratur remedium. De febri curanda mox sumus solliciti; at de defluxione aliqua in pectus decidente perparum laboramus: unde tamen morbi graviores nasci solent. SYM-

c Arist. lib. 5. Polit. c. 9.
d Eccles. 10. 8.
e Arist. l. 5. Polit. c. 8.
f Idem ibid.

SYMBOLVM LXI.



DEcachordum (instrumentum Musicum) perfectam format Aristocratiam constantem ex Monarchico imperio & Democratico. Intelligentia præsidet, imperant plures digiti, paret vero nervorum multitudo; quasi populus quidam, qui attemperati sunt omnes inter se & concordes in harmonia, non particulari & privata, sed communi & publica, ita ut majores à minoribus minime dissonent. Decachordo similis est Respub. aliqua, in qua longus rerum usus & experientia alios præesse voluit, obedire

alios,

alios, sancivit leges, constituit Magistratus, distinxit officia, certos præscripsit imperandi modos ac formas, & apud Nationes omnes eum instituit Reipublicæ ordinem, qui naturæ cujusque maxime conformis esset & consentaneus. Vnde fit, ut antiqua illa dispositio sine periculo immutari haud possit. Decachordum illud Regnorum & Rerumpublicarum cum omnibus suis partibus jam constitutum est, nervi omnes contemperati inter se, & suis quique locis dispositi; & tametsi forte cuipiam videatur, unum aliter immutatum meliorem fore; plùs tamen semper tribuendum prudentiæ & considerationi Majorum, quos longus usus & experientia edocuit: rationes enim ac modi gubernandi, licet quædam habeant incommoda, minori tamen fere cum detrimento tolerari solent, quam innovari. Princeps aliquis prudens nervos attemperat, prout dispositi ipsi sunt, non eos immutat omnino, nisi forte temporis diuturnitate, aut aliis de caussis tantopere disturbati ii sint, ut plane à fine suo primo deficiant, quemadmodum alibi dicimus. Oportet igitur, ut Princeps Imperii sui decachordum bene accurateque perspectum habeat, Majestatem item, quæ illud comitatur, naturam denique, conditionem & ingenium tam populi, quam aulicorum, quæ præcipui illius nervi sunt. Nam ut recte dicit Rex Alphonsus Sapiens in quadam sua lege: a *Saber conozer los Omes, es una de las cosas, de que el Rey mas se debe trabajar, ca pues que con ellos ha de fazer todos sus fechos, menester es, que los conozca bien.* In hoc potissimum gubernandi artificium consistit.

b *Principis est virtus maxima, nosse suos,*

Qui in ea scientia plus profecerunt, majori cum facilitate suos rexerunt Status. Multi ad Regnorum decachordum manum admovent, pauci digitis nervos apte norunt impellere, rarissime naturam illius rite cognoscunt, & eo scite canunt.

Illud igitur sciat Princeps Regnum nihil esse aliud, quam multarum civitatum populorumque quandam unionem, & consensionem communem in unius alicujus imperium & obedientiam aliorum, quam ambitio suasit & vis. Concordia illud primum erexit, idem porro conservat concordia. Iustitia & clementia vitam ei tribuunt. Cura est alienæ salutis. Spiritus ejus in unitate Religionis consistit. Ex iisdem partibus, quibus constat, conservatio ejus dependet, augmentum item, aut ruina. Consortem ferre & in ipso magis, quam in ulla re, fortunæ triumphat inconstantia. Æmulationi & invidiæ obnoxium est. Plus illi periculi à rebus secundis, quam adversis imminet: in illis enim sui quasi oblitum vivit securius, per securitatem in superbiam erigitur, per superbiam in interitum ruit. Si novum sit, facile iterum dissolvitur; si antiquum, ne sic quidem omnino

a L. 13. tt. 5. p. 2.

b Mar.

nino firmum est. Non minus in perpetua pace periclitatur, ac in bello. Si armis alienis infestum non sit, se ipso collabitur, & ubi semel ruere cœperit, sustinere se non potest. Inter summum ejus fastigium & præcipitium nihil pene interjicitur temporis. Æmulationibus nunc defenditur, nunc offenditur. Si exiguum valde sit, tueri se nequit, si grande admodum, regere seipsum nescit. Arri magis patet, quam violentiæ. Amat novitates, & in his ruinam suam reperit. Virtus salus illius est, vitium infirmitas. Labor illud erigit, dejicit otium. Munimentis & fœderibus roboratur, & legibus stabilitur. Magistratus pro corde illi est, consilia sunt pro oculis, pro brachiis arma, pro pedibus opes.

§. Istud Regni Decachordum Majestas comitatur, quæ est quædam harmonia è populi chordis orta & à *a* cœlo approbata. Repræsentatio quædam potestatis, & splendor supremæ jurisdictionis. Vis quædam, quæ auctoritatem & obedientiam sibi conciliat. Custodia & salus est Principatus. Opinio & fama esse suum illi tribuunt; amor securitatem; metus auctoritatem; ostentatio amplitudinem; cæremonia reverentiam; severitas observantiam; pompa existimationem. Quanto magis hominum fugit frequentiam, tanto magis in veneratione est. Contemptu & odio in discrimen venit. Nec æqualitatem fert, nec divisionem, quia in admiratione & unitate est posita. In utraque fortuna constantiam servat: roborat eam cultus; fovent arma & leges. Nec durat in elatione, nec in demissione animi concidit. Vitam illi prudentia & beneficentia tribuunt, eripiunt impetus & vitium.

§. Chordarum vulgus Decachordi istius populus est, cujus natura monstro per omnia similis, dissimilis à seipsa est inconstans & varia. Exteriori rerum facie capitur, interiora non penetrat. Rumorem in consilium adhibet. Sic à mediis & ratione derelictus, ut verum à falso discernere nequeat. In deteriora semper pronus. Vna eademque hora duos contrarios inter se induit affectus. His potius duci se sinit, quam ratione; magis impetu quam prudentia, umbra potius, quam veritate. Pœnis & castigationibus domari potest. In adulationibus difformis est & varius, laudes veras falsis commiscens. Medium tenere nescit: aut extrema amat, aut odit; aut summe gratus est, aut ingratus; aut pavet, aut terret, dum vero pavet, secure spernitur. Periculis levioribus proxime imminentibus perturbatur; grandioribus, si longinqua sint, nihil omnino terretur. Aut abjecto servit animo, aut cum superbia imperat. Nec ipse liber esse didicit, nec esse sinit alios. Minis audax est, re ipsa & opere pusillanimis ac vecors. Levibus de caussis commovetur, & cito rursum componitur. Sequitur, non ducit. Erga omnes co-

a *Vivit Dominus, qui firmavit me, & collocavit me super solium David Patris mei.* 3. Reg. 2, 24.

eodem modo se gerit. Facilius cogi se finit, quam persuaderi. Rebus prospere fluentibus arrogans est & impius; in fortuna adversa pavidus & religiosus. Tam ad crudelitatem proclivis, quam ad misericordiam. Eodem animi ardore, quo uni favet, persequitur alium. Clementia nimia abutitur ad licentiam, rigore nimio in perniciem it præceps. Si effrænatius semel in bonos invaserit, nec ratio, nec pudor eum retrahit. Rumores fovet confingitque, & sua credulitate famæ vires addit. Paucorum sermones negligit, voces multorum sequitur. Eventus malos malitiæ Magistratus tribuit, & calamitates communes delictis Principis. Nihil magis eum obsequentem reddit, quam annonæ & rerum omnium ubertas, in qua curas suas omnes & cogitationes defixas habet. Rei privatæ studio, aut honoris læsione leviter commovetur. Oneribus pressus concidit, allevatus recalcitrat. Amat ingenia præfervida & temeraria, rationem item gubernandi ambitiosam & turbulentam. Nunquam acquiescit præsenti rerum statui, mutationis semper & novitatis appetens. Virtutes aut vitia eorum, qui præsunt, imitatur. Locupletibus & potentioribus invidet, & insidias machinatur. Ludos aliaque oblectamenta diligit, neque ulla alia re magis, quam istis, animus illius & gratia conciliari potest. In Religione superstitiosus est, & Sacerdotibus paret potius, quam suis Principibus. Hæ præcipue conditiones affectionesque sunt multitudinis. Illud tamen sibi Princeps persuadeat, nullam esse communitatem, aut tam amplum consilium, quantumvis grave sit, & Virorum selectorum, in quo vulgus aliquod non sit, quodque non in multis cum populari conveniat.

§. Alia etiam Decachordi istius Musici pars, nec minus principalis est aula; cujus nervos nisi magna cum prudentia & dexteritate Princeps impellere noverit, totius gubernationis harmoniam disturbabunt: quare ut bene ii semper attemperati permaneant, illius etiam naturam nosse oportebit. Est igitur aula præsumptuosa & varia. Ad momenta singula Chamæleontis instar suos mutat colores, pro eo, ac fortuna prospera, aut adversa aspirat. Tametsi una & communis omnium lingua sit, non æque tamen omnes eam intelligunt. Principem nascentem veneratur ac colit, occasui proximum minime curat. Actiones illius observat & carpit. Moribus ejus sese accommodat, & errores imitatur. Retibus adulationis assidue illius venatur gratiam. Nunquam non intenta in ambitionem & privatum commodum. Mendaciis alitur, & veritatem odio habet. Malum temere credit, difficillime id quod bonum est. Amans mutationum & novitatum. Omnia timet, & diffidit in omnibus. Superba & arrogans in jubendo, in obediendo abjecta & humilis. Invida tum erga se ipsam & domesticos, tum erga eos, qui extra degunt. In dissimulandis celandisque suis studiis mirum in modum artificiosa. Odium

risu & cæremoniis contegit. Laudat palam, clam vituperat. Sui ipsius hostis est. In iis, quæ foris incurrunt in oculos, vana; in promissis, levis.

§. Cognito igitur isthoc gubernationis instrumento, nervorum item illius natura & concordia, oportet Principem tali cum prudentia eos pellere digitis, ut ne disparem reddant sonum: qua in re opus est, certam servare mensuram & tempus, nec magis uni favere nervo, quam alteri, in iis, quæ ad concentum & harmoniam efficiendam pertinent; aut aliorum oblivisci: omnes enim in instrumento musico Reip. munus suum habent, licet inæquales sint inter se, & facile dissonent. Quæ vocum discordia tum periculosior erit, si Princeps amplam nimis potestatem concesserit Magistratibus; si nimium plebi faventem se exhibuerit, aut spreverit Nobilitatem; si justitiam administraverit aliquibus, aliis non item; si armorum literarumque officia confuderit. Si denique non probe intellexerit, Majestatem sustentari auctoritate, regnum amore; aulam gravitate; nobilitatem existimatione; populum ubertate; justitiam æqualitate; leges metu; arma præmio; potentiam parsimonia; bellum opibus, & Pacem opinione.

§. Vnumquodque Regnum instrumentum est ab aliis natura & nervorum (qui sunt ipsi subditi) dispositione diversum, adeoque à diversa manu, & modo diverso regi & impelli debent. Regnum aliquod decachordi instar est, quod non solum mollitie extremorum digitorum indiget, sed unguium etiam duritie. Aliud organo musico simile videtur, in quo ambabus opus est manibus, ut earum pondere vocum symphonia exprimatur. Aliud tam delicatum est, uti cythara, quæ non fert ipsos digitos, sed levi pulsata calamo, tum demum suaviter resonat. In eo igitur Princeps elaboret, ut ista Regnorum suorum instrumenta & subditorum nervos bene habeat perspectos & contemperatos inter se, caveatque (quod & in ipso Deo observavit a Chrysostomus) ne severitate aliqua, aut cupiditate nimis adducat claviculos: nam nervus etiam probatissimus, si nimium intensus non rumpitur, omnium tamen turbat concordiam, & modulationis suavitatem impedit.

a *Neque nervum intendit, neque remisit ultra modum, ne harmonia concentum lædat.* Chryſ.

SYMBOLVM LXII.

APES, quibus plurimum Natura ingenii & industriæ tribuit, artificium suum construendi favos callide contegunt. Fervet opus, & nemo œconomiam earundem & statum penetrare potest: quod si quis curiosius interdum, efformato alveari vitreo, eum velit introspicere, undique cera illud obducunt, ut ne actionum suarum domesticarum testes & spectatores habeant. O prudentem Rempublicam, mundi Magistram! jam dudũ in animantes omnes supremum teneres

Impe-



Imperium, si quemadmodum tibi Natura pro tua conservatione suggessit media, ita vires quoque pro incremento tuo suppeditasset. Discant à te omnes aliæ, quanti ad felicitatem publicam intersit occultum aliquod silentium, & secretum tacitum in rebus agendis statuendisve, quantumq; noceat, si detegatur artificium & prodantur in apertum regulæ gubernationis, negotiationes & tractatus, consilia ac fines, mala & infirmitates interiores Reipublicæ. Si hanc apum prudentiam considerasset cum animo suo Drusus Tribunus, cum Architectus ei polliceretur, ita se ædium fenestras dispositurum, ut nemini per eas introspicere liceret, non hunc in modum respondisset: a *Tu*

a Vell. Pater. lib. 2.

vero, si quid in te artis est, ita compone domum meam, ut quidquid agam, ab omnibus perspici possit. Arrogantia hæc fuit animi aperti & ingenui, aut confidentia hominis privati, non Ministri alicujus publici, neque Principis, in cujus palatio necesse est, quidam secessus sint ab arbitris remoti, ubi extra aliorum conspectum deliberetur de negotiis ac decernatur. Consilium tanquam *a* mysterium non nisi cum paucis communicandum. *b* Deo ejusdem Præsidi (quem Consum dicebant) Roma aras quondam erexit, sed subterraneas, ut indicaret, consilia occulta esse debere. Cujus etiam secreti beneficio in tantam illa crevit amplitudinem, diuque salva constitit; illud scilicet pro comperto habens, c *taciturnitatem optimum atque tutissimum rerum administrandarum esse vinculum.* Erat Senatui illi tam fidum profundumque pectus, ut ejus consultationes, & quæ secreto statuerat, nunquam palam eruperint: multis sæculis ne unus quidem Senator fuit, qui ea proderet: universi ac singuli aures habebant ad audiendum; linguam nemo, ut loqueretur. Nescio profecto, num idem de Monarchiis & Rebuspub. præsentibus dici possit. Quod heri in earum consiliis actitatum fuit, hodie narratur inter muliercularum subsellia, quarum blanditiis (contra ac præcepit Michæas *d* Propheta) facile arcana sua pandunt mariti, illæ vero vicissim aliis; quomodo in secreto illo accidit, quod *e Maximus uxori suæ Martiæ aperuit, illa Liviæ.* Per ejusmodi canales mox secreta illa etiam ad Legatos Principum permanant, à quorum observatione nemo quisquam immunis est. Publici exploratores sunt, urinatores, qui in profundum se demittunt. Prudens illa Respublica, quæ ad diuturnam commorationem illos non admittit. Noxii magis sunt, quam proficui tranquillitati publicæ: plura excitarunt bella, quam paces composuerunt: semper alvearia fabricantur vitrea, ut per insidias queant inspicere, quid agatur in consiliis. Omni igitur ope elaboret Princeps, ut consiliorum suorum rimas omnes obstruat, ne per eas introspicere possit curiositas: nam si hostis illa penetret, facile iis it obviam, & contra sese armat; uti faciebat Germanicus, si quidem f *nihil Cæsari incognitum. Consilia, locos, prompta, occulta noverat, astusque hostium in perniciem ipsis vertebat.* Eandem ob caussam Sallustius Crispus quoque suasit Liviæ, g *ne arcana domus, ne consilia amicorum, ministeria militum vulgarentur.* Dum Samson aperuit Dalilæ, in quo robur suum *h* consisteret, una malitiæ occasionem præbuit, illudque *i* perdidit.

a *Habuit cum eis mysterium consilii sui.* Iudith. 2. 2.

b Rof. 2. Ant. Rom.

c Valer. Max. l. 2. c. 2.

d *Ab ea, quæ dormit in sinu tuo custodi claustra oris.* Mich. 7. 5.

e Tacit. lib. 1. Annal.

f Idem l. 2. Annal.

g Idem l. 1. Annal.

h *Si rasum fuerit caput meum, recedet à me fortitudo mea, & deficiam, eroque sicut cæteri homines.* Iudic. 16. 17.

i *Quia nunc mihi aperuit cor suum.* Ibid. v. 18.

didit. Consilia occulta omnes metu percellunt, & Principi auctoritatem pariunt; & licet non optime fundata ea sint, judicium tamen prudens facile postea rationes invenit, quibus ea bona fide tueri possit. Rueret omnis de Principibus & Rebuspub. concepta opinio, si intime penetrare liceret, quæ in secretioribus eorundem consiliis pertractantur. Gigantes sunt, qui proceros sese & potentes offerunt oculis, magisque perterrefaciunt, quam lædant: verum si metus eos agnoverit propius, videbit phantasticos esse, qui regantur ac sustententur ab hominibus non majoris staturę, quam sint cæteri. Imperia in consiliis & actionibus suis secreta in veneratione sunt, secus spernuntur ab omnibus. Quam aspectu jucundum est flumen *a* profundum, quam contra inamœnum, quod jacentes in fundo lapides & alvei muscū ostentat; illud pedibus transire nemo audet; hoc vadare volunt omnes. Res opinione magnæ conspectu vilescunt. b *Major è longinquo reverentia.* Propterea sapientissimus Deus, cum in monte Sinai de danda populo suo lege ejusque gubernatione conferret cum Moyse, supremum illius cacumen non igne solum, sed & densissima, *c* nube circumsepsit, ne quis per insidias eos observare posset, præcepitque sub pœna capitis, ne ullus vel ad radicem montis propius *d* accederet. En ipsius etiam Dei consultationes & mandata, tanquam mysteria in secessu secreta haberi oporruit. Quid igitur in humanis erit, cum nullum Sapientum sit consilium absque ignorantiis? quando consulta eorum vulgantur in publicum, diu multumque expensa videntur, & facta magno cum judicio. Majestatem & prudentiam Principis referunt, gravesque considerationes & caussas subesse credimus, quas mente assequi non possumus; immo multas interdum nos ipsi addimus, quæ Principi aut consiliariis ne in mentem quidem venerunt; verum si ipsam consultationem, fundamenta, & consilia coram audire licuisset, merito ea risissemus. Ita in theatris fieri assolet, ubi Actores belle personati in scenam prodeunt, & auctoritatem præ se ferunt; intus autem post siparium eorum nota est ignobilitas; omnia ibi permixta & confusa. Eam ob rem longe adhuc inconvenientius est, si gubernationis mysteria communicentur cum Exteris, quos suspectos habebat Rex *e* Henricus II. Et licet multi forsan fideles futuri sint, tutius tamen est, plane eos arcere à gubernaculis, aut ærarii communis administratione, præsertim quando subditi non sunt, aut æqualis conditionis, *ne* videlicet *f alieni Regni, quod*

a *Sicut aqua profunda, sic consilium in corde viri.* Prov. 20. 3.

b Tacit. l. 1. Annal.

c *Ecce cœperunt audiri tonitrua, ac micare fulgura, & nubes densissima operire montem.* Exod. 19. 16.

d *Cavete, ne ascendatis in montem, ne tangatis fines illius, omnis qui tetigerit montem, morte morietur.* Exod. 19. 12.

e L. 4. tt. 3. l. 1. Recop.

f L. mercatores, cap. de commer.

[illegible]

SYMB



Nihil melius utilius[illegible] mortalibus, prudente di[illegible] fidentia. Vitæ fortunarumqu[illegible]

perstimulare, ut ipsa suum regnandi desiderium proderet, adeoque suspecta Tiberio fieret.

Idem injuriæ quoque efficiunt, quæ claves sunt cordis. Secretissimus in cogitatis suis erat Tiberius, injuriæ tamen, quas ab Agrippina, accepit, f *raram occulti pectoris vocem elicuere, correptamque Græco versu admonuit: ideo lædi, quia non regnaret.*

Qui ut sua celet consilia, contraria omnia simulat, is demum intelligit, quid de iis sentiant alii; quo artificio idem Imperator Tiberius usus fuit, quando ut Senatorum animos pervestigaret, præ se tulit, quasi nollet admittere g Imperium.

Alia item astutia est, sensim & quasi per ambages in res abditas & secretas penetrare, laudando scilicet aut vituperando id, quod exploratum quis cuperet, & faciendo se delicti consortem, conciliare sibi fidem, aliumque inducere, ut mentem & opinionem suam aperiat. Hac via Latiaris deprædicando Germanicum, miserando Agrippinæ sortem, & Sejanum accusando, suam tantopere Sabino probavit fidelitatem, ut hic suum erga

f *Postea cognitum est, ad introspiciendas etiam procerum voluntates, inductam dubitationem.* Idem l. 1. Annal.

g *Simul honora de Germanico, Agrippinam miserans disserebat. Et postquam Sabinus, ut sunt molles in calamitate mortalium animi, effudit lacrymas, junxit questus; audentius jam onerat Sejanum, sævitiam, superbiam, spes ejus, ne in Tiberium quidem vitio abstinet. Iique sermones tanquam vetita miscuissent, speciem arctæ amicitiæ facere.*

non convenit, ſcrutentur arcana. Sed ita fere natura comparati ſumus, ut domeſtica aſpernemur, miremur aliena. Nullam putamus eſſe animi fortitudinem, ſcientiam nullam, nullum conſilium, niſi apud Exteros, nequicquam monente nos Spiritu Sancto: a *Admitte ad te alienigenam, & ſubverte te in turbine, & alienabit te à tuis propriis.*

Si Princeps voluerit, ut conſilia ſua ſecreta habeantur & tacita, taciturnitate ſua & prudentia in rebus ſuis celandis exemplo aliis præeat. Q. Metellum imitetur, quem dixiſſe aliquando accepimus (quod idem & Petrus Aragoniæ Rex ſolebat) b *Si hujus conſilii mei interiorem tunicam conſciam eſſe ſenſero, continuo eam cremari jubebo.* Enitatur peculiari ſtudio, ut animum ſuum occultum habeat: qui enim ſuæmet intentionis fuerit dominus, idem quoque præcipuum gubernandi inſtrumentum in ſua jam tenet poteſtate. Intellexit hoc quondam Tiberius, c cui *etiam in rebus, quas non occuleret, ſeu natura, ſive adſuetudine ſuſpenſa ſemper & obſcura verba: tunc vero*, cum de ſucceſſione ejus in Auguſti locum ageretur, vel maxime *nitebatur, ut ſenſus ſuos penitus abderet.* Secreta non cum Miniſtris omnibus communicanda ſunt, quantumvis fideles ii ſint, ſed illis duntaxat, ad quos illa aliqua ratione pertinent, aut quos abſque majori incommodo ea celare non licet. Dum Chriſtus ſuum quoddam à ſe patratum miraculum clam alios eſſe cuperet, tres ſolum Apoſtolos illius fecit conſcios, in omnibus enim ſecretum haud ſatis tutum d fuiſſet. Magna cura opus eſt, ut illud in arcano maneat: etſi enim in noſtra ſit poteſtate e facere, non tamen internus ille motus affectuum & paſſionum animi, aut celer ille verecundiæ ſanguis, qui in vultu & oculis prodit, quod in imo pectore latet f abditum. Subtiliori nimirum & traducenti chartæ animus ſimilis eſt, & foris legi poteſt, quod intus conſignatum. Sic ex illo Agrippinæ mors Britannici g *quamvis vultu premeretur, emicuit.* Noverant iſtud Tiberius & Auguſtus, nec putabant ſatis diſſimulare ſe poſſe gaudium, quo ex Germanici morte perfundebantur, adeoque in publico comparere auſi non h ſunt. Non ſola lingua in apertum profert, quod in corde ſervatur reconditum: plura alia dantur in homine non minus garrula, quam illa; ut ſunt amor, qui cum ignis quidam ſit, illuminat & pandit interiores pectoris receſſus: ira, quæ fervet & ſupereffluit: metus pœnæ: vis doloris: ſpes commodi proprii: honor, aut infamia; inanis gloria ex eo, quod jam animo concipitur, cupiens nimirum,

a Eccleſ. 11. 36.
b Val. Max.
c Tacit. l. 1. Annal.

d *Non permiſit intrare ſecum quenquam niſi Petrum, & Iacobum, & Ioannem.* Luc. 8. 51.
e *Si tam in noſtra poteſtate eſſet oblivisci, quam tacere.* Tacit. in vita Agric.
f *Quoniam nequitia in habitaculis eorum in medio eorum.* Pſalm. 54. 16.
g Tacit. l. 13. Annal.
h *Anne omnium oculis vultum eorum ſcrutantibus, falſi intelligeremur.* Idem l. 3. Annal.

mir-Ʒm, ut ante propaletur, quam mandetur executioni: mentis denique vacillatio aut ex vino immodice sumpto, aut alia aliqua de caussa. Nulla tanta est diligentia, quæ naturales illos exploratores queat fallere, quin immo quanto illa fuerit major, tanto magis hi sese in apertum produnt; quomodo Scevino accidit in conjuratione, quam moliebatur: a *ipse* enim *mœstus*, *& magna cogitationis manifestus erat*, *quamvis lætitiam vagis sermonibus simularet*. Et tametsi longo usu corrigi possit sensim Natura & institui, ut secretum custodiat arctius, uti *Octavia*, b *quamvis rudibus annis*, *dolorem*, *caritatem omnis affectus abscondere didicerat*, sicut & Nero, c *factus natura*, *& consuetudine exercitus*, *velare odium fallacibus blanditiis*; neque potest ars semper tam esse vigilans & attenta ad omnia, quin sui interdum obliviscatur, & motui naturali indulgeat, malitia præsertim irritante & impellente. Variis modis id fieri contingit, quos hic subjiciam, ut Princeps cavere sibi sciat, nec tam facile sinat quenquam in pectus sibi introspicere, & rimari ea, quæ intus latent recondita.

Solet igitur malitia astute humorem peccantem tangere, ut foras erumpat, & occulta animi sensa in lucem *d* proferat. Ita à Sejano e *Agrippinæ proximi*, *inliciebantur pravis sermonibus tumidos* ejus *spiritus perstimulare*, ut ipsa suum regnandi desiderium proderet, adeoque suspecta Tiberio fieret.

Idem injuriæ quoque efficiunt, quæ claves sunt cordis. Secretissimus in cogitatis suis erat Tiberius, injuriæ tamen, quas ab Agrippina, accepit, f *raram occulti pectoris vocem elicuere*, *correptamque Græco versu admonuit*: *ideo lædi*, *quia non regnaret*.

Qui ut sua celet consilia, contraria omnia simulat, is demum intelligit, quid de iis sentiant alii; quo artificio idem Imperator Tiberius usus fuit, quando ut Senatorum animos pervestigaret, præ se tulit, quasi nollet admittere g Imperium.

Alia item astutia est, sensim & quasi per ambages in res abditas & secretas penetrare, laudando scilicet aut vituperando id, quod exploratum quis cuperet, & faciendo se delicti consortem, conciliare sibi fidem, aliumque inducere, ut mentem & opinionem suam aperiat. Hac via Latiaris deprædicando Germanicum, miserando Agrippinæ sortem, & Sejanum accusando, suam tantopere Sabino probavit fidelitatem, ut hic suum erga Seja-

R 4

a Tacit. l. 13. Annal.
b Idem l. 13. Annal.
c Idem l. 14. Ann.
d *Qui pungit cor*, *profert sensum*. Eccles. 22. 24.
e Tacit. lib. 14. Annal.

f *Postea cognitum est*, *ad introspiciendas etiam procerum voluntates*, *inductam dubitationem*. Idem l. 1. Annal.

g *Simul honora de Germanico*, *Agrippinam miserans disserebat. Et postquam Sabinus*, *ut sunt molles in calamitate mortalium animi*, *effudit lacrymas*, *junxit questus*; *audentius jam onerat Sejanum*, *sævitiam*, *superbiam*, *spes ejus*, *ne in Tiberium quidem vitio abstinet. Iique sermones tanquam vetita miscuissent*, *speciem artæ amicitiæ facere*.

non convenit, scrutentur arcana. Sed ita fere natura comparati sumus, ut domestica aspernemur, miremur aliena. Nullam putamus esse animi fortitudinem, scientiam nullam, nullum consilium, nisi apud Exteros, nequicquam monente nos Spiritu Sancto: a *Admitte ad te alienigenam, & subverte te in turbine, & alienabit te à tuis propriis.*

Si Princeps voluerit, ut consilia sua secreta habeantur & tacita, taciturnitate sua & prudentia in rebus suis celandis exemplo aliis præeat. Q. Metellum imitetur, quem dixisse aliquando accepimus (quod idem & Petrus Aragoniæ Rex solebat) b *Si hujus consilii mei interiorem tunicam conscium esse sensero, continuo eam cremari jubebo.* Enitatur peculiari studio, ut animum suum occultum habeat: qui enim suæmet intentionis fuerit dominus, idem quoque præcipuum gubernandi instrumentum in sua jam tenet potestate. Intellexit hoc quondam Tiberius, c cui *etiam in rebus, quas non occuleret, seu natura, sive adsuetudine suspensa semper & obscura verba: tunc vero*, cum de successione ejus in Augusti locum ageretur, vel maxime *nitebatur, ut sensus suos penitus abderet.* Secreta non cum Ministris omnibus communicanda sunt, quantumvis fideles ii sint, sed illis duntaxat, ad quos illa aliqua ratione pertinent, aut quos absque majori incommodo ea celare non licet. Dum Christus suum quoddam à se patratum miraculum clam alios esse cuperet, tres solum Apostolos illius fecit conscios, in omnibus enim secretum haud satis tutum d fuisset. Magna cura opus est, ut illud in arcano maneat: etsi enim in nostra sit potestate e facere, non tamen internus ille motus affectuum & passionum animi, aut celer ille verecundiæ sanguis, qui in vultu & oculis prodit, quod in imo pectore latet f abditum. Subtiliori nimirum & traducenti chartæ animus similis est, & foris legi potest, quod intus consignatum. Sic ex illo Agrippinæ mors Britannici g *quamvis vultu premeretur, emicuit.* Noverant istud Tiberius & Augustus, nec putabant satis dissimulare se posse gaudium, quo ex Germanici morte perfundebantur, adeoque in publico comparere ausi non h sunt. Non sola lingua in apertum profert, quod in corde servatur reconditum: plura alia dantur in homine non minus garrula, quam illa; ut sunt amor, qui cum ignis quidam sit, illuminat & pandit interiores pectoris recessus: ira, quæ fervet & supereffluit: metus pœnæ: vis doloris: spes commodi proprii: honor, aut infamia; inanis gloria ex eo, quod jam animo concipitur, cupiens nimirum,

a Eccles. 11. 36.
b Val. Max.
c Tacit. l. 1. Annal.

d *Non permisit intrare secum quenquam nisi Petrum, & Iacobum, & Ioannem.* Luc. 8. 51.
e *Si tam in nostra potestate esset oblivisci, quam tacere.* Tacit. in vita Agric.
f *Quoniam nequitia in habitaculis eorum in medio eorum.* Psalm. 54. 16.
g Tacit. l. 13. Annal.
h *Anne omnium oculis vultum eorum scrutantibus, falsi intelligeremur.* Idem l. 3. Annal.

mi... , ut ante propaletur, quam mandetur executioni: mentis denique vacillatio aut ex vino immodice sumpto, aut alia aliqua de caussa. Nulla tanta est diligentia, quæ naturales illos exploratores queat fallere, quin immo quanto illa fuerit major, tanto magis hi sese in apertum produnt; quomodo Scevino accidit in conjuratione, quam moliebatur: a *ipse enim mœstus, & magnæ cogitationis manifestus erat, quamvis lætitiam vagis sermonibus simularet*. Et tametsi longo usu corrigi possit sensim Natura & institui, ut secretum custodiat arctius, uti *Octavia*, b *quamvis rudibus annis, dolorem, caritatem omnis affectus abscondere didicerat*, sicut & Nero, c *factus natura, & consuetudine exercitus, velare odium fallacibus blanditiis*; neque potest ars semper tam esse vigilans & attenta ad omnia, quin sui interdum obliviscatur, & motui naturali indulgeat, malitia præsertim irritante & impellente. Variis modis id fieri contingit, quos hic subjiciam, ut Princeps cavere sibi sciat, nec tam facile sinat quenquam in pectus sibi introspicere, & rimari ea, quæ intus latent recondita.

Solet igitur malitia astute humorem peccantem tangere, ut foras erumpat, & occulta animi sensa in lucem d proferat. Ita à Sejano e *Agrippinæ proximi, inliciebantur pravis sermonibus tumidos* ejus *spiritus perstimulare*, ut ipsa suum regnandi desiderium proderet, adeoque suspecta Tiberio fieret.

Idem injuriæ quoque efficiunt, quæ claves sunt cordis. Secretissimus in cogitatis suis erat Tiberius, injuriæ tamen, quas ab Agrippina, accepit, f *raram occulti pectoris vocem elicuere, correptamque Græco versu admonuit: ideo lædi, quia non regnaret*.

Qui ut sua celet consilia, contraria omnia simulat, is demum intelligit, quid de iis sentiant alii; quo artificio idem Imperator Tiberius usus fuit, quando ut Senatorum animos pervestigaret, præ se tulit, quasi nollet admittere g Imperium.

Alia item astutia est, sensim & quasi per ambages in res abditas & secretas penetrare, laudando scilicet aut vituperando id, quod exploratum quis cuperet, & faciendo se delicti consortem, conciliare sibi fidem, aliumque inducere, ut mentem & opinionem suam aperiat. Hac via Latiaris deprædicando Germanicum, miserando Agrippinæ sortem, & Sejanum accusando, suam tantopere Sabino probavit fidelitatem, ut hic suum erga

a Tacit. l. 13. Annal.
b Idem l. 13. Annal.
c Idem l. 14. Ann.
d *Qui pungit cor, profert sensum.* Ecclesi. 22. 24.
e Tacit. lib. 14. Annal.

f *Postea cognitum est, ad introspiciendas etiam procerum voluntates, inductam dubitationem.* Idem l. 1. Annal.

g *Simul honora de Germanico, Agrippinam miserans disserebat. Et postquam Sabinus, ut sunt molles in calamitate mortalium animi, effudit lacrymas, junxit questus; audentius jam onerat Sejanum, sævitiam, superbiam, spes ejus, ne in Tiberium quidem vitio abstinet. Iique sermones tanquam vetita miscuissent, speciem arctæ amicitiæ facere.*

non convenit, scrutentur arcana. Sed ita fere natura comparati sumus, ut domestica aspernemur, miremur aliena. Nullam putamus esse animi fortitudinem, scientiam nullam, nullum consilium, nisi apud Exteros, nequicquam monente nos Spiritu Sancto: a *Admitte ad te alienigenam, & subverte te in turbine, & alienabit te à tuis propriis.*

Si Princeps voluerit, ut consilia sua secreta habeantur & tacita, taciturnitate sua & prudentia in rebus suis celandis exemplo aliis præeat. Q. Metellum imitetur, quem dixisse aliquando accepimus (quod idem & Petrus Aragoniæ Rex solebat) b *Si hujus consilii mei interiorem tunicam consciam esse sensero, continuo eam cremari jubebo.* Enitatur peculiari studio, ut animum suum occultum habeat: qui enim suæmet intentionis fuerit dominus, idem quoque præcipuum gubernandi instrumentum in sua jam tenet potestate. Intellexit hoc quondam Tiberius, c cui *etiam in rebus, quas non occuleret, seu natura, sive adsuetudine suspensa semper & obscura verba: tunc vero*, cum de successione ejus in Augusti locum ageretur, vel maxime *nitebatur, ut sensus suos penitus abderet.* Secreta non cum Ministris omnibus communicanda sunt, quantumvis fideles ii sint, sed illis duntaxat, ad quos illa aliqua ratione pertinent, aut quos absque majori incommodo ea celare non licet. Dum Christus suum quoddam à se patratum miraculum clam alios esse cuperet, tres solum Apostolos illius fecit conscios, in omnibus enim secretum haud satis tutum d fuisset. Magna cura opus est, ut illud in arcano maneat: etsi enim in nostra sit potestate e facere, non tamen internus ille motus affectuum & passionum animi, aut celer ille verecundiæ sanguis, qui in vultu & oculis prodit, quod in imo pectore latet f abditum. Subtiliori nimirum & traducenti chartæ animus similis est, & foris legi potest, quod intus consignatum. Sic ex illo Agrippinæ mors Britannici g *quamvis vultu premeretur, emicuit.* Noverant istud Tiberius & Augustus, nec putabant satis dissimulare se posse gaudium, quo ex Germanici morte perfundebantur, adeoque in publico comparere ausi non h sunt. Non sola lingua in apertum profert, quod in corde servatur reconditum: plura alia dantur in homine non minus garrula, quam illa; ut sunt amor, qui cum ignis quidam sit, illuminat & pandit interiores pectoris recessus: ira, quæ fervet & supereffluit: metus pœnæ: vis doloris: spes commodi proprii: honor, aut infamia; inanis gloria ex eo, quod jam animo concipitur, cupiens nimirum,

a Eccles. 11. 36.
b Val. Max.
c Tacit. l. 1. Annal.

d *Non permisit intrare secum quenquam nisi Petrum, & Iacobum, & Ioannem.* Luc. 8. 51.
e *Si tam in nostra potestate esset oblivisci, quam tacere.* Tacit. in vita Agric.
f *Quoniam nequitia in habitaculis eorum in medio eorum.* Psalm. 54. 16.
g Tacit. l. 13. Annal.
h *Anne omnium oculis vultum eorum scrutantibus, falsi intelligeremur.* Idem l. 3. Annal.

mi... sim, ut ante propaletur, quam mandetur executioni: mentis denique vacillatio aut ex vino immodice sumpto, aut alia aliqua de caussa. Nulla tanta est diligentia, quæ naturales illos exploratores queat fallere, quin immo quanto illa fuerit major, tanto magis hi sese in apertum produnt; quomodo Scevino accidit in conjuratione, quam moliebatur: a *ipse* enim *mæstus*, *& magnæ cogitationis manifestus erat*, *quamvis lætitiam vagis sermonibus simularet*. Et tametsi longo usu corrigi possit sensim Natura & institui, ut secretum custodiat arctius, uti *Octavia*, b *quamvis rudibus annis, dolorem, caritatem omnis affectus abscondere didicerat*, sicut & Nero, c *factus natura, & consuetudine exercitus, velare odium fallacibus blanditiis*; neque potest ars semper tam esse vigilans & attenta ad omnia, quin sui interdum obliviscatur, & motui naturali indulgeat, malitia præsertim irritante & impellente. Variis modis id fieri contingit, quos hic subjiciam, ut Princeps cavere sibi sciat, nec tam facile sinat quenquam in pectus sibi introspicere, & rimari ea, quæ intus latent recondita.

Solet igitur malitia astute humorem peccantem tangere, ut foras erumpat, & occulta animi sensa in lucem d proferat. Ita à Sejano e *Agrippinæ proximi, inliciebantur pravis sermonibus tumidos* ejus *spiritus perstimulare*, ut ipsa suum regnandi desiderium proderet, adeoque suspecta Tiberio fieret.

Idem injuriæ quoque efficiunt, quæ claves sunt cordis. Secretissimus in cogitatis suis erat Tiberius, injuriæ tamen, quas ab Agrippina, accepit, f *raram occulti pectoris vocem elicuere, correptamque Græco versu admonuit: ideo lædi, quia non regnaret*.

Qui ut sua celet consilia, contraria omnia simulat, is demum intelligit, quid de iis sentiant alii; quo artificio idem Imperator Tiberius usus fuit, quando ut Senatorum animos pervestigaret, præ se tulit, quasi nollet admittere g Imperium.

Alia item astutia est, sensim & quasi per ambages in res abditas & secretas penetrare, laudando scilicet aut vituperando id, quod exploratum quis cuperet, & faciendo se delicti consortem, conciliare sibi fidem, aliumque inducere, ut mentem & opinionem suam aperiat. Hac via Latiaris deprædicando Germanicum, miserando Agrippinæ sortem, & Sejanum accusando, suam tantopere Sabino probavit fidelitatem, ut hic suum erga Seja-

a Tacit. l. 13. Annal.
b Idem l. 13. Annal.
c Idem l. 14. Ann.
d *Qui pungit cor., profert sensum.* Ecclesi. 22. 24.
e Tacit. lib. 14. Annal.

f *Postea cognitum est, ad introspiciendas etiam procerum voluntates, inductam dubitationem.* Idem l. 1. Annal.

g *Simul honora de Germanico, Agrippinam miserans disserebat. Et postquam Sabinus, ut sunt molles in calamitate mortalium animi, effudit lacrymas, junxit questus; audentius jam onerat Sejanum, sævitiam, superbiam, spes ejus, ne in Tiberium quidem vitio abstinet. Iique sermones tanquam vetita miscuissent, speciem arctæ amicitiæ facere.*

vero, si quid in te artis est, ita compone domum meam, ut quidquid agam, ab omnibus perspici possit. Arrogantia hæc fuit animi aperti & ingenui, aut confidentia hominis privati, non Ministri alicujus publici, neque Principis, in cujus palatio necesse est, quidam secessus sint ab arbitris remoti, ubi extra aliorum conspectum deliberetur de negotiis ac decernatur. Consilium tanquam *a* mysterium non nisi cum paucis communicandum. *b* Deo ejusdem Præsidi (quem Consum dicebant) Roma aras quondam erexit, sed subterraneas, ut indicaret, consilia occulta esse debere. Cujus etiam secreti beneficio in tantam illa crevit amplitudinem, diuque salva constitit; illud scilicet pro comperto habens, *c taciturnitatem optimum atque tutissimum rerum administrandarum esse vinculum.* Erat Senatui illi tam fidum profundumque pectus, ut ejus consultationes, & quæ secreto statuerat, nunquam palam eruperint: multis sæculis ne unus quidem Senator fuit, qui ea proderet: universi ac singuli aures habebant ad audiendum; linguam nemo, ut loqueretur. Nescio profecto, num idem de Monarchiis & Rebuspub. præsentibus dici possit. Quod heri in earum consiliis actitatum fuit, hodie narratur inter muliercularum subsellia, quarum blanditiis (contra ac præcepit Michæas *d* Propheta) facile arcana sua pandunt mariti, illæ vero vicissim aliis; quomodo in secreto illo accidit, quod *e Maximus uxori suæ Martiæ aperuit, illa Liviæ.* Per ejusmodi canales mox secreta illa etiam ad Legatos Principum permanant, à quorum observatione nemo quisquam immunis est. Publici exploratores sunt, urinatores, qui in profundum se demittunt. Prudens illa Respublica, quæ ad diuturnam commorationem illos non admittit. Noxii magis sunt, quam proficui tranquillitati publicæ: plura excitarunt bella, quam paces composuerunt: semper alvearia fabricantur vitrea, ut per insidias queant inspicere, quid agatur in consiliis. Omni igitur ope elaboret Princeps, ut consiliorum suorum rimas omnes obstruat, ne per eas introspicere possit curiositas: nam si hostis illa penetret, facile iis it obviam, & contra sese armat; uti faciebat Germanicus, si quidem *f nihil Cæsari incognitum. Consilia, locos, prompta, occulta noverat, astusque hostium in perniciem ipsis vertebat.* Eandem ob caussam Sallustius Crispus quoque suasit Liviæ, *g ne arcana domus, ne consilia amicorum, ministeria militum vulgarentur.* Dum Samson aperuit Dalilæ, in quo robur suum *h* consisteret, una malitiæ occasionem præbuit, illudque *i* perdidit.

a Habuit cum eis mysterium consilii sui. Judith. 2. 2.
b Rof. 2. Ant. Rom.
c Valer. Max. l. 2. c. 2.
d Ab ea, quæ dormit in sinu tuo custodi claustra oris. Mich. 7. 5.
e Tacit. lib. 1. Annal.
f Idem l. 2. Annal.
g Idem l. 1. Annal.
h Si rasum fuerit caput meum, recedet à me fortitudo mea, & deficiam, eroque sicut cæteri homines. Iudic. 16. 17.
i Quia nunc mihi aperuit cor suum. Ibid. v. 18.

didit. Consilia occulta omnes metu percellunt, & Principi auctoritatem pariunt; & licet non optime fundata ea sint, judicium tamen prudens facile postea rationes invenit, quibus ea bona fide tueri possit. Rueret omnis de Principibus & Rebuspub. concepta opinio, si intime penetrare liceret, quæ in secretioribus eorundem consiliis pertractantur. Gigantes sunt, qui proceros sese & potentes offerunt oculis, magisque perterrefaciunt, quam lædant: verum si metus eos agnoverit propius, videbit phantasticos esse, qui regantur ac sustententur ab hominibus non majoris staturę, quam sint cæteri. Imperia in consiliis & actionibus suis secreta in veneratione sunt, secus spernuntur ab omnibus. Quam aspectu jucundum est flumen *a* profundum, quam contra inamœnum, quod jacentes in fundo lapides & alvei muscū ostentat; illud pedibus transire nemo audet; hoc vadare volunt omnes. Res opinione magnæ conspectu vilescunt. b *Major è longinquo reverentia*. Propterea sapientissimus Deus, cum in monte Sinai de danda populo suo lege ejusque gubernatione conferret cum Moyse, supremum illius cacumen non igne solum, sed & densissima, *c* nube circumsepsit, ne quis per insidias eos observare posset, præcepitque sub pœna capitis, ne ullus vel ad radicem montis propius *d* accederet. En ipsius etiam Dei consultationes & mandata, tanquam mysteria in secessu secreta haberi oportuit. Quid igitur in humanis erit, cum nullum Sapientum sit consilium absque ignorantiis? quando consulta eorum vulgantur in publicum, diu multumque expensa videntur, & facta magno cum judicio. Majestatem & prudentiam Principis referunt, gravesque considerationes & caussas subesse credimus, quas mente assequi non possumus; immo multas interdum nos ipsi addimus, quæ Principi aut consiliariis ne in mentem quidem venerunt; verum si ipsam consultationem, fundamenta, & consilia coram audire licuisset, merito ea risissemus. Ita in theatris fieri assolet, ubi Actores belle personati in scenam prodeunt, & auctoritatem præ se ferunt; intus autem post siparium eorum nota est ignobilitas; omnia ibi permixta & confusa. Eam ob rem longe adhuc inconvenientius est, si gubernationis mysteria communicentur cum Exteris, quos suspectos habebat Rex *e* Henricus II. Et licet multi forsan fideles futuri sint, tutius tamen est, plane eos arcere à gubernaculis, aut ærarii communis administratione, præsertim quando subditi non sunt, aut æqualis conditionis, *ne* videlicet *f alieni Regni, quod*

a *Sicut aqua profunda, sic consilium in corde viri.* Prov. 20. 3.

b Tacit. l. 1. Annal.

c *Ecce cœperunt audiri tonitrua, ac micare fulgura, & nubes densissima operire montem.* Exod. 19. 16.

d *Cavete, ne ascendatis in montem, ne tangatis fines illius, omnis qui tetigerit montem, morte morietur.* Exod. 19. 12.

e L. 4. tt. 3. l. 1. Recop.

f L. mercatores, cap. de commer.

non convenit, scrutentur arcana. Sed ita fere natura comparati sumus, ut domestica aspernemur, miremur aliena. Nullam putamus esse animi fortitudinem, scientiam nullam, nullum consilium, nisi apud Exteros, nequicquam monente nos Spiritu Sancto: a *Admitte ad te alienigenam, & subverte te in turbine, & alienabit te à tuis propriis.*

Si Princeps voluerit, ut consilia sua secreta habeantur & tacita, taciturnitate sua & prudentia in rebus suis celandis exemplo aliis praeeat. Q. Metellum imitetur, quem dixisse aliquando accepimus (quod idem & Petrus Aragoniæ Rex solebat) b *Si hujus consilii mei interiorem tunicam conſciam esse sensero, continuo eam cremari jubebo.* Enitatur peculiari studio, ut animum suum occultum habeat: qui enim suæmet intentionis fuerit dominus, idem quoque præcipuum gubernandi instrumentum in sua jam tenet potestate. Intellexit hoc quondam Tiberius, c cui *etiam in rebus, quas non occuleret, seu natura, sive adsuetudine suspensa semper & obscura verba: tunc vero*, cum de successione ejus in Augusti locum ageretur, *vel maxime nitebatur, ut sensus suos penitus abderet.* Secreta non cum Ministris omnibus communicanda sunt, quantumvis fideles ii sint, sed illis duntaxat, ad quos illa aliqua ratione pertinent, aut quos absque majori incommodo ea celare non licet. Dum Christus suum quoddam à se patratum miraculum clam alios esse cuperet, tres solum Apostolos illius fecit conscios, in omnibus enim secretum haud satis tutum d fuisset. Magna cura opus est, ut illud in arcano maneat: etsi enim in nostra sit potestate e facere, non tamen internus ille motus affectuum & passionum animi, aut celer ille verecundiæ sanguis, qui in vultu & oculis prodit, quod in imo pectore latet f abditum. Subtiliori nimirum & traducenti chartæ animus similis est, & foris legi potest, quod intus consignatum. Sic ex illo Agrippinæ mors Britannici g *quamvis vultu premeretur, emicuit.* Noverant istud Tiberius & Augustus, nec putabant satis dissimulare se posse gaudium, quo ex Germanici morte perfundebantur, adeoque in publico comparere ausi non h sunt. Non sola lingua in apertum profert, quod in corde servatur reconditum: plura alia dantur in homine non minus garrula, quam illa; ut sunt amor, qui cum ignis quidam sit, illuminat & pandit interiores pectoris recessus: ira, quæ fervet & supereffluit: metus pœnæ: vis doloris: spes commodi proprii: honor, aut infamia; inanis gloria ex eo, quod jam animo concipitur, cupiens nimirum,

a Ecclef. 11. 36.
b Val. Max.
c Tacit. l. 1. Annal.

d *Non permisit intrare secum quenquam nisi Petrum, & Iacobum, & Ioannem.* Luc. 8. 51.
e *Si tam in nostra potestate esset oblivisci, quam tacere.* Tacit. in vita Agric.
f *Quoniam nequitia in habitaculis eorum in medio eorum.* Psalm. 54. 16.
g Tacit. l. 13. Annal.
h *Anne omnium oculis vultum eorum scrutantibus, falsi intelligeremur.* Idem l. 3. Annal.

mi[illegible]m, ut ante propaletur, quam mandetur executioni: mentis denique vacillatio aut ex vino immodice sumpto, aut alia aliqua de caussa. Nulla tanta est diligentia, quæ naturales illos exploratores queat fallere, quin immo quanto illa fuerit major, tanto magis hi sese in apertum produnt; quomodo Scevino accidit in conjuratione, quam moliebatur: a *ipse* enim *mæstus*, & *magnæ cogitationis manifestus erat*, *quamvis lætitiam vagis sermonibus simularet*. Et tametsi longo usu corrigi possit sensim Natura & institui, ut secretum custodiat arctius, uti *Octavia*, b *quamvis rudibus annis*, *dolorem, caritatem omnis affectus abscondere didicerat*, sicut & Nero, c *factus natura*, & *consuetudine exercitus*, *velare odium fallacibus blanditiis*; neque potest ars semper tam esse vigilans & attenta ad omnia, quin sui interdum obliviscatur, & motui naturali indulgeat, malitia præsertim irritante & impellente. Variis modis id fieri contingit, quos hic subjiciam, ut Princeps cavere sibi sciat, nec tam facile sinat quenquam in pectus sibi introspicere, & rimari ea, quæ intus latent recondita.

Solet igitur malitia astute humorem peccantem tangere, ut foras erumpat, & occulta animi sensa in lucem d proferat. Ita à Sejano e *Agrippinæ proximi*, *inliciebantur pravis sermonibus tumidos* ejus *spiritus* *perstimulare*, ut ipsa suum regnandi desiderium proderet, adeoque suspecta Tiberio fieret.

Idem injuriæ quoque efficiunt, quæ claves sunt cordis. Secretissimus in cogitatis suis erat Tiberius, injuriæ tamen, quas ab Agrippina, accepit, f *raram occulti pectoris vocem elicuere, correptamque Græco versu admonuit*: *ideo lædi*, *quia non regnaret*.

Qui ut sua celet consilia, contraria omnia simulat, is demum intelligit, quid de iis sentiant alii; quo artificio idem Imperator Tiberius usus fuit, quando ut Senatorum animos pervestigaret, præ se tulit, quasi nollet admittere g Imperium.

Alia item astutia est, sensim & quasi per ambages in res abditas & secretas penetrare, laudando scilicet aut vituperando id, quod exploratum quis cuperet, & faciendo se delicti consortem, conciliare sibi fidem, aliumque inducere, ut mentem & opinionem suam aperiat. Hac via Latiaris deprædicando Germanicum, miserando Agrippinæ sortem, & Sejanum accusando, suam tantopere Sabino probavit fidelitatem, ut hic suum erga Seja-

a Tacit. l. 13. Annal.
b Idem l. 13. Annal.
c Idem l. 14. Ann.
d *Qui pungit cor., profert sensum.* Eccles. 22. 24.
e Tacit. lib. 14. Annal.

f *Postea cognitum est*, *ad introspiciendas etiam procerum voluntates*, *inductam dubitationem*. Idem l. 1. Annal.

g *Simul honora de Germanico*, *Agrippinam miserans disserebat. Et postquam Sabinus*, *ut sunt molles in calamitate mortalium animi, effudit lacrymas*, *junxit questus*; *audentius jam onerat Sejanum, sævitiam, superbiam, spes ejus*, *ne in Tiberium quidem vitio abstinet. Iique sermones tanquam vetita miscuissent, speciem artæ amicitiæ facere.*

Sejanum odium illi *a* patefaceret.

Crebræ interrogationes multa quodammodo jacula sunt uno eodemque missa tempore, quibus omnibus diligentia obsistere non potest, quæque pectus secreti etiam tenacissimum armis exuunt; uti Pisonis filio factum à Tiberio, *b crebris interrogationibus exquirente, qualem Piso diem supremum noctemque exegisset. Atque illo pleraque sapienter, quædam inconsultius respondente.* Quod si inopinatæ eæ sint, magis etiam animum perturbant; id quod Tiberius aliquando expertus fuit: *c* nam *perculsus improvisa interrogatione* Asinii Galli, etsi *paullulum reticuit*, ut secum ipse expenderet, quid responderet, dissimulare tamen omnia non potuit, *d etenim vultu offensionem conjectaverat Asinius.*

Ipsa Principis auctoritas & veneratio Majestati debita impellunt ad dicendam veritatem, tametsi aliquando etiam ad mendacium, ne frustra quæsivisse videatur: quemadmodum eidem Imper. *e* Tiberio accidebat, quoties ipse reos examinaret.

E sermonibus variis & colloquiis: quæ dexterrime quidam exordiri norunt, perspicitur animus, haud secus atque ex diversis chartæ conscissæ particulis junctis iterum & collatis inter se legitur, quod scriptum in ea fuerat: atque isthac observatione didicerant olim, qui contra Neronem conjurarant, Fenium Rufum à parte ipsorum futurum: *f nam crebro ipsius sermone* illis *facta fides.*

§. E quibus omnibus colligere licebit Principi, quantum in secretis insit periculi, & si in nobismet ipsis secura illa non sint, quomodo in aliis erunt? Quare nemini cuipiam ea debet committere, quoad fieri potest: sunt enim veluti cuniculi quidam subterranei, qui si multa habeant orificia, ignis omnis exhalat, & effectum non habet. Si tamen necessitas postulet, ut ea Princeps cum Ministris suis communicet, vidensque ea propalari, rescire voluerit, cujus culpa id fiat, suaserim varia aliqua fingat secreta, & singula singulis committat: ita enim fiet, ut per illud, quod divulgatum fuerit, eum deprehendat, qui ista revelat aliis.

g Non tamen sine usu fuerit, introspicere illa primo aspectu levia, ex queis magnarum sæpe rerum motus oriuntur. Potentissimorum etiam Imperiorum aggeres in periculo sunt, ne per minimam curiositatis rimulam eos mare disturbet & dejiciat. Vbi vermis iste secreti radicem arroserit, procerissimam etiam arborem humi sternet.

a Ac jam ultro Sabinus quærere Latiarem, ventitare domum, dolores suos quasi ad fidissimum deferre. Tacit. lib. 4. Annal.

b Idem lib. 3. Annal.

c Idem l. 1. Annal.

d Idem ibidem.

e Non temperante Tiberio, quin premeret voce, vultu, eo quod ipse creberrime interrogat: neque refellere, aut eludere dabatur, ac sæpe etiam confitendum erat, ne frustra quæsivisset. Idem l. 3. Annal.

f Tacit. l. 15. Annal.

g Idem l. 1. Annal.

SYMBOLVM LXIII.



IN negotiis omnibus principia eorundem & fines sibi mutuo respondere debent. Curandum, ut perfecta eorum forma sit, nec facile immutanda. Figulus aliquis non sic in incertum rotam versat, nec manu sic obiter opus suum fingit, ut vas aliud ab incœpto exeat. Vnum aliquod opus sit sibi ipsi conforme & simile:

—— Amphora cœpit (a)
Institui currente rota, cur urceus exit?
Denique sit quod vis, simplex duntaxat, & unum.

Nihil perniciosum magis, quam illa in actionibus, & gu-

R 5 bernandi

a Horat.

bernandi ratione inæqualitas, quando principia finibus minime consonant. Ludibrio omnibus est, qui magna cum cura ac sollicitudine imperandi munus exorsus, omnia postea per incuriam negligit. Satius fuisset eodem semper passu incedere, etsi segni ac tardo. Illa ipsa laus, quam ejus commeruere principia, accusat ejusdem fines. Perdidit auctoritatem Galba, quod sub Imperii initium instaurationem militię pollicitus, indignos postea eidem *a* præfecisset. Multi Principes videntur optimi, & pessimi sunt: multi prudenter norunt differere, & absque prudentia operantur: nonnulli magna promittunt; & pauca præstant: alii in pace fortes sunt, & in bello ignavi: alii tentant omnia, & nihil ad perfectionem adducunt. Ista rerum difformitas haud quaquam decet Majestatem, in qua perpetua quædam dictorum factorumque constantia & æquabilitas elucere debet. Nec amor, nec obedientia stabiles esse possunt in Principem, qui à seipso dissimilis est. Quare diligenter ante cum animo suo consideret, quam certi aliquid statuat, cum in consiliorum suorum executione media principiis & finibus responsura sint, pro eo ac monet Gofredus:

> b *A quei, che sono alti principii orditi*
> *Di tutta l'opra il filo, è 'l fine responda.*

Gubernationis tela bona non erit, quantumvis eximia illa sit, nisi æqualis fuerit. Nec satis est circumspicere, quomodo ordiendum sit aliquod negotium, sed illud insuper nosse oportet, quî pertexi debeat. c *Prora & puppi summam consilii* perfecti *significabant* veteres: *propterea quod à prora & puppi tanquam à capite & calce pendet tota* d *navis*. Vnde figuram præsentis desumpsi Symboli, repræsentando consilium aliquod prudens, attentum ad principia sua & fines, per navem quæ anchora duplici, in prora nimirum & in puppi, adversus tempestatem firmatur. Parum prodesset una sola in prora, si ventus in puppim sævire posset, eamque in scopulos allidere.

§. Tria ad recte decernendum requiruntur; prudentia ad deliberandum, industria ad disponendum, & constantia ad perficiendum. Inanis esset omnis labor ardorque in negotiorum principiis, (si quod fieri solet) de exitu eorundem ac fine non essemus quoque *e* solliciti. Vtraque anchora opus est, ut ea stabiliat ac firmet prudentia. Quia vero isthæc in præteritum & præsens suos tantummodo intendit oculos, non in futurum, unde omnia dependent negotia, ideo necessum est, ut ratiocinando conjectet, & ante prospiciat, quid per hæc aut illa media obtineri possit; & ut in eum finem deliberationem consultationemque

a *Nec enim ad hanc formam cætera erant.* Tac. l. 1. Hist.

b Tass. cant. 1.

c Cicero.

d *Mihi prora & puppis, ut Græcorum proverbium est, fuit à me tui dimittendi, ut meas rationes explicares.* Cicero.

e *Acribus, ut ferme talia, initiis, incurioso fine.* Tacit. l. Annal.

que instituat, quæ (ut dixit Rex Alphonsus Sapiens) a *es buen antevidimiento, que Ome toma sobre cosas dudosas*. In ea consultatione tria consideranda sunt. Facile, Honestum, & Vtile. b *Omnes* quippe, *qui magnarum rerum consilia suscipiunt, æstimare debent, an quod inchoatur, Reipublicæ utile, ipsis gloriosum, aut promptum effectu, aut certe non arduum sit. Simul ipse, qui suadet, considerandus est*, an privatæ rei studio moveatur, aut sine aliquo particulari, *adjiciatne consilio*, & executioni *periculum suum; & si fortuna cœptis affuerit, cui summum decus acquiratur*; si secus, cui infamia exspectanda sit. Præmisso isthoc examine, & re semel statuta, applicari debent media jam dictis conditionibus conformia: neque enim honestum erit, aut utile, quod per media iniqua & sumptuosa obtinebitur: qua in re quatuor diversa tempora, quæ in omnibus occurrunt negotiis, & cumprimis in infirmitatibus Rerumpublicarum, haud secus ac in morbis corporum, consideranda sunt, Principium nimirum, Incrementum, Consistentia, & Declinatio; quibus cognitis, & applicatis convenienti tempore mediis, facilius obtinetur, quod in votis est, aut retardatur, si ordo permutetur; quemadmodum retardaretur cursus navis, si clavus proram occuparet. Industria consistit in seligendis mediis, ad finem propositum maxime idoneis, nunc his nunc illis utendo, qua in re non minus prosunt & adjuvant ea, quæ prætermittuntur, quam ea, quæ adhibentur: uti in variarum vocum concertatione accidit, quarum aliæ per vices nunc silent, nunc modulantur aliæ, & tamen omnes simul harmoniam efficiunt. Negotia semetipsa non procurant, tametsi aut bona eorundem dispositio & justitia, aut utilitas publica ea urgere videantur; quin contra c *sæpe honestas rerum caussas, ni judicium adhibeas, perniciosi exitus consequuntur*. Erraretur in paucis, si debita adhiberetur attentio: verum aut defatigantur Principes, aut subtilitates spernunt, & obstinatione quadam ea, quæ animo conceperunt, potentiæ suæ vi obtinere contendunt. Hac ut plurimum ignorantia uti solet, amica compositione prudentia. Quod vis impetrare nequit, paullatim facilius reddit dexteritas, quæ tempus & occasionem observare rite noverit. Ita fecit Legatus Cæcina, cum neque auctoritate, neque precibus legiones Germanicas à fuga, quam nescio quis inanis suadebat metus, posset retrahere, donec (d) *projectus in limine portæ, miseratione demum, quia per corpus Legati eundum erat, clausit viam*. Quod idem alio in casu ante Pompejus fecerat. Verbum unicum tempestive prolatum, aliquando victoriam peperit. (e) Ferdinandus Gonsalvus Castellæ Comes aciem instruxerat, ut cum Africanis confligeret, datoque ad prælium signo, cum equitum unus admo-

a L. 5. tt. 9. p. 2.
b Tac. l. 2. Hist.
c Tac. l. 1. Hist. d Id. l. 2. Ann.
e Mar. hist. Hisp. l. 8. c. 6.

tis equo calcaribus, alios anteveitere cogitat, illico in oculis omnium terra dehiscente haustus fuit: turbavit ea res universum exercitum; at Comes ad milites conversus: *Si terra*, inquit, *nos ferre non sustinet, multo minus nos ferent hostes*, & pugnam exorsus feliciter triumphavit. Nec minoris prudentiæ fuit, quod in conflictu ad Ciriniolam accidit; cum enim Italus quidam miles ratus Hispanos victos esse, pulveris sulphurei cados duobus curribus gestatos incendisset, & magna exercitus totius esset turbatio, Gonsalvus ea occasione usus præsenti animo, hilari facie ad circumstantes: *a Bono*, inquit, *estote animo, datur cælo clara victoria, præclarum flamma omen, quasi incensis ad eam celebrandam facibus*; nec vanum fuisse augurem, eventus comprobavit. Tanti refert interdum Ministrum aliquem vivaci alacrique esse ingenio, & nosse uti occasionibus, applicando media finibus accommodata, & casus ejusmodi fortuitos in utilitatem convertendo.

§. Quod si facta bona Ministrorum electione pro negotiis, & adhibitis prudenter mediis, eventus optatus non respondeat, non pœniteat facti Principem; quin potius constanter illud ferat: neque enim à casu consilia metienda sunt, sed à prudentia. Eventus fortuiti, qui prævideri aut caveri non potuere, factum non vitiant; velle autem & conatum improbare, imprudentiæ est. Accidere illud solet iis Principibus, qui nec judicio pollent, nec animi robore: isti enim infaustis oppressi successibus, & quasi extra se positi, cedunt imaginationi, & consultationibus animi dubiis de eo, quod jam præteriit, tempus perdunt & attentionem, quam in parando remedio adhibere oportebat, pugnantes secum ipsi, eo quod aliud consilium secuti non sint, & culpam in eum conferunt, qui consilii præsentis auctor extitit, nihil pensi habentes, num rationi *b* innixum fuerit, nec ne. E quo fit, ut qui à consiliis sunt, sententiam suam dicere vereantur, multasque patiantur elabi occasiones, nec tempestive commoneant Principem, ne gratiam suam & existimationem ob eventus incertos periculo objiciant. Incommoda isthæc velis remisque fugienda sunt Principi, dandaque opera, ut in casibus adversis constans persistat, suos semper excusans Ministros, ubi manifeste in illis non deliquerint, ut tanto majori ei adsint animo, ad eos casus vincendos ac superandos. Et tametsi in consultis quibusdam jam executioni datis aperte erratum fuerit, adhuc serenum se præbere oportet: Nam *quod* jam *factum*, *infectum fieri nequit*, ut dici solet. In casus præteritos intendere oportet oculos, ut discamus, non ut nosmet cruciemus. Eadem animi magnitudine opus est, ut per errores transeamus, ac per pericula. Nullum sine illis Imperium. Qui eos nimium timuerit, nil certi

a Mar. hist. Hisp. l. 27. c. 21.

b *Fili, sine consilio nihil facias, & post factum non pœnitebis*, Eccles. 32. 24.

certi ſtatuet, & pejor quandoque eſt hæſitatio animi anceps & dubia, quam ipſe error. Ingenio conſiderato & prompto negotia indigent. Si ſingula cum extrema attentione curari oporteret, multa negligerentur alia, cum graviſſimo eorum, quorum intereſt, & gubernationis publicæ detrimento.

SYMBOLVM LXIV.



ANtiqui in militia curribus falcatis uti ſunt ſoliti, qui ſimul ac movebantur, obvia quæque diſſecabant, uno eodemque impetu & rotas & falces impellente. Non citius illæ rotabantur, ac iſtæ ſauciabant, par utriſque celeritas &

& operatio, adeoque symbolum promptæ executionis in præsenti Emblemate, perinde ac olim apud Danielem rotæ illæ igneæ accensæ in throno a Dei, quibus & potentiæ divinæ vim & operandi velocitatem adumbrabat. Tempus opportunum sibi sumat prudentia (ut diximus) ad consultandū; at statuere & exsequi ita sibi invicem velim respondeant, ut uno eodemque motu agitari videantur, ne ulla intercedat mora: oportet enim consultatio & executio manus sibi mutuo porrigant, ut altera alterius adjuta ope, ambæ simul bonos effectus b producant. Carolus V. Imperator dicere solebat, animam consilii tarditatem esse, celeritatem executionis; ambas autem simul junctas quintam essentiam, ut loquuntur, prudentis alicujus Principis. Res magnas feliciter gessit Rex Ferdinandus Catholicus, quia & maturo cum consilio, quæ animo proposuerat, expendebat, & magna cum celeritate aggrediebatur. Si à virtute hac utraque instructus fuerit Princeps, nunquam à latere illius recedet Fortunâ, quæ ex occasione nascitur; hæc vero celerrime præterit, & nunquam revertitur. In momento advenit, quod magnas nobis præbet utilitates, aut abit quod nocumento nobis est. Eam ob caussam Atheniensibus vitio dabat Demosthenes, quod in rerum apparatu tempus consumerent, nec adverterent tamen occasiones cunctationes istas minime præstolari. Si consilium è re boni publici fuerit, quantum in ejus executione tardabitur, tantum ei de utilitate decedet. c *Nullus cunctationi locus est in eo consilio, quod non potest laudari, nisi peractum.* Fœtus informis est consilium, & quoad executio, quæ animæ instar est, vitam ac motum ei tribuat, mortuum remanet. Ab intelligentia proficiscitur, actus nimirum prudentiæ practicæ, & si in sola contemplatione sistat, non nisi vana fuit imaginatio, & mentis illusio. Cito exequendum esse ajebat Aristoteles, quod statutum semel fuit, sed deliberandum tarde. Iacobus Angliæ Rex filium suum monuit, ut in consultando prudens esset & circumspectus, in decidendo firmus & constans; promptus & expeditus in exequendo: ad quod postremum Natura ipsa manus pedesq; cum digitorum fabrica, & nervos tam flexiles largita est. Populo d *cunctatio servilis; statim exequi, regium videtur.* Fuerunt olim Romani in actionibus suis considerati, & constantia ac patientia omnia superarunt. Grandiores Monarchiæ plerumque tardioris executionis laborāt vitio, eo quod nimium suæ confidant potentiæ, uti in Othone Imperatore videre fuit, cui e *quo plus virium ac roboris, è fiducia tarditas inerat.* Accedit, quod propter hoc ipsū rotarum pondus, quibus Majestatis amplitudo innititur, & ne ea, quæ possidet, in discrimen abducat, Princeps Imperii sui finibus contentus vivat. f *Quod segni-*

a *Thronus ejus flamma ignis, rotæ ejus ignis accensus* Dan. 7. 6.

b *Priusquam incipias, consulito, & ubi consulueris: mature facto opus; ita utrumque per se indigens, alterum alterius auxilio viget.* Sallust.

c Tac. l. 1. Hist. d Id. l. 5. Ann.

e Id. l. 2. Hist. f Id. l. 1. Hist.

segnities est, sapientia vocatur, uti illa Imperatoris Galbæ. Ita omnes se suaque servare posse crediderunt, & periere omnes. Iuvenilis Imperiorum ętas celeritate vires acquirit ac robur dum fervet adhuc sanguis, vigentque spiritus majoris glorię ac dominationis in alias Nationes. a *Agendo, audendoque res Romana crevit, non his segnibus consiliis, quæ timidi cauta vocant.* Posteaquam ad maturitatem pervenit, Majestas ipsa & auctoritas facile diuque Imperia sustinent, tametsi ardor famæ desit, & dominatus augendi cupiditas, perinde ac mare aliquanto tempore motum conservat, etiam postquam ventorum vis deſæviit. Dum ergo Imperia in suo isto vigore perstiterint, illam in statuendo lentitudinem non improbaverim: sic enim plus suppetit temporis, ut partis quiete frui liceat; & consilia nimis subita periculo non carent. Atque in hoc casu verũ habet illud Taciti: b *Potentiã cautis quam acrioribus consiliis tutius haberi.* At si ætate illa deficiente languescant vires, si existimatio perire incipiat, si contra audacius insurgant alii, aliam viam ingredi oportet, maturare consilia, & pristinum instaurare vigorem ætatemque juvenilem, priusquam senio ingravescente sese amplius sustentare nequeant, & amissis sensim viribus miserabiliter corruant. In minoribus statibus ætates istæ considerari non possunt, quin opus est potius, ut assidue vigilet attentio ad explicanda omnia vela, si fortunæ Zephyrus aspiraverit: etenim nunc his, nunc illis ea favet per vices; haud secus ac per circumferentiã horizontis consurgunt venti, qui alternis terræ dominantur. Secundissimos Aquilones habuere aliquando Gorni, aliæque Nationes polo viciniores, quibus tanta cum industria usę sunt, sua pandentes vela, ut ad ipsas Herculis columnas, extremos tunc orbis terminos usque penetrarint. Sed abiit postea illa cæli clementia, & successit alia aliorum Imperiorum favori & commodis secunda.

§. Constantia in consiliis susceptis exequendis, seu propria illa sint, seu aliena, maximi semper momẽti est. Ea quia caruit c Pęthus, de Parthis triumphare non potuit. Omnia fere ingenia ignea, & velocia hoc habent, quod & cito decernãt & cito eos facti pœniteat: fervent sub initia, algent sub finem: conantur omnia, nihil ad perfectionem adducunt: similes animali quod Calipedem dicimus: illud enim celerrime se movet, sed longo etiam tempore ne ad unum quidem passum progreditur. In negotiis omnibus prudentia & animi magnitudine opus est: una, ut disponat; altera, ut ea perficiat. Animo constanti & forti nihil est arduum, contra, qui in omni re dubius hæret & anceps, mille experitur difficultates, & quam plurimas amittit occasiones. d *Vir ea ratione fiet optimus, si in deliberando quidẽ cunctetur, & pratimeat, quicquid potest contingere, in agendo autem confidat.* Hoc postremum si desit, cadit animus, & omissis opportunis mediis cœpto desistit.

§. Pauca

a Tit. Liv. b Tac. l. 1. Annal.

c *Eludi Parthus tractu belli poterat, si Patho aut in suis, aut in alienis consiliis constantia fuisset.* Tac. l. 15. Annal. d Herodotus.

5. Pauca sunt negotia, quæ ingenium superare non possit, aut occasio paulatim & tempus faciliora non efficiat. Eam ob rem non oportet ea facile abrumpere, sed in vigore suo conservare potius. Crystallus, si semel confringatur, uniri iterum non potest; ita & negotia. Quantumvis grandis sit difficultatum tempestas, tutius tamen est aliquod saltem explicare velum, ut minus sit periculi, quam omnia omnino contrahere. Negotia pleraque ideo successu carent, quod desperentur.

5. Illud autem necessarium est cumprimis, ut qui mandata exequi debet, eadem apud animum suum approbet: qui enim improbaverit, aut minus ea convenire judicat, aut difficultatem in iis reperit; proindeque non tanto studio ad ea se dabit ac decet, nec magnopere curabit, si rite non succedant. Optime omnium ea executioni dabit ille ipse Minister, à cujus consilio profecta sunt; siquidem ad hujus existimationem interest plurimum, ut quam rectissime in effectum deducantur.

SYMBOLVM LXV.

Lapis in lacum conjectus tot circum fluctus continua serie excitat, ut cum ad extremam usque ripam pervenerint, infiniti propemodum sint turbentque omnino lucidissimum illud æquor & purissimum speculum, in quo repercussæ rerum imagines, quæ perfectissime sese antea oculis exhibebant, nunc non nisi confuse se offerunt. Idem prorsus in animo accidit, ubi semel in errorem aliquem labi contigerit, ex uno illo multi nascuntur alii, confuso jam & excœcato judicio, excitatisque voluntatis fluctibus, ut intelligentiæ facultas rerum veritatem satis perspicere nequeat; dumque unum errorem corrigere cogitat, in alium incidit, inde rursum in alium, ut tandem quam plurimi sint, quo à primo distant longius; eo grandiores sunt; non secus ac fluctus à centro, à quo excitantur, remotiores. Caussa hujus rei est, quia (a) *principium dicitur esse dimidium totius, itaque parvum in principio erratum correspondens est ad alias partes.* Ea re diligenter animum advertere oportet ad errores primos (b) *cum fieri non poßit, ut si in primo atque principio peccatum fuerit, non ad extremum malum aliquod evadat.* In Masinissa id videre licuit, qui reprehensus à Scipione, quod Sophonistam in matrimonium duxisset; dum errorem istum emendare voluit, in alium graviorem lapsus est, herbis venenatis eam tollendo è medio. (c) Vitiis sese Rex Witiza dederat, obscurata haud parum gloria gubernationis feliciter inchoatæ, & ne concubinarum numero, quas vxorum loco cultuque habebat, aliquam turpitudinis notam contraheret, voluit ut id cunctis liceret, quin

a Arist. l. 2. polit. c. 4.
b Idem l. 5. polit. c. 1.
c Mar. Hist. Hisp. l. 6. c. 9.



quin & lata lege Ecclesiasticis matrimonii ineundi fecit potestatem; cumque porro hos suos errores Religioni adversari cerneret, Romano Pontifici obedientiam denegavit, unde totius Regni incurrit odium; quare ut suæ prospiceret securitati, plerasque urbes mœnibus & munitionibus nudavit; quo factum denique, ut Hispania tota Maurorum deinde incursionibus pateret. Atque omnes isti errores alii ex aliis ordine nati, & in immensum aucti, vitam illi ante tempus extorsere. Eadem incommodorum series etiam in Duce Valentino notata fuit: Suduerat is multorum ruina suam fabricari fortunam, eumque in finem nihil tyran-

tyrannidis prætermiserat, priore sævitia ad ulteriores majoresque semper *a* incitante, donec statum una & vitam amitteret, aut discipulus malus, aut malus Machiavelli Magister.

§. Errores Principum non nisi difficulter possunt corrigi, eo quod plerumque ad multos ii pertineant. Obstat etiam obstinatio interdum, aut ignorantia. Ingenia magna, quæ communiter fere magis ingenua sunt & docilia, errores suos facile agnoscunt, iisque melius erudita de emendatione serio cogitant, ædificii male structi lateres iterum dissolvendo, ut meliori deinde cæmento eosdem iterum coagmentent. Philippi Tertii Imperatoris symbolum fuit: *Quod male captum est, ne pigeat commutasse.* Qui iter relegit, quo aberrasse se videt, facilius in viam redit. Frustra erroris postea pœnituisset.

b Nil juvat errores mersâ jam puppe fateri.

Ratio Status catena quædam est, quæ, si vel unicus in ea rumpatur annulus, dissolvitur illico, nisi iterum consolidetur. Princeps, qui à se statuta noxia esse videt, nec ea immutat tamen, suæ magis opinionis amans est, quam boni publici, pluris vanam aliquam gloriolæ umbram æstimat, quam veritatem, constans videri vult, & pertinax fit. Supremæ dominationis hoc vitium est, quæ tum demum existimationem suam rite tueri se putat, si pedem nunquam retro referat.

——— c *Quamque regale hoc putet*
Sceptris superbas quisquis admovit manus,
Quâ cœpit, ire.

Tam ea in re rationi paruit Carolus Quintus Imperator, ut cum aliquando privilegium nescio quod manu sua consignasset; moneretur que, justitiæ legibus non sat esse consentaneum, mox reddi sibi voluit, & dilaceravit: *Malo*, inquiens, *meam lacerare scripturam, quam animam.* Tyrannica obstinatio est, errores agnoscere quidem, nec tamen emendare velle; eos vero etiam defendere: ut honori consulatur, nihil aliud est, quam peccare velle sæpius, & blandiri sibi de ignorantia: inaurare illos, est ferrum auro obducere, quod mox iterum se prodit, & formam pristinam recuperat. Error correctus id efficit, ut rectius curentur cætera, & expedit interdum errasse, ne peccetur deinceps gravius. Tanta est ingenii nostri imbecillitas, ut ipsosmet nostros errores Magistros habeamus. Ex iis primum recte agere discimus: d *Usu probatum est, leges egregias, exempla honesta, apud bonos ex delictis aliorum gigni.* Prudentissima etiam Respubl. multa in gubernando fecit imprudentius, antequam ad perfectionem perveniret. Solus Deus ab æterno mundi hujus fabricam absque errore comprehendit, & postea tamen certo quodam modo e *pœnituit eum, quod fecisset*

a *Ferox scelerum, & quia prima provenerant, volutare secum, quonam modo Germanici liberos perverteret.* Tac. lib. 4. Annal.
b Claud.

c Seneca. d Tac. l. 15. Annal.
e Gen. 6. 6.

fecisset hominem. Plus interdum erratis nostris debemus, quam rectè factis: illa siquidem nos erudiunt, hæc jactantiæ & inanis gloriæ sunt semina. a *Instruunt nos Patriarchæ, non solum docentes, sed etiam errantes.* Vmbra picturæ lucem dedit, ab illa namque ars ista habet quod tam eximia sit.

Non semper imprudentia errorum causa est: sæpe à tempore ii oriuntur, aliisque eventis fortuitis. Quod prius commodo erat, post in exitium vertitur. Nulla tanta est prudentia, cujus consilia pro omni tempore salutaria sint. b *Nec debet reprehensibile judicari, si secundum varietatem temporum statuta quandoque varientur humana, præsertim cum urgens necessitas, vel evidens utilitas id exposcit*; vel ex illis gravia nascuntur incommoda, vel Princeps relatione aliorum in fraudem inductum se videt. His principiis Rex Assuerus nitebatur, cum revocatæ à se sententiæ, quam iniqua Amani accusatione deceptus, adversus Dei populum tulerat imprudentius, rationem redderet. c *Nec putare debetis*, inquiens, *si diversa jubeamus, ex animi nostri venire levitate; sed pro qualitate & necessitate temporum, ut Reipublicæ poscit utilitas, ferre sententiam.* In his & similibus casibus nulla est animi levitas, sed prudentia, mutare consilium, & ea, quæ semel statuta fuere; nec inconstantia dici debet, sed constans potius robur sequendi rationem ducem, quale est in bracteola venti indice, in omnem se partem una cum vento vertere, aut in acu nautica ante non conquiescere donec ad stellam polarem opposita sese stiterit. Medicus secundum ea, quæ corpori varie accidunt, medicamenta variat, quia sanitatem præ oculis habet. Infirmitates, quibus conflictantur Respublicæ, variæ varios quoque curandi modos desiderant. Honori itaque sibi ducat Princeps, sua subinde iterum inspicere decreta & corrigere, immo & errores, nec hujus eum pudeat. Illos committere, incogitantia esse potuit; emendare, fortitudo prudens; obstinatio vero stulta semper est & reprehendenda. Prudentiæ tamen erit, illud ipsum ita scite & dissimulantèr facere, ut vulgus non animadvertat: istud enim utpote ignorans & imperitum errorem pariter imprudentiam interpretatur, & emendationem levitatem.

5. Tametsi vero errorum retractandorum auctor sim Principi, id tamen de omnibus universim intelligi non debet: aliqui enim tam exigui sunt, ut in iis corrigendis graviorem levitatis suspicionem, aut existimationis jacturam vereri merito quis possit: adeoque ubi paullatim se ipsis desinunt, nec aliorum grandiorum periculum est, satius erit eos inemendatos relinquere. Alii istius sunt conditionis, ut sequi eos præstet, immo fortiter etiam & constanter ad eosdem continuandos inflammare animum, eo quod gravius

a Ambr. lib. 1. de Abrah. c. 6.
b cap. Non debet. de Cons. & Affin.
c Esth. 16. 9.

gravius forte immineat periculum, si ab iis expedire te cogites; id quod in expeditionibus bellicis frequenter accidit. Negotia quædam sunt, in quibus, ut recte agas, necesse est, ut extra limites primum abeas, etsi in errores aliquos labi contigerit; sicut qui baculum incurvum in contrariam inflectit partem, ut rectus evadat. Tum vero de iis magnopere laborandum non est, uti nec de causis eorundem, aut mediis, cum nec justitiæ, nec honestati illi adversentur, & optimi inde sperentur effectus: hac enim ratione prodesse incipiunt, & dispositiones potius ad bene recteque agendum dici debent, quam errores. Alii non nisi magnis immiscentur conatibus sapientissime alias susceptis, haud secus, ac rosæ spinis involvuntur, ut absque læsione manus eas contingere nequeat. Atque illud ideo accidit, quia rebus fere omnibus, quæ quidem ad bonum universale putantur conducere, aliquis miscetur error bono privato noxius. Rerumpublicarum corpora diversis constant partibus & oppositis inter se, quod ad qualitates & humores attinet; & remedium, quod toti adhibetur corpori, plerumque alicui nocet parti: adeoque singulari prudentia opus est in eo, qui aliis imperat, ut detrimenta & commoda conferat inter se & expendat, magno item animo ad exequendum, ne illorum forte metu hæc plane negligat.

SYMBOLVM LXVI.

INnovatio rebus natura caducis perpetuitatem tribuit. In individuis, dum alia aliis continuata serie succedunt, perennant species. Eam ob rem agricola serit arbores, quas in demortuarum locum possit sufficere: non eam curam casui relinquit, quia aut plantæ eum deficerent, aut certe nec essent ex quibus indigeret, nec locis convenientibus, neque sibi ipsis recta sursum assurgerent, nisi ars & industria, dum teneræ adhuc sunt, eas dirigat: postea enim nulla vi flecti se sinunt & corrigi. Non minor cura juventutis esse debet, ut hæc à teneris formetur probe, in iis præsertim Provinciis, ubi ipsa cæli constitutio magna ingenia præstantesque naturas procreat, quæ tanquam agri quidam fertiles facile sylvescunt, nisi ars & cultura fœcunditatem cum tempore corrigant. Quò spiritus major est, eo gravius nocet Reipublicæ, si eum educatio non tempori moderetur. Animus excelsus, & ad magna connitens semetipsum ferre non sustinet. Legum frænum excutit, & ad libertatem aspirat, adeoque oportet, ut ars & institutio, tum occupatio in exercitiis gloriosis, eum graviter excolant. Vbi juventus, aliquantum ætate processerit, proderit haud parum levitati ejus curandæ, si adhibeatur ad tractanda negotia publica. Hæc causa fuit, opinor, cur quædam Respublicæ adolescentes in Senatum admise-



miserint. Illud optimum, quod agricolis in more est, qui arbusculas, dum teneræ sunt, translatas alio in solo iteratò plantant, ut radices, quæ se nimium diffuderant, constringantur, & trunci directe sursum in proceritatem sese erigant. Nunquam fere juventus in solo patrio ad insignem frugem maturescit. Ibi consanguinei & amici licentiorem eam reddunt audacioremque. Non ita apud exteros, ubi eam compellit necessitas, ut suas studeat componere actiones, & hominum sibi animos devincire. Domi in patria plusculum licere nobis arbitramur, etsi extra limites sit, & facile veniam nobis pollicemur. Vbi noti non sumus, legum

legum rigorem metuimus. Extra natale solum corrigitur paullatim illa morum asperitas, & naturæ contractio; elatio illa animi stolida & inhumana, quæ eos fere comitari solet, qui cum Nationibus diversis versati non sunt. Ibi linguæ addiscuntur, & cognoscuntur Nationum ingenia, observantur consuetudines singularum ac mores, quarum rerum notitia insignes efficit viros, ad artes tam pacis, quam belli idoneos. Plato, Lycurgus, Solon, & Pythagoras varias obeundo Provincias, prudentes Legum latores & Philosophi evasere. In solo patrio una eademque fortuna cum homine nascitur, & cum eodem simul emoritur; foris majores sese offerunt. Nullus Planetarum in domo sua propria exaltatur, sed in alienis, etsi non absque detrimento suo, atque incommodo.

§. Peregrinatio magna prudentiæ Magistra est, si ad animum melius formandum, non ad oblectandum solum suscipiatur. Ea in re laudem merentur populi septentrionales, qui non minori cum curiositate, quam attentione animi, relictis patriis laribus, orbem lustrant, & linguas, artes ac scientias condiscunt. Hispani, qui majora, quam ullæ aliæ Nationes, habent subsidia exteras adeundi Provincias, quippe quorum Monarchia quaquaversum se porrigit, prę omnibus tamen aliis domi in patria sua desident, nisi ad arma forte Mars alio eos evocet; cum nihilominus plurimum referat, qui diversis Nationibus imperant, & in Provinciis variis bella gerunt, perfectam quoque earundem habeant notitiam. Duo potissimum sunt, quæ viros Nobileş domi in terra natali detinent: primum quidem, quia Hispaniam undique fere mare alluit, neque semper navigandi occasio tam præsto est, ac terra iter faciendi commoditas, alterum deinde vana quædam prçconcepta opinio, qua existimant absque magna pompa & impensis peregrinationes istas institui non posse, qua in re modestiores sunt Exteri, etsi magnorum Principum filii.

§. Neque tantum juvenes in aliud solum transferri debent, sed à teneris etiam sic formari velut plantulæ, ut aliis aliquando in muneribus & officiis succedere valeant, neque necesse sit, aliunde homines novos negotiorum & artium imperitos accersere, qui deinde cum Reipublicæ detrimento per multos suos errores experientiam sibi comparent; id quod in Emblemate præsenti per fasces, symbolum Magistratus, indicatum volui, illæ siquidem virgæ plantatæ alias iterum progignunt; & quia in unoquoque genere triplicis illius formæ Reipublicæ, Monarchia, nimirum, Aristocratia, & Democratia, diversæ sunt gubernandi rationes, diversa quoque juventutis exercitia sint oportet, pro cujuslibet Reipubl. instituti, proque rerum conditione, in quibus unaquæque viris excellentioribus magis indiget. Ea in re omne suum studium posuere Persæ, Ægyptii, Chaldæi & Romani, cum primis vero elaborarunt in eo,

ut quosdam jam inde à prima pueritia pro Magistratu instituerent, utpote à quo deinde bono, aut malo, conservatio aut ruina Rerumpubl. dependeret, quarum ille est anima, & prout ipse affectus fuerit, tales quoque totius corporis erunt actiones. In Hispania magna cum providentia erecta fuerunt Collegia, quæ seminaria essent insignium virorum pro gerendo Magistratu, & administranda Iustitia, quorum constitutiones licet futiles videantur & vanæ, prudentissimæ tamen sunt eo nomine, quod ad modestiam erudiant, faciantque ut prius obedire norint, qui aliis dein imperare debent.

§. Alibi scientias inter politica regnandi instrumenta in Principe recensuimus, nunc illud quæritur, an iis etiam conducant, qui parere debent, & an juventus popularis iis instruenda sit? Natura in ipso capite, tanquam totius corporis Principe, intelligentiam constituit, ut scientias condisceret, uti & memoriam, ut easdem conservaret: at vero manibus & membris reliquis non nisi habitudinem ad obediendum impertiit. Homines societatem inter se communitatemque coiere operandi causa, non speculandi, magis ob commoditatem subsidii mutui, quam theoriæ subtilitatem. Non sunt fortunatæ Resp. ex eo, quod ingenium penetrat, sed ex eo, quod manus perficit. Studiorum otium vitiis alitur, & in charta ea omnia æternitati consecrat, quæ temporum adinvenit malitia. Multa contra supremam molitur potestatem, & plebem ad seditiones concitat. Spartani a *literas ad usum saltem discebant, reliqua omnis disciplina erat, ut pulchrè parerent, ut labores perferrent, ut in pugna vincerent.* Subditi arguti nimis & docti novitates amant, carpunt gubernationem, consulta Principum vocant ad examen, & populum commovent. Obedientiam magis promptam esse oporret, quam ingeniosam; sinceram magis, quam b astutam. Ignorantia præcipuum Imperii Turcici fundamentum est. Qui in illo scientiarum spargeret semina, facile id everteret. Quietam felicemque vitam vivunt Helveti, apud quos scientiæ non admodum vigent, & proscripto subtiliori philosophandi genere, non minus bona cum politica se suaque moderantur, quam aliæ Nationes: vehementi illa contentione in scientiis perdiscendis languescunt vires, & vilescunt animi, dum nimia ingenii acie periculà penitissime penetrant. Studiorum amœnitas, eruditionis gloria, & prẹmia multos alliciunt; unde viri desunt pro armis & defensione Statuum, quorum plus interest, fortitudine præstare populum, quam literis. Quod in his generosum est, fastidire facit ea omnia exercitia, quæ corpus magis, quam animum occupant. Otio literario ingenia fiunt melancholica, ut vitam magis ament solitariam & cœlibem; contra ac fieri oportet ad hoc, ut Respubl. sese multiplicet, & viros habeat ad munera & officia publica

a Plut. b *Patres valere decet consilio, populo supervacanea calliditas est.* Salust.

publica idoneos, atque ut tueri se possit, & in hostem ire. Ingenia scientiis exculta haud faciunt Provincias rerum copia affluere, aut incolis frequentari, sed artium & mercimoniorum industria, ut in Provinciis Belgicis videre licet. Bene expenderunt incommoda ista Germani aliæque Nationes, quæ Nobilitatem suam in solo armorum fundarunt exercitio, minime pulchrum existimantes gradus honoresque literarios admittere; atque ita fit, ut omnes fere Nobiles ad arma adjiciant animum, & militia floreat. Tametsi vero orthodoxæ Religionis cognitio haud parum scientiis illustretur, illud tamen negari non potest, multa etiam ab iisdem ad meras reduci opiniones, è quibus variæ nascuntur Sectæ, & ex his Imperiorum conversiones, immo cognito jam vero Dei cultu, utilior mundo fore videretur sincera aliqua & credula ignorantia, quam superba & inanis sciendi præsumptio, maximis erroribus exposita. Hæ & aliæ rationes complures suadent prorsus extirpandas esse scientias, secundum regulas politicas, quæ ad dominationem attendunt magis, quam ad subditorum utilitatem; sed principia ista tyranni sunt potius, quam boni & æqui Principis, qui decorem & gloriam Statuum suorum præ oculis habere debet: illis autem utilissimæ, immo maxime necessariæ sunt scientiæ ad confutandos Sectariorum errores, qui facile invalescunt ubi regnat inscitia, ad administrandam Iustitiam, ad conservandas & augendas artes, imprimis militares: neque enim minus civitates præsidiis suis muniunt Viri docti, ac milites, ut Syracusæ quondam in Sicilia expertæ fuere in Archimede. Dola Burgundiæ urbs in erudito & fidelissimo suo Senatu, cujus prudenti consilio, ingeniosis machinis, acri defensione & fortitudine animi plus quam heroica, urbs illa adversus valentissimas Gallorum copias propugnata fuit; museis in armamentaria conversis, togis literariis in loricas ferreas, calamis in gladios, qui non atramento, sed Francico sanguine nomina & egregia facinora civium æternitati transcripserunt. Sola multitudo nimia tum Universitatem, tum eorum, qui literis sese dedunt, illa est, quæ bono publico officit, quemadmodum reipsa in Hispania experimur; quare magis è re communi esse videtur, si non nisi pauci ad eas se applicent scientias, quæ in speculatione consistunt, aut circa Iustitiam versantur, plures vero ad artes nauticas, & militares. In hunc finem oporteret majora præmia his statui, quam illis, ut magis ad eas aliorum allicerentur animi. Quia vero præmia sic constituta non sunt, hinc fit, quod oppido multi ad literarum studia appellant animum, desintque Monarchiæ ad defensionem suam & conservationem milites potius, quam literati: quod vitium ipsos quoque triumphos, & trophæa militaria comitari solet, dum Nationes bellicosæ & victoriis incly-

inclytæ, ingenio etiam & calamo superare contendunt eos, quos robore & armis devicerunt. Curæ istius remedii ad Principem bonumque Moderatorem pertinet, cujus erit tali cum judicio de educanda juventute statuere & ordinare, ut numerus Virorum eruditorum, Militum, Artificum, aliorumque officiorum corpori Status sui apte & secundum proportionem conveniat.

§. Atque hæc proportio in iis etiam attendi posset, qui vitam Ecclesiasticam aut Religiosam amplecti cupiunt, quorum multitudo nimia Reipublicæ & Principi plurimum nocet. Verum Religio & Pietas regula Politica mensurari non debent, & solent in Ecclesia militante plus arma spiritualia efficere, quam sæcularia. Qui primus Status illius auctor est, eundem porro conservabit, absque detrimento Reipublicæ. Nihilominus, cum prudentia humana credere quidem, non sperare tamen miracula debeat, ei ad quem illud ex officio pertinet, considerandum relinquo, an tantus Ecclesiasticorum numerus, & Religiosorum Ordinum multiplicatio atque incrementum excedant forte facultates Sæcularium à quibus illi sustentari debent, aut ipsi etiam Ecclesiæ ejusque fini noxia sint. Cui rei jam pridem per Canones sacros & Decreta Apostolica sapientissime provisum fuit, in Concilio Lateranensi inprimis sub Innocentio Tertio; sic enim illud statuit: a *Ne nimia Religionum diversitas gravem in Ecclesia Dei confusionem inducat, firmiter prohibemus, ne quis de cætero novam Religionem inveniat, sed quicunque ad Religionem converti voluerit, unam ex approbatis assumat.* Consilium Regium Castellanum alias Majestati suæ suasit, supplicandum esse Summo Pontifici, ne quis in Regno Castellæ ante, quam sextum & decimum ætatis annum complevisset, in religiosam familiam adscriberetur, neque ante exactum annum vicesimum vota nuncuparet; verum confidentior pietas, & animi scrupulus prudentiæ oppositus incommoda ista facile dissimulant.

§. Attamen perparum prodesset ista proportio in iis, qui aut rebus agendis, aut speculationibus debent intendere, nisi etiam Princeps curam habeat Seminarii popularis, unde procreari debent sufficientes cives, qui Reip. formam constituant, quorum numerus nunc hujus, nunc illius morte quotidie imminuitur. Antiqui sane magnam semper sobolis propagandæ habuere rationem, ut ne deessent unquam qui in demortuorum locum succederent. Et fuit ea res tam cordi Romanis, ut non solum liberorum procreationi præmia proponerent, sed cœlibem etiam vitam notarent infamia. Germanicus, ut mortem suam ulciscerentur alii, inter merita & obsequia Reip. præstita, illud quoque recensebat, quod sex è conjuge liberos b suscepisset. Et Tiberius

S pro

a Conc. Lat.

b *Ostendite populo Romano Divi Augusti neptem: eandemque conjugem meam: numerate sex liberos.* Tacit. 2. Annal.

pro bono felicitatis omine referebat ad Senatum, Drusi uxorem geminos uno partu *a* edidisse. Regnorum robur in subditorum multitudine & copia consistit. Qui iis abundat præ aliis, is major Princeps est non qui plures Status numerat: hi namque seipsos neque tueri se possunt, neque offendere alios, sed per suos incolas, in quibus unicum & firmissimum illorum ornamentum est positum. Notum est illud Adriani Imperatoris; *b* *ampliari Imperium hominum adjectione potius, quam pecuniarum copia malim*: & recte quidem: nam opes absque subditis bella facile accersunt, nec satis defendi possunt; ubi autem multi sunt subditi, nec vires desunt nec opes. *c* ***In multitudine populi*** (ait Spiritus sanctus) ***dignitas Principis: & in paucitate plebis ignominia Principis.*** Eam ob rem Rex Alphonsus Sapiens boni Principis esse putabat, tam sollicite suam custodire ditionem, *d* *que se non yermen las villas, nin los otros lugares, nin se derriben los muros, nin las torres, nin las casas, por mala guardia, e el Rey, que desta guisa amare, e tuviere honrada e guardada su tierra, sera el, e los, que los uvieren, honrados, ricos, e abundados, e tenidos por ella.* Verum ut prudentissimus Legislator illud præcipue monuit, Regnum instrui debere *e* *de buena gente, y antes de los suyos, que de los agenos, si los pudiere aver, asi como de Caballeros, e de Labradores, e de Menestrales.* Qua in re prudentissime judicavit, hanc hominum frequentiam non in sola plebeja gente ponendam esse; hæc siquidem seipsa parum efficiet, nisi Nobilitatem habeat comitem, quæ spiritus & anima illius est, suoque exemplo docet appetere honesta, & pericula spernere. Plebs absque Nobilitate exangue quoddam cadaver est, adeoque ad eam conservandam augendamque omni opera Principem conniti decet; uti quondam factitabat Augustus, qui Hortalo Nobili Romano non solum conjugii ineundi auctor fuit, sed vivendi etiam media suppeditavit, *f* *ne clarissima familia extingueretur.* Ejus rei magna in Germania habetur ratio, unde antiquitus uxoribus dos dari non *g* consueverat, & nunc exigua ea esse solet, ut præcipua illarum dos sit Virtus & Nobilitas, magisque ad animi & corporis dona attendatur quam fortunæ bona, adeoque tanto facilius concilientur matrimonia, nec cupiditas tempus inutiliter perdat in pervestiganda sponsa aliqua locupletiori; quæ caussa fuit, cur Lycurgus omnes omnino dotes lege etiam sancita prohiberet, & Carolus *h* Quintus Imperator, modum illis poneret: quin & Aristoteles Lacedæmones fertur reprehendisse, eo quod dotes tam amplas filiabus suis

a lar-

a *Nulli ante Romanorum ejusdem fastigii, viro geminam stirpem editam.* Tacit. 2. Annal.

b L. cum ratio. §. si plures, ff. de por. quæ liber.

c Prov. 14. 28.

d L. 3. tt. 11. p. 2.

e L. 1. tt. 11. p. 2.

f Tacit. lib. 2. Annal.

g *Dotem non uxor marito, sed uxori maritus affert.* Tacit. de mor. Germ.

h L. 1. tt. 2. l. 5. Rec.

a largirentur. Voluit præterea Alphonsus Rex, ut non nisi in casu necessitatis Exterorum frequentia in Statum induceretur: nec immerito quidem, diversi enim mores, & Religionum cultus magis domestici hostes sunt, quam vicini, eamque ob caussam Hispani Iudæos omnes ac Mauros finibus suis ejecerunt. Nationes exteræ vitia & opiniones impias introducunt, & seditiones contra legitimum Principem facile b commovent. Quod tamen incommodum magnopere metuendum non erit; si exteri solum evocentur ad colendos agros, & alias artes exercendas, immo hoc fieri quãdoque expedit. Selymus Turcarum Imperator è Cairo magnum operariorum numerum Constantinopolim submisit. Poloni cum Henricum Ducem Andegavensem elegissent in Regem, inter alia pacta illud quoque esse voluerunt, ut varias Artificum familias una secũ adducerent. Nabuchodonosor expugnata Hierosolyma transtulit inde c *omnes viros robustos, septem millia, & Artifices, & inclusores mille: duxitque eos captivos in Babylonem.* Verum quia ad eam rem sæpe industria deest, neque semper sumptus suppetunt; aut etiam, quia sola ejusmodi deductio minime sufficeret, ponam hic aliquot caussas, unde illa regnorum solitudo, & subditorum infrequentia oriri solet, ut iis cognitis tanto facilius remedium parari possit. Istæ igitur aut externæ sunt aut internæ. Externæ; bellum & coloniæ. Bellum monstrum quoddam est, quod humano victitat sanguine; cumque ad Statum conservandum expediat illud foris alere potius, ut solebant d Romani, vita fortunisque subditorum in eam rem opus est: Coloniæ quoque diu sustentari non possunt absque copiosa hominum deductione, ut in Hispania accidit. e Eadem de caussa *neque dum Annibal in Italia moraretur, nec proximis, post excessum ejus annis vacavit Romanis colonias condere, cum esset in bello conquirendus potius miles, & post bellum vires refovenda potius, quam spargenda.* f Et Vellejus Paterculus in legibus Gracchi inter perniciosissima numeravit, quod extra Italiam colonias posuisset, quæ proinde à visceribus Imperii nimium remotæ eidem assistere in necessitate non possent. Aliæ vastitatis & solitudinis caussæ internæ sunt. Inter præcipuas numero tributa, defectum agriculturæ & mercimoniorũ, nimiam item dierum festorum multitudinem, quorum damna & remedia alibi in hoc libro exposuimus.

Sed & urbis aulicæ præcipua solitudinis caussa sunt, sicut enim fervens jecur calorem nativum ad se attrahit; & aliquas corporis partes spiritu & vigore destituit, ita aulã-

S 2 rum

a *Statuit Virgines sine dote nubere: jussit uxores eligerentur, non pecunia*, Trog. l. 3.

b *Quare qui inquilinos, & advenas ante hac in civitatem receperunt, hi magna ex parte seditionibus jactati sunt.* Arist. l. 5. Polit. c. 3.

c 4. Reg. 24. 16.

d *Fuit proprium populi Romani longe à domo bellare, & propugnaculis imperii sociorum fortunas, non sua tecta defendere*, Cic. pro lege Manil.

e Vell. l. 1.

f Idem lib. 2.

rum pompa, earumque commoda & deliciæ, lucrum artium, occasio præmiorum homines alliciunt, Opifices inprimis atque Artifices, qui facile sibi persuadent, magis otiosam vitam eos vivere, qui Principi inserviunt, quam qui mechanicas exercent artes. Quid? quod ii etiam, qui Ducum, Marchionum, & Comitum gaudent titulis, præsentia Principis, aut aulæ deliciis fruendi caussa, relictis suismet statibus, ad illam se conferant: unde porro fit, ut dum eos recte curare negligunt, & reditus annuos in suam sustentationem, & sumptus minime necessarios prodige impendunt, & opibus paullatim & incolis exuantur, quibus utrisque iidem Status florerent, potius, si iis Domini sui præsentes domi adessent. Hæc atque alia incommoda prudentissime expendit Iustinianus Imperator, atque ut iis adferret remedium, certum propterea Magistratum *a* instituit. Similiter Rex Ioannes II. *b* præcepit ut Duces omnes, aliæque illustres personæ, quæ in aula ejus morabantur, statis temporibus domum ad suos reverterentur, quomodo & Trajanus Imperator quondam fecerat.

Præterea Fidei commissa, aut prærogativæ Natalium in Hispania plurimum soboli propagandæ obsunt: frater enim natu major omnia sibi familiæ bona vendicat (id quod Regi Theodorico iniquũ prorsus *c* videbatur) cumque aliis matrimonii ineundi copia non sit, aut religiosum suscipiunt habitum, aut ad bellum proficiscuntur. Eam ob caussam Plato divitias & inopiam antiquas Rerumpub. pestes solebat appellare; existimabat nimirum, omnia fere earum damna oriri ex eo, quod bona in iis non satis recte dividerentur. Si cives omnes congruam haberent sustentationem, magis sine dubio florerent Respublicæ. Verum tametsi hæc utilitas magna sit, non minus tamen ad bonum publicum interest, ut conservetur Nobilitas ejusmodi Fidei commissorum beneficio, & ut illa habeat unde Principi & Reipublicæ præstare possit obsequia, adeoque antiqua illa retineri possent, Nobilitati tamen recens institutæ permitti minime deberent, statuta etiam lege, ut consanguinei ad quartum usque gradum necessarii essent hæredes si non ex asse, at certe magna & potissima ex *d* parte; quo modo vitarentur donationes & legata, quæ vanitati magis, quam Reipublicæ serviunt, sicut & illa, quæ devota quadam prodigalitate, nec modum servant, nec sanguinis proprii habent rationem, dum contra debitum charitatis ordinem nec fratribus

a *Invenimus enim, quia paulatim Provinciæ suis habitatoribus spoliantur, magna vero hæc nostra civitas populosa est turbis diversorum hominum & maxime agricolarum, suas civitates & culturas relinquentium.*

b Auth. de quæst.

c *Iniquum est enim, ut de una substantia, quibus competit successio, alii abundanter affluant, alii paupertatis incommoda ingemiscant.* Cas. lib. 1. ep. 1.

d *Commodum est etiam, ut hæreditates non donatione, sed jure cognationis tradantur.* Arist. lib. 5. Polit. cap. 8.

bus nec consanguineis reliquis sufficiens relinquitur sustentatio, unde familiæ extinguuntur, exhauriuntur reditus Regii, populus ad tributa solvenda fit impotens, augescit exemptorum potentia, & imminuitur jurisdictio Principis. Expendens ejus rei incommoda *a* Moyses, edicto publico vetuit, ne quid ultra Israëlitæ ad opus sanctuarii *b* offerrent, tametsi Deus ipse oblationum istarum fuisset auctor,

a *Dixerunt Moysi, plus offert populus, quam necessarium est*, Exod. 36. 5.

b *Iussit ergo Moyses præconis voce cantari: nec vir, nec mulier quicquam offerat ultra in opere sanctuarii; sicque cessatum est à muneribus offerendis, eo quod oblata sufficerent, & superabundarent.* Exod. 36. 6.

& mente pura ac religiosa omnia *c* fierent. Respublica Veneta jam pridem decretis suis ei rei sapientissime providit.

§. Illud porro necessarium, ut, pro matrimoniis ineundis prudens temporis habeatur ratio: nam si nimium differantur, periclitatur successio, & patitur universa Respublica ob juvenum incontinentiam. Si contra nimium maturentur, contingit filios ætate haud longe esse inferiores parentibus, unde reverentiam exuunt, & impatientes moræ successionis caussa nefanda contra eos moliuntur.

c *Omnes viri & mulieres, mente devota obtulerunt donaria, ut fierent opera, quæ jusserat Deus.* Exod. 35. 29.

SYMBOLVM LXVII.

POlitica hujus nostri temporis in omnibus malitiam & fraudem præsupponit, & contra sese munit aliis longe majoribus, nulla Religionis, justitiæ, & fidei publicæ habita ratione. Omnia sibi licere putat, quæcunque ad suam conservationem & augmentum faciunt; cumque artes istæ communes jam sint, necesse est, ut pugnent inter se, sesque mutuo impediant ac conficiant cum tranquillitatis publicæ detrimento, adeoque fines optatos minime assequantur. Fugiat Princeps hos tales Magistros, & discat ab ipsa Natura potius, in qua absque malitia, fraude, & omni dolo vera ratio Status elucet. Illa sola certa est, fixa & solida, qua utitur in gubernatione rerum, quæ vegetantur & vivunt, ea præsertim, quam cuique hominum in suo officio recta inspirat ratio, nominatim Pastoribus & Agricolis pro conservandis augendisque gregibus, & agrorum cultura, unde forte factum, ut ii Reges qui à pedo, aut aratro ad sceptrum vocati fuere, melius aliis suos gubernare subditos sciverint. Fruatur licet Pastor (cujus obligatio & cura talis fere est, qualis est Principum *d*) lacte & lana gregis sui, ea tamen moderatione, ut neque sanguinem omnem extrahat, neque pellem sic deglubat, ut à frigore & calore sese tueri nequeat. Ita prorsus debet Princeps (quemadmodum di-

d *Væ Pastoribus, qui disperdunt & dilacerant gregem pascuæ meæ, dicit Dominus. Ideo hæc dicit Dominus Deus Israel ad Pastores, qui pascunt populum meum.* Ierem. 23.



xit Alphonſus *a* Rex) *guardar mas la por comunal, que la ſuya; miſma, porque el bien, y la riqueza dellos es como ſuya.* Non ipſum arboris truncum exſcindit Agricola, tametſi lignis ad uſus domeſticos opus habeat, ſed ramos duntaxat amputat, nec totos illos quidem, ſed ita ut germinare poſſint denuo, & novis veſtiti foliis in annum ſequentem fructus alios proferant. Secus ac ſolet conductor, qui cum de hereditate minime ſollicitus ſit, illud agit ſolum, ut fructus pro eo tempore, quo frui iis licet, ex ea colligat, nil penſi habens, quod in tempus reliquum Domino ſuo utilitatem allatura non *b* ſit. Hoc diſcri-

a L. 19. tt. 1. p. 2.
b *Aliter utimur propriis, aliter commodatis.* Quintil. de Orat.

discrimen est inter legitimum Principem, & tyrannum, quod ad tributorum impositionem attinet. Iste tanquam possessor violentus, qui in metu est, ne brevi forte Regnum cogatur dimittere, quod per vim eo gaudere conceditur, omnes inde fructus colligere contendit, nec veretur ita radicitus plumas evellere, ut amplius succrescere nequeant. Pastor est, qui non gregem suum pascit, sed *a* semetipsum, & tanquam Mercenarius, curam illius abjicit, eumque omnino *b* deserit. At vero Princeps aliquis legitimus & naturalis æquitatem causæ expendit, quantitatem & tempus, quod necessitas postulat, proportionem item fortunarum & personarum in tributis dispertiendis, & Regnum suum tractat non tanquam corpus, cui una cum ipso emoriendum erit, sed quod perennabit in Successoribus: quippe qui probe novit, *c Principes mortales, Rempublicam æternam esse*, cumque inde in annos singulos novos speret fructus, eam omni studio conservat, velut securissimum divitiarum suarum depositum, quo in majoribus necessitatibus uti possit: nam ut in legibus suis dixit Alphonsus Rex, ab Aristotele in quodam documento quod Alexandro Magno dedit, id mutuatus: *d El mejor tesoro, que el Rey ha, è el que mas tarde se pierde, es el pueblo, quando bien es guardado, è con esto acuerda lo que dixo el Emperador Iustiniano, que entonzes son el Reyno, è la Camera del Emperador, è del Rey ricos, è abundados, quando sus Vassallos son ricos, è su tierra abundada.*

§. Quando igitur Princeps cum ista moderatione tributa imposuerit, fas quoque est subditos ea pendere, nec sine rebellionis nota denegari poterunt. Hanc enim solam dotem habet dignitas Regia, hoc unicum subsidium necessitas & dignitas Regia, hoc unicum subsidium necessitas publica. *e Neque quies gentium sine armis; neque arma sine stipendiis; neque stipendia sine tributis haberi queunt.* Eam ob rem Imperatori Neroni tributa remittere volenti Senatus Romanus sese opposuit, dicendo, *f dissolutionem Imperii fore, si fructus, quibus Respublica sustinetur, diminuerentur.* Tributa pretium paucis sunt, si nimis gravia ea sint, nec populus necessitatem agnoscat, cur imponi debuerint, facile contra suum Principem contumaciter insurgit. Nec alia de caussa tam invisus omnibus fuit Rex Alphonsus cognomento Magnus, tamque graves expertus calamitates, ut sceptro tandem abdicare se cogeretur: sicut & propterea Garsias Galæciæ *g* Rex vitam pariter & Regnum perdidit. Considerabat hoc periculum cum animo suo Rex Henricus Tertius, quando suadentibus, ut pro sumptibus belli conquirendis nova tributa exigeret,

a *Væ Pastoribus Israel, qui pascebant semetipsos.* Ezech. 34. 2.

b *Mercenarius autem, & qui non est Pastor, cujus non sunt oves propria, videt lupum venientem, & dimittit oves, & fugit.* Ioan. 10. 12.

c Tacit. lib. 3. Annal.

d L. 15. tit. 5. p. 2.

e Tacit. lib. 4. Annal.

f Idem l. 13. Annal.

g Mar. Hist. Hisp. l. 9. c. 8.

respondit : *Magis se maledicta populi, quam hostes suos metuere.* Pecuniæ ex iniquis tributis collectæ subditorum miscentur sanguine, qualis è scuto illo, quod S. Franciscus de Padua coram Ferdinando Rege Neapolitano diffregit, manare visus est, & nunquam non clamat contra Principem. Quare ut ista incommoda evitentur, grandia tributa ante imponi non debent, quam universum Regnum de necessitate edoctum fuerit: nam ubi de ea, & Iustitia caussæ constiterit, facile in opus aliquod extraordinarium consentit populus, uti factum vidimus in iis, quæ poposcit Rex Ferdinandus Quartus, & in concessione integri illius millionis, quem Comitia Toletana temporibus Regis Henrici Tertii sponte elargita fuerant, permittendo insuper, ut si ad continuandum bellum contra Mauros id non sufficeret, Comitiis etiam non requisitis plura porro exigerentur. Tametsi enim ad privatos minime pertineat tributorum Iustitiam examinare, & ipsi sæpe impensarum caussas capere nequeant, neque etiam absque evidenti secretorum periculo iis istæ *a* communicari possint, semper tamen rationes quædam sunt generales, quas sine incommodo iis proponere licebit. Et licet tributa imponendi facultas penes supremam sit potestatem, cui ratio naturalis ac divina suffragantur, nec si alias æqua sint, & necessaria, subditorum consensu ad ea opus sit: nam (ut dixit Rex Alphonsus Sapiens) *el Rey puede demandar, e tomar al Reyno lo que usaron los otros Reyes, e aun mas en las sazones, que lo uviere en gran menester, para pro cumunal de la tierra*; prudentis tamen Principis erit, ita dextre rem instituere, & sic disponere subditorum animos, ne vis videatur: neque enim omne id, quod absolute fieri potest, semper exequi convenit. Tributum (sic Scriptura *b* loquitur) populi frænum est; isthoc ille in obedientiæ officio continetur, Princeps vero ad eum corrigendum potentior fit, & contra nimiam ejus libertatem vires sibi comparat: subditos enim ab omni onere immunes nemo recte gubernaverit. Verum frænum illud tam suave sit oportet, ut non obstineat animum, & mordicus eo comprehenso præcipitent; quemadmodum prudentissime id expendit Rex Flavius *c* Hervigius in Concilio Toletano XIII. cum diceret, tunc gubernationem optimam fore, *si nec incauta exactio populos gravet, nec indiscreta remissio Statum gentis faciat deperire.*

Imperium in vitam absque periculo exercetur, quia ex lege fit, quæ castigat paucos ad exemplum cæterorum; at vero Imperium in fortunas, cum pecuniam pendere jubentur subditi, discrimine non vacat, quia ad omnes pertinet, magisque fortunarum damna afficiunt populum, quam corporis, præsertim si cum sudore & sanguine acquisitæ illæ fue-

a *Tibi summum rerum judicium Dii dedere, nobis obsequii gloria relicta est.* Tacit. lib. 6. Annal.

b *Et tulit David frænum tributi*, 2 Reg. 8. 1.

c Concil. Tolet. XIII.

fuerint, aut impendi debeant in delicias Principis. Qua in re considerare oportebit memorabile Regis Davidis facinus, nolentis bibere aquam, quam tres fortissimi milites per medios hostium cuneos penetrando, de cisterna Bethlehemitica hauserant, ne sanguinem hominum istorum & periculum bibere *a* videretur. Neque bona ratio Status est, tributis exhaurire, & ad incitas redigere subditos, ut tanto obedientiores sint: etsi enim egestas, quæ una nobiscum nascitur, aut casu aliquo evenit, demissiores reddat animos; illa tamen violentia ad seditionem potius commovet, eosque impellit, ut nefaria contra *b* Principem suum moliantur. Ad Davidem adversus Saulem c *convenerunt omnes, qui erant in angustia constituti, & oppressi ære alieno, & amaro animo, & factus est eorum Princeps.* Nunquam magis obsequens erit Regnum, quam si opibus & rebus omnibus affluat. Dei populus, duriter etiam in Ægypto habitus, libertatis suæ oblitus fuit propter abundantiam, qua ibi fruebatur; at mox ubi in deserto rerum inopia laborare cœpit, servitutem illam tulit acerbius, & graviter questus fuit.

§. Si Regnum ea conditione obtigerit, ut absque ejus consensu tributa imponi nequeant, aut postea decreto aliquo generali ita sancitum; ut factum in Comitiis Madritensibus tempore Regis *d* Alphonsi Vndecimi, aut diuturna aliqua præscriptione jus istud acquisitum fuerit, uti in Hispania & Francia accidit; in his talibus casibus Comitiorum consensum expectare oportebit, ne periculo sese exponat Princeps; quod Carolus Septimus Franciæ Rex quondam expertus fuit, cum non rogatis prius aliorum sententiis tributum quoddam voluisset imponere. Porro ad eam rem proderit plurimum, si Princeps tantum apud subditos auctoritate valeat, ut ipsi ex concepta de zelo illius erga bonum commune opinione æquum judicent onus, quod iis imponitur, & ultro in illud consentiant, totos sese ejus prudentiæ, & notitiæ rerum publicæ committendo, quomodo ad Iosephi arbitrium sese referebant Ægyptii, cum quintam fructuum partem ab iis *e* exigeret. Vbi populus istam de Principe conceperit fiduciam, cavere debet sedulo, ut ne eam absque sufficienti caussa & matura consilii deliberatione oneret. Verum si necessitas urgens aliud postulaverit, illud curet saltem, ut tributa, quæ exiguntur, bene impendantur: nihil enim gravius fert populus, quam si nullum oneris sui fructum videat, & fortunas suas in usus inutiles insumi intelligat. Tum illud etiam odit, si tributa,

S 5 quæ

a *Num sanguinem hominum istorum, qui profecti sunt, & animarum periculum bibam?* 2 Reg. 23. 17.

b *Ferocissimo quoque assumpto; aut quibus ob egestatem, ac metum ex flagitiis maxima peccandi necessitudo.* Tacit. lib. 3. Annal.

c 1 Reg. 22. 2.

d Mar. Hist. Hisp. l. 15. c. 21.

e *Salus nostra in manu tua est; respiciat nos tantum Dominus noster, & læti serviemus Regi.* Gen. 47. 25.

quæ suasit necessitas, ea cessante continuent. Quare tollere ea debet Princeps, ne fiat, quod tempore Vespasiani accidit, quando tributa b *necessitate annorum excusata, etiam in pace mansere*; postea enim ea metuunt, & pendere detrectant subditi, tametsi exigua sint, existimantes nimirum, ea fore perpetua. Regina Maria plurimum Regni studia sibi devinxit, ejusque fidelitatem in maximis etiam motibus experta fuit, eo quod subditis remisisset exactiones, quas maritus ejus Rex Sanctius Quartus ex rebus ad commeatum pertinentibus postulaverat.

§. Illud difficile, persuadere Regno, ut pecuniam contribuat ad bellum foris gerendum; neque enim facile capit, quantum ad pacem domi conservandam conducat, illud quam longissime arcere, & in alienos inferre Status, quodque minus periculosa sit defensio, quæ clypeo fit, quam quæ galea, eo quod longius ille absit à capite. Brevissimus est populi visus, nec tam longum videt. Onus præsens magis percipit, quam futurum beneficium, nec cogitat defuturos postea sumptus publicos & privatos, ut damna neglecta sarciuntur. Quare singulari solertia & prudentia Principis opus erit, ut propriæ suæ utilitatis capax fiat.

§. In exactionibus illud quoque considerandum, ne oneretur Nobilitas: cum enim tributa potissimum sint, quæ eam à plebejis discernant, ægerrime fert iis parem se æstimari, & sua violari privilegia, Majorum virtute parta & acquisita. c Hæc caussa fuit, cur Nobiles Castellani contra Regem Henricum Tertium arma sumpserint, cum à singulis quinque maravedinos aureos (monetæ id genus est) in communes belli usus deposceret.

§. Nec imponi debent tributa iis rebus, quæ ad vitam præcise sustentandam sunt necessariæ; sed iis potius, quæ deliciis deserviunt, aut curiositati, aut ostentationi & pompæ: sic enim fiet, ut correcto immodico luxu, major oneris pars incumbat in ditiores & magis potentes, & subleventur agricolæ & opifices, quæ communitatis pars vel maxime fovenda & conservanda est in Republica. Sic Romani magna exigebant tributa pro aromatibus, unionibus & gemmis pretiosis, quæ ex Arabia asportabantur. Alexander Severus ea deposcebat ex officiis, quæ ad lasciviam magis essent, quam ad necessitatem. Instauratæ disciplinæ pars est deliciarum augere pretium.

§. Nulla tributa minus noxia, quam quæ advectis mercibus imponuntur in portubus: ea enim magnam partem pendunt Exteri. Quare prudentissime in iis constituti sunt reditus Regii in Anglia, ipso Regno immuni relicto.

§. Maximum tributorum & vectigalium regiorum incommodum est in Quæstoribus

a Tacit. l. 2. Hist.

b *Plerumque accidit, ut quæ Provinciæ pecuniæ parcendo remota pericula contemnunt, incumbentibus demum malis, desperato sæpe remedio, graviora sentiant detrimenta.* Paul. Iov.

c Mar. Hist. Hisp. l. 11. c. 14.

bus seu Coactoribus, qui interdum plus damni adferunt, quam tributa ipsa; neque ullam rem impatientius tolerant subditi, quam violentiam & importunitatem Ministrorum in cogendis ejusmodi pecuniis. Solam Siciliam tributorum exactiones modestius tulisse Cicero memorat: Deus ipse per Isaiam Prophetam de iis conqueritur, quod populum suum *a* exspoliaverint. In Ægypto Propheta aliquis tributis præerat, ita nulli ea in re satis confidebant, nisi qui peculiariter esset Deo dicatus; his vero temporibus ea committuntur institoribus & usurariis, qui non minus naves portum subeuntes exspoliant, ac ipsum naufragium, & velut prædones ultro citroque commeantium bonis *b* inhiant. Quid mirum igitur, commercia in Regnis desinere, nec aliunde divitias inferri & pecunias, si prædæ omnia sint exposita? quid mirum, inquam populum graviter ferre exactiones, si persolutis iis, quæ debentur Principi, decuplo amplius Exactoribus pendendum sit. Ob isthæc incommoda tempore Regis *c* Ioannis Secundi in Comitiis Guadalajarensibus Castellæ Regnum sponte in subsidium obtulit centum & quinquaginta Ducatorum millia, ea tamen conditione, ut penes ipsum essent acceptorum & expensorum libri, quo constare posset, quid in communes usus collatum, & quo modo impensum fuisset, nec eorum permitteretur arbitrio, qui ob pupillarem Regis ætatem Regni habenas moderabantur. Eadem de caussa Regnum Franciæ Henrico Secundo proposuit, ut tributorum Exactores amoveret, pollicentibus subditis persoluturos se, ubicunque ipse vellet, quod in sumptus regios sufficeret; & licet istud initio haud displiceret, non defuere tamen postea Consiliarii, qui ob rationes quasdam apparentes id dissuaderent. Ad idem illud non semel Castellæ quoque Regna sese obtulerunt, immo & ad omnem æris alieni dissolutionem, verum judicatum fuit, cedere in imminutionem auctoritatis Regiæ, si illi Tutoris loco Regnum esset, & hanc ipsam potestatem periculo non carere. Verissimam tamen caussam illam judico, quod plerumque fere rei pecuniariæ curatio, & occasio tam opportuna multos ditandi ægre è manibus dimittatur. Auctoritas Principis non in administratione magnarum opum consistit, sed in eo, quod multa possideat. Non minus existimationis suæ retinens erat Respublica Romana, quam ulla alia, & tamen ob ingens illud onus cogendi pecunias præcepit, ut ipsæ Provinciæ sua administrarent tributa & colligerent; neque vero ideo intermisit in officio continere Magistratus, ut sine avaritia & crudelitate illa collectio fieret, qua in re Tiberius apprime diligens

a *Populum meum exactores sui spoliaverunt.* Isai. 3. 12.


b *Portus nostros navis veniens non pavescat, ut certum nautis posset esse naufragium, si manus non incurrerint exigentium, quos frequenter plus affligunt damna, quam solent mutare naufragia.* Cassiod. 4. & 19.

c Mar. hist. Hisp. lib. 19. c. 7.

gens *a* fuit. Sane modeſtia in uno aliquo tributo exigendo obligat ſubditos, ut ultro in plura alia largienda conſentiant.

a *Ne Provincia novis oneribus turbarentur, utque vetera ſine avaritia aut crudelitate Magiſtratuum tolerarent.* Tacit. l. 4. Annal.

SYMBOLVM LXVIII.



INgenioſi Græci Philoſophiam non ſolum naturalem, ſed moralem etiam & politicam ſcitis quibuſdam fabularum involucris (ut Ægyptii hieroglyphicis) abdiderunt, aut ne manaret in vulgus, aut ut à dulci illa fabularum amœnitate

nitate penitius eam imprimerent animis. Ita cum vires navigationis & opes, quæ ejusdem acquiruntur beneficio, vellent ob oculos ponere, finxerunt navim Argo (quæ prima omnium è portu solvere, & alio sese mari committere ausa fuerat) obtinuisse vellus Colchicum, pellem nimirum arietis inauratam; quo præclaro facinore Palladi armorum Præsidi consecrari promeruit, & inter ipsas Firmamenti transferri constellationes, in præmium scilicet tot susceptorum non absque insigni periculo itinerum, palam ostendendo universo orbi, velorum remorumque beneficio inter ipsos undarum montes vias fieri posse, quibus impellente vento arma & merces in omnes mundi partes inferre liceat. Isthæc moralis doctrina, & quia jam navis illa in cœlesti sphæra inter stellas relata est, occasio mihi fuit, ut in præsenti Emblemate binas depingerem, quæ poli essent hujus terrestris orbis, & clare subjicerem oculis, navigationem esse, quæ commerciorum usu terram sustentat, ejusque dominia armis roborat. Mobiles sunt isti navium poli, sed in illa ipsa eorundem mobilitate Imperiorum consistit stabilitas. Vix ulla unquam fuit Monarchia, quæ iis quasi fundamentis innixa non fuerit. Si Hispaniæ ambo illi poli maris Mediterranei & Oceani deessent, mox ejus corrueret amplitudo; nemo enim non videt, Provincias tam distantes inter se in periculo fore, nisi vela remique eas unirent quodammodo, & suppetias militares ad earundem conservationem defensionemque tempestive submitterent, ita ut naves & triremes nil aliud, quam marini quidam pontes esse videantur. Eam ob caussam Carolus Quintus Imperator, & Dux Albanus Ferdinandus Regi Philippo Secundo suaserunt, ut in mari potissimum armis & copiis militaribus præstare aliis conaretur. Nec ignoravit Rex Sisebuthus, quanti id referret, qui primus iis viribus in mari Hispanico usus fuit. Idem quoque consilium Themistocles suæ dedit Reipublicæ, & reipsa postea Romani secuti sunt, ut orbem suæ ditioni subjicerent. Elementum illud terram ambit & edomat. In illo vis juxta ac velocitas locum habent. Qui fortiter iis uti noverit, terræ dominum se constituit. In hac minantur arma, & ex una sola parte feriunt, in mari ex omnibus. Nulla tam vigilans cura est, quæ omnibus semper oris maritimis ante possit prospicere; nulla tanta potentia, quæ sufficienti eas queat tueri præsidio. Maris beneficio Nationes omnes ad morum mansuetudinem adducuntur, quæ incultæ alias essent ac barbaræ absque navigationis commercio, unde communis fit linguarum usus; id quod docere voluit Antiquitas, dum clavum navis Argo sermone usum fuisse finxit, ut innueret, credo, illius beneficio exteras adiri & celebrari Provincias; siquidem navis gubernaculum est, quod singulis opes & divitias aliarum communicat, una Provincia

alteri viciſſim largiente, quod eidem deeſt; qua neceſſitas & ſubſidium mutuum reciprocam illam amorum familiaritatem alunt inter homines, quorum unus alterius opera & auxilio carere non poteſt.

5. Atque hæc maris potentia Regnis quibuſdam magis utilis eſt, ac aliis, pro diverſo eorundem ſitu ac diſpoſitione. Monarchiæ in Aſia ſitæ terra magis viribus indigent, quam mari. Venetiæ & Genua, quarum illæ in ipſo mari, hæc eidem proxima eſt, atque ita conſtituta, ut ſcopulis maris potius, quam terræ ſinus eſſe videatur, ad omnem culturam & agricolationem inidoneus, robur ſuum in velis remiſque ponant neceſſe eſt. Et quoad ea habuerunt in pretio, terrori fuerunt orbi ambæ illæ Reſpublicæ, & gloria celebres. Hiſpania, quæ à montibus Pirenæis verſus mare porrigitur, & quaſi inter Oceanum & Mediterraneum ſeſe mediam interjicit, potentiam ſuam fundet in armis navalibus, ſiquidem ad dominium univerſale aſpirare, illudque tueri voluerit. Nec vero deeſt diſpoſitio optima & opportunitas portuum ad arma iſta ſuſtentanda, & ad impediendam aliarum Nationum navigationem, quæ ejuſdem beneficio opes ſibi accumulant, & comparant vires, quibus deinde Monarchiæ Hiſpanicæ bella inferunt. Ob eum finem conduceret armis etiam conſulere ſecuritati commerciorum & mercaturæ, quæ longinquas navigationes ſecum affert, ex portubus armamentaria & granaria efficit, inſtruit eo rebus omnibus pro exercitu neceſſariis, tribuit Regno, unde alantur copiæ militares, auget denique illud, & frequentari facit ab incolis. Hæc & alia commoda Ezechiel adumbrare voluit ſub Allegoria navium, quibus Tyrus (civitas a *in corde maris ſita*) utebatur ad exercendam cum Nationibus omnibus negotiationem, ſiquidem ad illam & naves & nautæ frequentes concurrebant. b *Perſæ, & Lydii, & Lybies erant in exercitu* ejus *viri bellatores: clypeum & galeam ſuſpendebant* in ea *pro ornatu* ſuo. *Carthaginenſes à multitudine cunctarum divitiarum, argento, ferro, ſtanno, plumboque* eam *replebant*. Verbo, nihil uſpiam erat gentium, quod in nundinis illius non reperiretur, ut merito abundans diceretur, & c glorioſa, cujus negotiatione Rex ipſe ſuam auxerat d fortitudinem. Sidonia, Ninivitica, Babylonica, Romana & Carthaginenſis Reſpublicæ mercaturam exercentes & opibus & armis floruerunt. Quandó Venetias & Genuam mercatus defecit & navigatio, fortitudinis exercitium eas defecit pariter, & maximarum gloriarum & trophæorum occaſio. Intra breves arenæ terminos, quæ nec ligone, nec aratro poteſt excoli, ſolis marinis opibus validiſſimos

a *O Tyre tu dixiſti: perfecti decoris ego ſum, & in corde maris ſita.* Ezech. 27. 3.

b *Omnes naves maris & nautæ earum fuerunt in populo negotiationis tuæ.* Ezech. 27. 3. Ibid. v 9. 10. 12.

c *Repleta es, & glorificata nimis in corde maris.* Ibid. v. 25.

d *In multitudine ſapientiæ tuæ, & in negotiatione tua multiplicaſti tibi fortitudinem.* Ezech. 28. 5.

mos Batavia alit exercitus, & populosissimas tuetur civitates, tam sibi invicem vicinas, ut iis sustentandis fertilissimi etiam agri non sufficerent. Gallia nec auri, nec argenti fodinas habet, & mercimoniis tamen, aliisq; nescio quibus puerilibus inventis ferri, plumbi, & stanni temperandi, industriam suam caro facit ęstimari pretio, & divitias congerit; nos alii vero per incuriam tanta maris bona negligimus. Ingenti cum labore & periculo ex remotissimis orbis partibus adamantes, uniones, aromata, multosq; alios thesauros advehimus, nec ultra progredimur; interim alii è labore nostro quæstum faciunt, & ea Europæ, Africæ, & Asiæ Provinciis communicant. Genuensibus aurum nostrum, argentumq; committimus, ut iis negotientur, & pro eorundẽ negotiationibus plurima persolvimus cambia. Hispania Provinciis aliis submittit sericum, lanam, chalybem, ferrum, aliasq; diversas materias, quæ diversimode dein elaboratę revehuntur ad nos, & ingenti à nobis coëmuntur pretio ob vecturæ sumptus, & artificium; adeo ut caro nobis stet Nationum aliarum ingeniũ, & industria. Importantur in Hispaniam merces, quæ aut oculis solum serviunt, aut cito consumuntur, & aurum argentumque vicissim inde effertur alio; quo demum fit, quod dicebat Rex Henricus Secundus, *ut ditescant, & potentes fiant Exteri, immo ipsi interdum hostes tantas colligant opes, ut subditis nostris nihil pane superfit reliquum.* Questus ea de re quondam fuit Tiberius Cæsar, cum ingentẽ illum luxum Matronarum Romanarum in unionibus, gemmisq; pretiosis *a* cerneret. Immortalẽ gloriam promerebitur vestra Serenitas, si certis favoribus honoribusq; dignabitur professi[illegible] negotiationes & mercaturas, quas cives per se ipsos, & Nobiles per personas tertias exercuerint; neq, enim magis naturales sunt reditus, qui è terræ fructibus percipiuntur, quam qui commutationis habentur beneficio, dum rem unam permutamus cum alia, aut pro mercibus pretium persolvimus. Non dedignati sunt mercaturam facere ipsi Principes Tyri, & classes illæ, quas Rex Salomon quot trienniis mittebat in Tharsin, non res solum necessarias advehebant, sed eas etiam, quibus poterat lucrum facere, suas augere divitias, & omnibus aliis Regibus potentia atque opibus *b* antecellere. Pompejus pecunias suas fœnori dabat. Nobilitas Romana, & Carthaginensis nil ideo honori suo detractum putabant, quod mercaturas exercerent. Roma Mercatorum instituit collegium, unde didicisse reor Batavos, quod negotiantium societates erexerint. Id quod majori cum commoditate in Hispania fieri posset, deputatis pro securiori navigatione armatis navibus: ita enim illa non solum cresceret opibus, sed magis

a *Quia lapidum caussa pecunia nostra ad externas, aut hostiles gentes transferuntur.* Tac. l. 3. Annal.

b *Quia classis Regis per mare cum classe Hiram semel per tres annos ibat in Tharsis, deferens inde aurum & argentum, & dentes elephantorum, & simias, & pavos. Magnificatus est ergo Rex Salomon super omnes Reges terræ divitiis & sapientia,* 3 Reg. 22. & 23.

gis

gis etiam florerent arma navalia, & ipsa Nationibus aliis terrori esset. Consideranunt isthæc commoda Lusitaniæ Reges, adeoque per incognita maria armorum ope in Orientem negotiari cœperunt, negotiatione arma sustentarunt, & fundato ea ratione novo amplissimoque Imperio introduxerunt Religionem, quæ ad illas tam remotas Provincias transvolare non potuisset, uti nec postea ad partes occidentales, industria & fortitudine Castellanorum, nisi antennarum plumis lineis, & ex arbore crucis pendentibus, tanquam alis quibusdam usa fuisset, quibus Gentilitati cognoscendam se dedit, quæ alias novos illos hospites, è tam longinquis venientes regionibus, adeo ignotos habuit, ut ne fama quidem de iis ante quicquam a acceperit, & accepta ab iisdem vera Euangelii luce, ac pane divino Eucharistico, tam longe b asportato, exclamat præ gaudio cum Isaia: c *Quis genuit mihi istos? ego sterilis, & non pariens, transmigrata & captiva: & istos quis enutrivit? ego destituta, & sola: & isti ubi erant?*

5. Ad eandem rem illud quoque haud parum interesset, si quemadmodum Romani suum firmarunt Imperium, constitutis præsidiis Constantinopoli, in Insula Rhodo, ad Rhenum, & Gadibus, tanquam in quatuor præcipuis illius angulis; ita nunc in diversis Oceani & maris Mediterranei partibus collocarentur Religiones militares Hispaniæ, ut gloriosa quadam æmulatione obirent maria, piratas arcerent, & commercia cum aliis Nationibus securiora redderent. Sat magna virtutis & fortitudinis præmia, sunt ista Nobilitatis insignia, & opulentæ satis ejusmodi Ordinum militarium Præfecturæ, ut rei tam eximiæ, & tanto Rege dignissimæ initium dari posset. Quod si reditus earundem non sufficerent, nec Corona, privare se vellet dote tot insignium Magisteriorum, quorum administrationem illi concessit sancta Sedes Apostolica, Ecclesiastici quidam reditus applicari in eum finem poterunt. Consilium hoc fuit Regis Ferdinandi Catholici, qui Orani Equites S. Iacobi, Bugiæ vero & Tripoli Ordines Alcantaræ, & Calatravæ volebat constituere, obtenta jam à Summo Pontifice facultate, ut reditus Monasteriorum *del Villar de Venas*, ut vocant, S. item Martini, in Diœcesi S. Iacobi, & Ovetensi, in eum usum posset impendere. Verum propter excitata postea per Italiam belli incendia, ea res effectum non habuit, aut quia forte Deus hanc tam eximii instituti gloriam alii cuidam Regi reservavit. Neque obtendi hic debet ratio Status, quasi ea non permittat, ut summa rei Nobilibus committatur: quippe unde tot ac tantæ seditiones ortæ in Castella, cum tam multi essent Ordinum militarium Magistri, hoc, inquam, nunc obtendi non debet, postquam tot Corona-

rum

a *Ecce isti de longe venient, & ecce illi ab Aquilone & mari, & isti de terra australi.* Isa. 49. 12.

b *Facta est quasi navis institoris, de longe portans panem suum.* Prov. 31. 14.

c Isa. 49. 21.

rum acceſſione tantopere Regum crevit amplitudo, ut incommodum illud metuendum non ſit, præſertim ſi Ordines iſti extra Hiſpaniam fuerint, & eorundem Magiſteria ipſi Coronæ tanquam membra quædam uniantur.

SYMBOLVM LXIX.



NE vel unico momento hanc mundi Monarchiam auro & ferro deſtitui voluit Providentia divina: auro quidem, quod id ad illius conſervationem omnino eſſet neceſſarium; ferro vero, quod abſque eo ſe tueri non poſſet.

Enim-

Enimvero etsi una cum ipso mundo producta non fuerint, alter tamen universi hujus moderator, & astrorum omnium princeps Sol, mox atque conservandarum rerum curam laboremque suscepit, illud egit potissimum, ut expurgaret, & auro illineret terram metallicam, atque in montibus æraria constitueret, ubi & Mars belli Præses materia in ferrum & chalybem consolidata armamentaria erexit. Brachia Rerumpublicarum arma sunt: sanguis earundem & spiritus, thesauri; quod si hi armis robur non tribuant, nec arma vicissim thesauros tueantur ac foveant, imbelles jacebunt Respublicæ, & rapinæ violentiæque omnium erunt expositæ. Narrat Plinius, in Indiis formicarum esse genus, quæ loco granorum tritici, aurea colligant. Auri usum nequaquam iis Natura concessit, voluit tamen, ut tanquam Magistræ alias instruerent Respublicas, quanti referat thesauros cogere. Et licet Politicorum quorundam opinio sit, opes accumulandas non esse, eo quod cupiditas hostium arma excitet; ut accidit Regi Ezechiæ, postquam divitias suas Assyriæ Legatis a ostendisset, & Ægyptii propterea reditus Regios in structuras & fabricas impendebant. Rationes tamen, quas adferunt, & exempla ista vim non habent: nam Ezechiæ ob monstratos thesauros bellum illatum non fuit, sed ob vanitatem ostentationis, & quod in illis magis, quam in Deo spem suam & fiduciam poneret; hinc prædixit illi Isaias Propheta fore, ut omnia b penderet. Ægyptii vero non periculi causa, sed ad distrahendos subditorum animos (quemadmodum suo loco dicemus) & inanis gloriæ studio eos ædificiis extruendis occupabant. Si Princeps thesauros per avaritiam congreget, neque tamen iis utatur, ubi offendendi, aut defendendi postulaverit necessitas, & sumptuum faciendorum metu de præsidiis sufficientibus & armis Statibus suis non provideat, facile futurum arbitror, ut hostes contra se advocet, dando iis occasionem ferreas fabricandi claves, quibus ejus effringant æraria; at ubi thesauros istos in usus opportunos asservaverit, terrorem una incutiet hostibus, & apud eos in veneratione erit, pecunia namque belli c nervus est. Illius beneficio Amici parantur & Socii, nec minus hostium percellunt animos thesauri in ærariis, atque apparatus bellicus, & omnis generis instrumenta militaria in armamentariis, aut classes & triremes in navalibus. Si in eum finem id fiat, non est avaritia thesauros cogere, aut sumptus & donationes moderari,

a *Lætatus est autem in adventu eorum, & ostendit eis domum aromatum, & aurum, & argentum, & pigmenta varia, unguenta quoque, domum vasorum suorum, & omnia quæ habere poterat in thesauris suis.* 4 Reg. 20. 13.

b *Dixitque Isaias Ezechiæ: audi sermonem Domini: ecce dies venient, & auferentur omnia, quæ sunt in domo tua.* 4. Reg. 20. 17.

c *Sed nihil æque fatigabat, quam pecuniarum conquisitio: eos esse belli civilis nervos dictitans.* Tac. lib. 2. Histor.

rari, sed prudentia quædam politica, qualis illa fuit Regis Ferdinandi Catholici, cujus fama, qua miser & infelix passim audiebat, dum viveret, in morte ejus confutata fuit, nulla notabili pecuniarum summa apud eum reperta. Quicquid reponebat, in Monarchiæ fabricam solebat impendere, & gloriam suam collocabat, non in eo, quod sumptus profudisset, sed quod haberet, in quo expenderet. Illud tamen observandum, thesauros colligi interdum ex vera & heroica animi magnitudine, ad exequendas sublimes quasdam & gloriosas cogitationes; sed postea paullatim in avaritiam illa abeunt, & citius ruina Statuum præ oculis est, quam pro illius remedio æraria recludantur. Facillime divitiarum amore capi se sinit humanus animus, & in eas totum se convertit.

§. Nec sufficit, thesauros inter totum Reipublicæ corpus dispertitos esse, ut Chlorus apud Eutropium a volebat: divitiæ enim Principi securitatem creant, periculum subdito. Cerialis Trevirensibus dicebat, b *penes eos aurum & opes præcipuas* esse *bellorum causas*. Si egena sit communitas, privati vero locupletes & divites, prius pericula nascuntur, quam iis occurri possit. Consilia recte institui nequeunt: defugiunt enim ea omnia, quæ ad communem spectant conservationem, cum videant non nisi è privatorum bonis fortunisque subsidia peti posse, adeoque ægre in bellum consentiunt. Hinc Aristoteli videbatur, c *male circa pecunias publicas constitutum esse apud* Spartanos, *quia neque in publico habebant quicquam, & magna bella gerere coacti, pecunias ægre conferebant.* d Et *si privato usui bonum publicũ postponitur*, quanto minus dabitur opera, ut cum detrimento proprio malis communibus occurratur? Experta est illud incommodum Respublica Genuensis, nec alii causæ ruinam Romanæ adscribit Cato in oratione, quam habuisse eum ad Senatum contra Catilinariæ conjurationis conscios refert Sallustius, quam quod (ut explicat e S. Augustinus) à primo suo descivisset instituto, ubi pauperes erant privati, opulenta vero communitas, cujus rei non absque querela etiam Horatius meminit:

——— f *Non ita Romuli*
Præscriptum, & intonsi Catonis
Auspiciis, veterumque norma,
Privatus illis census erat brevis,
Commune magnum.

§. Magni Reges suæ potentiæ confisi curam omnem thesauros colligendi, aut jam collectos conservandi plerunque abjiciunt, & effusioni prodigæ sese dedunt, nec satis expendunt, ubi thesauri pro necessitatibus defuerint, necesse esse ut subditos deinde tributis onerent, cum gravi fidelitatis eorundem periculo; & quanto Monarchia fuerit major, tanto majoribus im-

a *Melius publicas opes à privatis haberi, quam intra unum claustrum asservari.* Eutrop.
b Tac. lib.4. Hist.
c Arist. lib.2. Pol. c.6.
d Tac. lib.6. Annal.
e S. Aug. l.de civit. Dei c.12.
f Horat.

impensis & sumptibus opus fore. Centimani Briarei Principes sunt, qui si quinquaginta accipiant manibus, centum aliis iterum debent expendere. Nec ullum Regnum tam opulentum, ut ejus divitiæ manui alicui prodigæ sint satis. Nubes una hora effundunt vapores, quos multorum dierum spatio collegere. Thesauri illi, quos natura multis etiam sæculis in secretis montium ærariis coëgerat, immoderatæ Romanorum Imperatorum profusioni minime sufficere potuerunt. Et solet id plerunque accidere Successoribus, qui thesauros jam collectos reperiunt: inutiliter enim consumunt, quod absque labore iis obvenit, & mox ærariorum diruunt aggeres, ut statua suos deliciis inundent. Non integro adhuc triennio sexaginta sex auri milliones prodegit Caligula, etsi id temporis scutum unum valeret tantum, quantum nunc decem. Fatua est potentia, & ideo opus habet, ut corrigatur à prudentia œconomica: absque hac enim mox ruunt Imperia. Romanum inclinare visum est, ex quo profusionibus immodicis & sumptibus nimiis Imperatorum thesauri illius cœperunt prodigi. Armis & opibus mundus hic regitur. Istud in præsenti Emblemate gladius significat, & ramus aureus, quos supra terræ orbem brachium sustinet, ad innuendum nimirum, utroque illo universum hoc gubernari, alludendo ad illam Virgilii fabulam de Ænea, qui utriusque adminiculo ad infernum usque penetravit, ejusque monstra ac furias domuit. Non sauciat gladius, cujus acies aurea non est, nec sufficit animi fortitudo absque prudentia œconomica, neque armamentaria sine ærariis, adeoque bellum decernere Princeps prius non debet, quam cum animo suo expenderit, num sufficientes ad id vires & media suppetant. Ei rei proderit, si Ærarii Præfectus una etiam à consiliis sit Principi; ut in consultatione referre possit, qui ac quanti sint reditus Regii, quæve media ad arma capessenda sese offerant. Cauta admodum & circumspecta esse debet potentia, & considerare diligenter, quid moliatur, aut agat. Quod in fronte præstant oculi, id in animo prudentia œconomica efficit: si hæc Regnis, & Rebuspublicis desit, cœca erunt, adeoque sicut Polyphemus, amisso semel per Vlyssis astutiam unico suo frontis oculo, in vanum saxa jaciebat, ut sese ulcisceretur: ita illa quoque divitias suas & thesauros inutiliter prodigent. Sat multos hac nostra ætate consumi vidimus absque fructu ex inani aliquo metu in distrahendis hostium consiliis, in exercitibus frustra conscribendis, in suscipiendis bellis, quæ aut amica compositione, aut dissimulatione potuissent evitari, in subsidiis pecuniariis male collocatis, & aliis inutilibus sumptibus, quibus principes potentiores se fore autumabant, & contra accidit. Ostentationes comminationesque auri intempestive & imprudenter profusi seipsis evanescunt, neque possunt posteriores

ſteriores prioribus eſſe pares, eo quod una aliam enervet. Vires facile inſtaurantur; at divitiæ ſemel inaniter effuſæ recuperari nequeunt. His uti non oportet, niſi ubi neceſſitas poſtulaverit. Occurrentibus primis monſtris non aureum ramum Æneas objecit, ſed gladium.

a *Corripit hic ſubita trepidus formidine ferrum*

Æneas, ſtrictamque aciem venientibus offert.

At poſtquam vidit nec precibus, nec pactione Charontem moveri poſſe, ut ſeſe in oppoſitam fluvii ripam trajiceret, aureum ramum protulit (abditum hactenus & occultatum) & munere iſto iratum illius animum *b* placavit.

c *Si te nulla movet tanta pietatis imago,*

At ramum hunc (aperit ramum, qui veſte latebat)

Agnoſcas. Tumida ex ira tunc corda reſidunt.

Nec plura his, ille admirans venerabile donum

Fatalis virga longo poſt tempore viſum,

Caruleam advertit puppim.

In eam ergo curam incumbant Principes, ut illos prudentiæ oculos, ſupra ſceptrum collocatos, claros ſemper habeant & perſpicaces, neque œconomiam dedignentur: ab hac enim ſalus illorum dependet & conſervatio, & ipſi ſubditorum ſuorum patresfamilias ſunt. Magnus ille Auguſti animus boni publici cauſa eo uſque ſe demittebat (quemadmodum alibi dicimus) ut manu ſua adnotaret accepta & expenſa redituum Imperii. Si in Hiſpania minus prodigum fuiſſet bellum, & pax magis œconomica, jam pridem univerſo orbi dominaretur. Verum per incuriam, quæ plerumque magnam potentiam comitari ſolet, opes illæ, quæ Hiſpaniam inexpugnabilem reddere potuiſſent, nunc ad alias Nationes tranſiere. A ſimplici Indorum gente rerum vilium permutatione eas coëmimus; & poſtea nos ipſi, æque ſimplices ac illi, ſinimus, ut exteri rurſum eas à nobis alio aſportent, & cuprum fortaſſis, aut plumbum pro iis reſtituant. Caſtellæ Regnum fuit, quod viribus ſuis & fortitudine Monarchiam evexit, interim triumphant alia, ipſum vero inopiam pæne patitur, neque recte uti novit tot ingentibus theſauris, qui peregre advehuntur. Ita placuit Providentiæ divinæ potentias attemperare inter ſe, & ad æqualitatem aliquam reducere. Grandioribus vires largita eſt, at non induſtriam, contra ac conceſſit minoribus. Verum ne detegere ſolum vulnera videar, & non etiam iiſdem mederi, indicabo hic paucis cauſas eorum & remedia. Neque tamen hæc ex quinta erunt eſſentia, ut loquuntur, neque ex arbitrio ſolum ſpeculativo, quæ primum cum admiratione ſuſpicit novitas, poſtea cum damno rejicit experientia; ſed ea, quæ ratio ſuggerit naturalis, & tanquam vulgaria contemnit ignorantia. Potiſſimæ divitiæ ac opes terræ fructus ſunt.

a Virgil.

b *Munus abſconditum extinguit iras.* Prov. 21, 14.

c Virgil.

Nec

Nec ditiores in Regnis fodinæ, quam Agricultura. Nôrant illud Ægyptii, qui sceptrum sic efformabant, ut inferne in vomerem aratri desineret, volentes innuere, in eo potissimum potentiam illius & amplitudinem consistere. Plus emolumenti acclivia montis Vesuvii latera adferunt, quam Potosus mons cum intimis suis visceribus, licet argentiferis. Non mero casu natura tam liberaliter omnibus orbis partibus fructus impertivit, aurum vero argentumque in imis terræ penetralibus abdidit. Data opera communes illos fecit, & supra terram palam exposuit: a *Maxima* enim *pars hominum è terrà vivit, & fructibus urbanis*; ista vero metalla in profundo conclusit, ut labore opus esset ad ea eruenda expurgandaque, ne copia eorundem noceret mortalibus, si plus suppeteret, quam pro quotidiano commercio & negotiatione, quæ loco permutationis mercium, moneta nunc solent confici, foret necessarium. E solis pæne terræ fructibus tam opulenta & locuples fuit Hispania superioribus sæculis, ut Rex Franciæ Ludovicus temporibus *b* Regis Alphonsi Imperatoris Toletum veniens, aulæ illius magnificentiam & splendorem fuerit admiratus, negaveritque se curiam similem in Europa & Asia, quas Provincias præsens obierat, quo tempore sacram expeditionem susceperit, unquam vidisse. *c* Tantum splendorem unus tunc Castellæ Rex servabat, tot bellis intestinis distractus, & majore Regnorum illius parte à Mauris occupata. Et sunt inter Auctores, qui dicant, in sola Castella pro bello sacro adversus Christiani nominis hostem centum peditum millia, decem millia equitum ex nationibus exteris confluxisse, curruum, impedimentis portandis, fuisse sexaginta millia, & præterea à Rege Alphonso Tertio militibus omnibus, Tribunis & Principibus pro cujusque munere ac dignitate stipendia in dies singulos annumerata. Sumptus istos ingentes & provisiones, quarum veritas vix hoc tempore fidem invenit, sola præstare Castella, & insuper exercitus hostium multo etiam copiosiores alere potuit, nec tamen thesauros tunc expectabat extraneos, temporum injuriis & hostibus expositos, usque dum Cantabro cuidam per mare vastum oberranti, applaudente fortuna, videre licuit, & designare novum aliquem orbem, antea incognitum, aut certe ab antiquis oblivioni traditum, & gloriæ Columbi reservatum, qui post Hispani illius, primi detectoris, obitum potitus delineationibus, quas ille fecerat, promittere ausus fuit, ostensurum se reipsa, non absque rei veritate detectas fuisse Provincias illas tam remotas, nec absque causa ab ipsa Natura interjectis undarum montibus; tam longe positas. Communicavit hoc consilium suum cum Viris quibusdam principibus, ut subsidio eorundem tam arduum, tamque diffi-

a Arist. lib. Pol. c. 5.
b Mar. hist. Hisp. lib. 11. c. 3.
c Idem Hist. Hisp. lib. 11. c. 23.

difficile opus facilius sibi aggredi liceret; verum nemo repertus fuit, qui tantæ novitati fidem haberet. Quod si ex providentia quadam factum fuisset, & non potius ob denegatam fidem, prudentiæ laudem promereri potuissent, quam consecuta olim fuit Respublica Carthaginensis, quando jactantibus se coram Senatu quibusdam Nautis de inventa quadam Insula opibus deliciisque affluente (Hispaniolam fuisse credunt) interfici eos jussit, existimans hanc talis Insulæ detectionem Reipublicæ plus detrimenti quam commodi allaturam. Recurrit denique Columbus ad Reges Catholicos, Ferdinandum & Isabellam, quorum generosi animi, plurium orbium capaces, uno solo contenti non erant, qui proinde cum fidem illi tribuissent, & sumptus in iter necessarios, immensis Oceani fluctibus sese commisit, & post diuturnas & longinquas navigationes, in quibus non minus à sociorum diffidentia, quam incognitis maris vorticibus fuit periculi, cum navibus auro argentoque onustis in Hispaniam rediit. Admiratus est populus ad ripam Bætis pretioso, illos terræ partus, Indorum sudore protractos in lucem, & nostra advectos audacia atque industria. Verum totum hoc inverrit postea tantarum opum possessio & abundantia. Stetit illico aratrum agricultura, & jam sericum induta mollius habuit callosas à labore manus. Mercatura altiores sumens animos mensas argentarias commutavit in ephippia, & per plateas publicas otiosa vagari cœpit. Artes fastidivere instrumenta mechanica. Monetæ aureæ argenteæque omnem aspernatæ sunt mixturam, & exclusis aliis metallis, puræ manserunt & sinceræ, adeoque à Nationibus aliis per vias varias expetitæ fuerunt & conquisitæ. Res omnes in superbiam se extulere, & vilescente jam auro argentoque pretia suæ accenderunt. Accidit nimirum Regibus, quod Neroni Imperatori, quem homo quidam Afer in fraudem induxit, jactitans in fundo suo ingentem se reperisse thesaurum, quem Regina Dido ibi defodisse crederetur, aut ne divitiarum affluentia viriles subditorum suorum animos enervaret, aut ne aliorum forte cupiditas arma in Regnum suum pelliceret: quod quia Imperator tanquam certum & exploratum habebat, a *gliscebat interim luxuria spe inani, consumebanturque veteres opes, quasi oblatis quas multos per annos prodigeret. Quin & inde jam largiebatur: & divitiarum expectatio inter causas publicæ paupertatis erat.* Eadem spe delusi nos quoque nobis persuasimus, non ultra opes esse fixis & statis ærariis; sed sufficere mobilia illa & incerta classium, nec satis expendimus, potentiam hanc nostram à ventorum tempestatumq; dependere arbitrio, quomodo vitam populi Romani ex iisdem dependere ajebat Tiberius, eo quod sustentationi necessaria Provinciæ transmarinæ iis sub-

a Tac. lib. 16. Annal.

a ſubmitterent; quod periculum Aletus ponderabat perſuaſurus Gofredo, ut à ſuſcepto bello ſacro deſiſteret.

b *Da i ventu dunque il viver tuo dipende?*

5. Et quia *de facultatibus* c *ſuis amplius, quam in his eſt*, plerunque *ſperant homines*, crevit faſtus & pompa regis, aucta ſunt ſalaria, ſtipendia, & alii Coronæ ſumptus è fiducia & exſpectatione extranearum opum, quæ male dein adminiſtratæ, aut non ſatis conſervatæ, tantis impenſis minime potuerunt ſufficere, & occaſionem dederunt æri alieno contrahendo, hoc vero uſuris & cambiis. Ingraveſcente porro neceſſitate, majoribus indies ſumptibus opus fuit. Sed nihil bono communi plus nocuit, quam permutatio Monetarum, quodque animadverſum non fuerit, non minus ac ipſam Religionem, *d* in ſua puritate conſervandas eas eſſe, & Reges Alphonſum Sapientem, Alphonſum Undecimum, & Henricum Secundum, qui eas immutarunt, & Regnum & ſeipſos in graviſſimum conjeciſſe diſcrimen, quorum damna documento nobis eſſe deberent; ſed quando fatalia mala ſunt, nec experientiæ movent, nec exempla. Surdus itaque ad hæc monita Rex Philippus III. in duplum auxit valorem monetæ æreæ, quæ ad ea uſque tempora contemperata ſic fuerat, ut levium rerum deſerviret commercio, & tamen monetæ majoris pretium exæquaret. Innotuit Nationibus exteris æſtimatio, quam monetarius Regis marculus vili iſti materiæ tribuerat, & mox illa ipſa in negotiationibus uti cœpere, ſiquidem cuprum elaboratum invexere in Hiſpaniam, aſportatis inde auro, argento, aliiſque mercibus. Quare plus attulere damni, quam ſi ſerpentes omnes & animalia venenata Africæ ſparſiſſent per Hiſpaniam, & Hiſpani; qui alias irriſerant Rhodios, quod cuprea uterentur moneta, Nationibus aliis riſui fuerunt & ludibrio. Impeditum fuit commercium gravi illo & inutiliti metallo. Creverunt rerum pretia, & merces ſenſim defuere, ſicut temporibus Regis Alphonſi Sapientis. Ceſſavit emptio & venditio, atque una imminuti ſunt reditus Regii, adeoque neceſſe fuit nova tributorum & exactionum adinvenire media; unde porro factum, ut interquieſcentibus jam commerciis Caſtellæ opes conſumerentur, & eadem renovarentur incommoda, ſubortis aliis ex aliis, quæ circulum fecere pernicioſum, majoremque nunc minitantur ruinam, ni tempori adferatur remedium, & pretium monetæ illius æreæ ad valorem ſuum intrinſecum reducatur. Quis igitur non exiſtimaſſet, auro novi illius orbis mox hunc alterum acquiſitum iri? & vidimus tamen, plus antea effectum fuiſſe ſolo animi robore ac fortitudine, quam poſtea tantis divitiis;

a *At hercule nemo refert, quod Italia externæ opis indiget, quod vita populi Romani per incerta maris & tempeſtatum quotidie volvitur.* Tac. lib. 3. Annal. b Taſſ.

c §. in fraudem inſtitut. quibus & cauſ. man.

d Mar. hiſt. Hiſp. lib. 33. cap 9. lib. 16. cap. 2. lib. 17. cap. 14.

divitiis; uti Vitellii tempore Tacitus a observavit. Illa ipsa damna ex Indiarum detectione mox experta sunt, alia etiam Regna & Provinciæ exteræ, ob fiduciam tantarum opum, & passu eodem, quo in Castella, ascendit in iis rerum pretium, & accrevere sumptus, ultra quam proprii ferrent reditus, unde etiamnum iisdem confli&antur incommodis, & tanto quidem majoribus, quanto Provinciæ illæ absunt longius, & incertius est auri atque argenti remedium, quod advehitur ex Indiis,& ab Hispania iis communicari debet.

5. Hæc incommoda sunt, quæ Indiarum detectio secum attulit, & incognitis eorundẽ caussis,facile cognoscuntur remedia. Primum est,ut ne negligatur Agricultura spe illarum opum: eæ enim, quas è terra colligimus, magis naturales sunt, certiores & magis omnibus communes;quare Agricolis privilegia concedere oporteret, eosque ab oneribus belli aliisque eximere.

Secundum est, ut (cum res quælibet in integrum restituatur per media contraria iis, à quibus destructa fuit, sumptusque majores sint,quam metallorum illorum spes & exspectatio) procuret Princeps, tanquam bonus Paterfamilias; id quod Neroni suaserunt b Senatores, ut reditus publici excedant potius quam deficiant sumptus ordinarios, moderando superfluos, ad imitationẽ Antonini Pii Imperatoris, qui stipendia & salaria Imperii non necessaria omnino sustulit, quo modo eadem etiam correxit Alexander Severus Imperator,dicens Tyrannum esse Principem,qui suarum Provinciarum visceribus ea sustentaret. Deplorent pauci ejusmodi correctiones, non ipsum Regnũ. Quod si abusus,& providentię defectus ditarunt officia, & munera tam pacis, quam belli: si ea introduxit vanitas titulo magnificentiæ, cur eadem non emendet Prudentia? cumque quanto majores sunt Monarchiæ, tanto abusus illi majores sint,ita majores quoque erunt effectus hujus remedii. Nullum tributum, nullus reditus amplior, quam vitare sumptus. Aurum quod effusum est semel, non revertitur.Aggeribus oppositis crescunt fluviorum fontes. Attinere pecuniam, est sistere argentum vivum, & lapis Philosophicus maxime probatus ac locuples. Vnde certum mihi est, si Rex aliquis per ministros suos probe instructus de sumptibus, qui terra marique evitari possent, eos moderetur, reditus illius tam fore liberos, ut sufficerent ad solvenda debita, ad minuenda tributa, & ingentes thesauros accumulandos; quomodo fecit c Rex Henricus III. qui cum patrimonium regium graviter obæratum animadverteret; coactis generalibus Comitiis, cum Proceribus deliberavit de remedio, neque

a *Vires luxu corrumpebantur, contra veterem disciplinam & instituta Majorum, apud quos virtute, quam pecunia res Romana melius stetit.* Tacit. lib. 2. Histor.

b *Vt ratio quæstuum, & necessitas erogationum inter se congruerent.* Tacit. l. 13. Annal.

c Mar. Hist. Hisp. lib. 19. c. 2.

quę aliud commodius visum, quam quod hic proponimus, æs militare scilicet & pensiones ad antiquas priorum Regum rationes revocandas, & sumptus superfluos tollendos esse. Qua in re curandum præterea, ut ne tot sint ærarii publici Quæstores, Magistri rationum, & Exactores, qui (ut alibi dicimus) arenæ quædam sunt Libycæ, ubi exarescunt & consumuntur omnes redituum Regiorum rivuli, qui illac transeunt. Magnus Turcarum Imperator, tametsi ingentia habeat vectigalia, pro iis tamen colligendis non nisi duobus utitur supremis ærarii Præfectis: uno in Asia, in Europa altero. Rex Franciæ Henricus Quartus (non minus œconomiæ peritus, ac fortis) damnum istud agnovit, adeoque pecuniæ Regiæ Ministros ad sufficientem minoremque numerum reduxit.

Tertium remedium est, ut a *quoniam plerumque inverecunda petentium inhabitatione constringuntur* Principes, *ut etiam non concedenda tribuant*, privilegia, immunitates & gratiæ ærario Regio perniciosæ revocentur, si præsertim eæ concurrant caussæ, quæ alias ad similia beneficia Regis Henrici IV. revocanda in quadam lege moverunt Reges Catholicos. Nam (ut in alia lege dixerunt) b *no conviene à los Reyes usar de tanta largueza, que sea convertida en destruicion, porque la franqueza debe ser usada con ordenada intention, no menguando la Corona Real, ni la Real Dignidad.* Et si aut necessitas, aut negligentia Principis illud non considerarit, postea parandum est remedium. Eam ob caussam, cum Rex Ramirus Aragonius Corona se abdicasset, rescissæ sunt donationes omnes, quæ Regni vires exhauserant. Idem fecere Rex Henricus Secundus, cognomento Liberalis, & Regina Isabella. Rex Ioannes Secundus revocavit privilegia & immunitates, quas ipse & ejus Antecessores quibusdam indulserant. Principibus nempe usu venit, quod idolis Babylonicis, è quorum coronis, teste Ieremia, Sacerdotes aurum argentumq; subducebant, & convertebant in usus c proprios. Istud cum intellexisset Rex Henricus Tertius, præcipuos Regni Proceres captivos detinuit, & reddere jussit, quod è Coronæ reditibus usurpaverunt, quo facto, & bona vectigalium regiorum administratione ingentes in arce Madritensi thesauros congregavit.

Remedium ultimum (quod primum esse debuerat) illud est, ut nimirum Princeps ipse tam circa se, quam suam familiam sumptus vitet superfluos, si quidem velit, ut eosdē etiam Status sui defugiant, quorum emendatio (uti ajebat Rex d Theodatus) ab ipso Princi-

a L. fin. C. de man. non exec. lib. 21.

b L. 15. tt. 10. lib. 5. Recop. L. 3. tt. 10. lib. 5. Recop.

c *Coronas certe aureas habent super capita sua Dii illorum; unde subtrahunt Sacerdotes ab eis aurum & argentum, & erogant illud in semetipsos.* Baruch. 6. 9.

d *A domesticis volumus inchoare disciplinam, ut reliquos pudeat errare, quando nostris cognoscimur excedendi licentiam non præbere.* Cassiod. l. 10. ep. 5.

Principe inchoari debet, ut effectum habeat. Sanctus Ludovicus Franciæ Rex Filium suum Philippum admonuit, *daret operam, ut impensa moderatæ essent, & rationi consentaneæ.* a Malum ex eo oritur, quod Principes ad animi magnitudinem pertinere arbitrentur, si sumptuum rationes nunquam ineant, & quod profusionem pro liberalitate habeant, nec satis considerent, deficientibus opibus, contemptos se fore, veramque magnificentiam non in eo consistere, quod multa inutiliter prodigantur, aut in solemnitatibus publicis, aliisque ostentationibus, sed quod arces & propugnacula sufficientibus instructa sint præsidiis, & conserventur exercitus. Carolus Quintus Imperator in Comitiis Vallisoletanis officia & stipendia Palatii sui moderatus est. Vera Principum magnanimitas in eo est posita, si liberales sint erga alios, in semetipsos parci & moderati. Propterea Hispaniæ & Franciæ Rex Sisenandus (hoc titulo eum compellavit Concilium Toletanum Quartum) dicebat Reges esse debere b *mais escasos, que gastadores*; hoc est, parcos magis, quam prodigos. Sat scio, quam remedia ista difficilia sint & ardua; verum tamen, ut cum Petrarcha hoc dicam, c *Multa scribo, non tam ut sæculo meo prosim, cujus jam desperata miseria est, quam ut me ipsum conceptis exonerem, & animum scriptis soler.*

§. De monetarum remediis vix ausim aliquid dicere, quia pupillæ sunt oculorum Reipublicæ, quæ sine offensione manibus tangi se non sinunt, adeoque satius videtur intactas eas relinquere, quam usum antiquum immutare. Nullum tantum est judicium, quod prævertere queat incommoda omnia, quæ ex quacunq; illarum novitate subnasci solent, donec experientia ipsa ea deprehendat: cum enim sint veluti regula & mensura contractuum, iis variatis patiuntur omnes, perturbantur commercia, & Respublica ipsa quasi extra se ponitur. Eam ob rem postquam Rex Petrus Secundus Corona se abdicasset, prudentissime statutum fuit ab Aragoniæ Regno, ut omnes deinceps Reges ante, quam ad sceptrum admitterentur, jurejurando se obstringerent nihil se circa usum & materiam monetarũ immutaturos. Hæc Principis est obligatio, quomodo ad eundem Regem Petrum perscripsit Innocentius III. Pontifex, cum Regnum illud adversus ipsum tumultuari inciperet, cujus rei illa videtur ratio, quod Princeps juri gentium subjectus sit, & tanquam custos fidei publicæ cavere debeat, ne monetarum natura immutetur, quæ in materia, forma & quantitate consistit; neque potest bene constitutum esse Regnum, ubi illarum deficit puritas. Verum ne hanc materiam tam Reipublicæ utilem omnino silens prætercam, duo solum dicam: primum est, tunc monetam justam fore, & ab incommodis liberam, cum ad valorẽ ejus intrinsecum sola signatura exterior accesserit, & auri argen-

a Bell. in vita S. Ludov.
b L. 2. del. prol. del. fuer. Iuzg.
c Petrar.

argentique inter se contemperatio convenerit cum mixtura simili aliorum Principum: ita enim fiet, ut è Regno alio non transportentur. Alterum est, ut monetæ eodem pondere & valore constent, quo monetæ aliorum Principum, permittendo insuper ut extranearum etiam usus sit; supremo Principis imperio quicquam derogat, si in sua ditione typo monetario & insignibus alienis utatur, quæ solum pondus & valorem metalli illius attestentur. Atque hoc commodissimum videtur in iis Monarchiis, quæ commercia & negotiationes cum Nationibus variis exercent.

SYMBOLVM LXX.

Non fert consortes Imperium, nec dividi se sinit Majestas: fieri enim non potest, ut eorum quilibet uno eodemque tempore mandet simul & pareat, præsertim cum potestas & casus occurrentes tam accurate inter duos dispertiri nequeant, aut ambitio tam servari in æquilibrio, quin alter alrero velit esse superior, aut quin invidia & æmulatio perturbent concordiam.

a *Nulla fides Regni sociis, omnisque potestas*
Impatiens consortis erit.

Impossibile videtur, ut jussa & imperia duorum, qui simul præsunt, non sibi invicem adversentur. Moyses & Aaron germani fratres erant, & tamen, cum Deus hunc illi socium adjunxisset, oportuit adhuc, ut amborum assisteret labiis, & utrique ostenderet, quid agendum esset, ne qua inter eos dissensio *b* oriretur. c *Vnum est Reipublica corpus, atque adeo unius animo regendum.* Etiam Regem dignitate ejectum Rex alius in Regno suo ferre non sustinet. Hanc excusationem attulit Lusitaniæ Rex, cum Regem Petrum à fratre Henrico profugum nollet admittere. Sane matrimonii vinculo, quo corpora pariter uniuntur ac voluntates, insigni item prudentia Regis Ferdinandi & Reginæ Isabellæ conjugis opus fuit, ne quid incommodi nasceretur ex eo, quod junctim Castellæ Regna moderarentur. d *Arduum nempe est, eodem loci potentiam & concordiam esse.* Et tametsi Diocletianum inter & Maximianum, qui una Imperium gubernabant, aliqua fuerit unio, ea tamen incommodis suis & offensionibus mutuis omnino non caruit. Eam ob rem in Republica Romana Consules alternatim imperabant.

Verum si pluribus, quam uno principe opus fuerit; præstat esse tres potius: unius enim auctoritas aliorum duorum ambitionem coërcebit. Factio habere locum non potest, ubi nequit esse æqualitas, quæ caussa fuit cur Triumviratus Cæsaris, Crassi & Pompeii, Antonii item Lepidi & Augusti aliquanto tempore

a Lucan.
b *Et ego ero in ore tuo, & in ore illius, & ostendam vobis, quid agere debeatis.* Exod. 4. 15.
c Tacit. lib. 1. Annal.
d Idem lib. 4. Annal.



pore perduraritt. Quia Regi Henrico Tertio, dum in minori ætate esset, tres alii assistebant, rectè Regni illius successit gubernatio. Eandem quoque rationem præ oculis habuit Rex Alphonsus Sapiens, quando statuit, *a* ut durante pupillari Regum ætate aut unus, aut tres, aut quinque, aut septem Regni gubernacula administrarent. Id quia in simili ætate Regis Alphonsi XI. factum non fuerat, magnos motus experta est Castella, ab infantibus Ioanne & Petro administrata, adeoque necesse fuit, ut Consilium regium Regni procurationem susciperet. Quanquam semper violentum erit Imperium, quod ab uno solo non dependet, sed in varias

a Mar. Hist. Hisp. lib. 15. c. 12.

rias divisum est partes; id quod Alexandri Monarchiæ accidit, quæ etsi totum fere orbem comprehenderet, diurna tamen haud fuit, eo quod illo defuncto multi in ea Principes ac Reges succederent. Quam in Hispania Mauri erexerant, ea stetisset diutius, nisi in plura Regna fuisset divisa. Hoc ipsum in præsenti repræsentatur Emblemate, per Arborem coronatam, quæ Regnum significat, quam si duæ manus in diversas distrahant partes, etsi ejusdem sint sanguinis, eam tamen discerpent, & rumpetur, atque inutilis fiet Corona: ambitio enim humana interdum etiam vinculorum Naturæ obliviscitur. Statibus inter filios divisis Corona unita manere non potest, tametsi gravissimum iis impendeat periculum. Quisque suo invigilat commodo, & sceptrum integrum suis conatur claudere manibus, quomodo Pater ejusdem illud tenuit. *a* Ita Regi Sanctio Majori accidit; omnia pæne Hispaniæ Regna ipsius unius parebant imperio, non absque divino Numine, ut unitis inter se viribus, Maurorum tandem dominium quod in præcipiti erat, opprimeretur, & excuteretur cervicibus tyrannicum illud jugum; ipse vero affectu magis paterno, quam prudentia politica Regna inter filios suos partitus est, ratus vires sic constitutas fortiores fore, magisque inter se concordes ad oppugnandum communẽ hostem; verum quilibet fratrum pro Rege haberi voluit, & divisa inter plures Majestas splendorem ac vires perdidit: cumque offensæ & æmulationes domesticæ altius animo hæreant, quam extraneæ, mox intestina inter eos bella nata sunt, motusque exitiales, dum unus alterum (cum gravissimo boni publici detrimento) Regno ejicere conatus est. Potuisset sane error iste experientia comprobatus, documento esse cæteris Regibus futuris temporibus; sed tamen in eundem postea inciderunt iterum Rex Ferdinandus Magnus, *b* Alphonsus Imperator, & Rex Iacobus Primus Aragonius, qui simili modo Regnorum suorum imperium in filios suos divisere. Aut amoris proprii vis est ista, aut humana conditio, novitatis avida, quæ abolitas sæpe opiniones resuscitat, putatque factum optime, quicquid egere Antecessores; nisi forsan ideo etiam eorum requiramus exempla, ut excusare possimus, quod facere intendimus. *c* Prudentior ea in re fuit Rex Iacobus Secundus Aragonius, qui lege perpetua sanxit, ut Regna Aragoniæ & Valentiæ, ac Catalauniæ Principatus individuo inter se nexu copularentur.

§. Nec excusari possunt errores isti Lege duodecim tabularum, aut jure communi, de decernenda inter fratres paterna hæreditate, nec ratione etiam naturali, quæ suadere videtur, ut sicut Pater communem filiis vitam tribuit, ita bona quoque illius omnibus sint communia; ista inquam,

a Mar. Hist. Hisp. lib. 9. c. 1.

b Mar. Hist. Hisp. lib. 9. c. 8. lib. 11. c. 5. lib. 14. cap. 2.

c Idem Hist. Hisp. lib. 5. c. 19.

inquam, non excusant: nam Rex persona est publica, & ut talis agere debet, non tamquam Pater, & ad subditorum magis, quam filiorum suorum commoda attendere; est præterea Regnum bonum quoddam publicum, adeoque velut alienum, de quo Rex æque pro arbitrio disponere non potest, ac de bonis suis privatis, præsertim cum jam subditi (ex quo uni se submisere) certum quoddam jus acquisiverint, ad suam conservationem & securitatem, imo splendorem etiam & amplitudinem, ut ne dissolvatur corpus illud Statuum, à quo potissimum habent, ut æstimentur ab aliis, & securi sunt; cumque jus illud commune sit & universale, privato anteferri merito debet, uti & amori & affectui paterno, aut desiderio pacem constituendi inter filios. Præterquam quod per istam Regni divisionem illa non obtinetur, sed potentia ac vires præbentur potius, ut digladientur inter se de facta partitione, cum tam æqualis nunquam esse possit, ut omnibus satisfiat. Quietioribus vivere licebit fratribus, si sustentatio eorundem ab uno aliquo, qui cum summo præest imperio, dependeat: tunc enim facile est certos cuique deputare reditus, qui ad tuendum sanguinis splendorem sint satis; quomodo *a* fecit Iosaphat: nec opus erit uti stylo barbaro Turcarum, aut impia illa politica, quæ nullum dominationis ædificium satis tutum & securum arbitratur, nisi ejus cæmentum sanguine eorum, qui jus aliquod possunt obtendere, aspergatur, is perinde quasi calcis instar sit, quæ firmat lapides.

Ob dictas rationes omnes fere Nationes successionem Electioni prætulerunt, minime nesciæ, interregnum divisionibus esse obnoxium, & *b* *minori discrimine sumi Principem, quam quæri.*

Quamobrem cum præstet unum aliquem in Corona succedere, Naturæ conformius fuit ejusdem sequi ordinem, illum scilicet fratribus cæteris præferendo, cui illa primum vitam lucemque impertivit, atque adeo decuit, ut nec ætas pupillaris, nec alii defectus naturales obstarent juri jam acquisito, præsertim cum majora nascantur incommoda, si illud ad alium transeat, cujus rei è sacris litteris plurima exempla suppetunt.

Eadem caussa idemq; jus etiam in fœminis locū habet, ut si è virili sexu deficiant, ipsæ ad coronam admittantur, ne inter transversales eam dividere necesse sit, qui plerunque Statibus diversis & ad diversos subditos pertinentibus constant, quando successio per lineam rectam desinit, & tametsi lex Salica sub specie honestatis vel imbecillitatis sexus (nisi tamen forte invidia & ambitio virorum ea fuerit) contra plurima illustria exempla, quæ consilium & fortitudinē muliebris etiam

a Deditque eis Pater suus multa munera argenti & auri, & pensitationes, cum civitatibus munitissimis in Iuda: Regnum autem tradidit Ioram, eo quod esset primogenitus. 2 Par.21.3.

b Tac.l.1.Hist.

etiam ſexus approbant, multa expendit incommoda, ob quæ rationi videri poſſit conſentaneum, ne Regni ſint hæredes; inter illa tamen omnia nullum tanti eſt ponderis, ac utilitas illa, ut ne interregno locus detur: imo aliæ ſane graves ſeſe offerunt rationes, cur eæ ad ſceptrum admitti merito debeant, ut nimirum plurium tollatur ambitus, & impediantur inde naſci ſolita propter ſucceſſionem bella civilia, atque ut filia hærede cum magnis Principibus in matrimonium collocata, accedant ad Coronam magni Status; uti in Caſtellæ Regno & Domo Auſtriaca accidit. In minoribus ſolum Principatibus iſtud videri poſſet inconveniens, ne videlicet, ſi fœminæ nubant Regibus, pereat familia, & Status unus cum alio confundatur.

SYMBOLVM LXXI.

QVid non vincit labor improbus? domat ferrum, emollit æs, aurum in ſubtiliſſimas ducit laminas, & duriſſimum incidit adamantem. Mollis funis motus diuturnitate marmoream etiam putei marginem ſenſim atterit; qua conſideratione S. Iſidorus, cum litteris daret operam, ingenii ſui tarditatem ſuperavit. Quod unquam munimentum excogitavit defenſionis amor, quod obfirmata pertinacia non expugnet? Muros etiam denſiſſimos validiſſimoſque ſubruit obſtinatus impetus ferratæ trabis, quam Arietem antiqui nuncupabant, à forma nimirum arietini capitis, quam referebat. Caſtrum fulmineo glandium imbre munitum, ſeptum muris, propugnaculis, & foſſis, palæ tandem ac ligoni cedit. Animum conſtantem nulla moratur difficultas. Templum gloriæ non in amœna valle ſitum eſt, neque in delitioſa aliqua planitie, ſed in vertice montis, quo ſubeundum per aſperas ſemitas, vepres inter & ſpinas. Non producit palmas ſolum molle ac tenerum. Templa Minervæ, Marti, & Herculi (diis ob virtutem ſuam glorioſis) conſecrata non opere Corinthio ſeu topiario, variis & elegantibus cælaturis inſigni conſtructa erant, ſicut dedicata Floræ & Veneri; ſed opere Dorico impolito ac rudi abſque ullo oculorum oblectamento: nec aliud eorundem coronides teſtabantur ac zophori, quam à labore illa fuiſſe ædificia, non à deliciis aut otio. Argos navis inter ſidera tranſlata non fuit, quandiu intra navalia concluſa ſubſtitit; ſed poſtquam ventis & fluctibus ſeſe objiciens, tempeſtates ac pericula eventu felici ſuſtinuit. Nullus unquam Princeps plures adeptus eſt Coronas, qui otio & deliciis ſeſe dedidit. Omnibus omnino hominibus labor eſt neceſſarius, cum primis vero Principi: ex aliis enim quiſque ſibi natus eſt ſolum, Princeps omnibus. Regnare non quietis officium eſt. Erant, qui coram Alphonſo Rege Aragonio & Neapolitano laborem in Regibus



gibus improbabant; at respondit ille: *An ergo putatis manus à Natura Regibus concessas, ut otiosa essent?* Consideravit, opinor, Rex prudentissimus admirabilem illam manuum fabricam, earundem juncturas, facilitatem pandendi sese & explicandi, claudendi robur, consensionem item mutuam in efficiendo, quicquid intelligentiæ idea obtulerit, quippe quæ velut instrumenta sunt artium omnium; ex quo deinde ratiocinatus sic fuerit, artificium ejusmodi & structuram non à casu esse, neque otii gratia, sed propter laborem & industriam. Regi, qui otiosas semper & diductas habuerit manus, facile sceptrum ex iisdem elabetur,

& una sese cum illo in altum tollent, qui Regis assistunt lateri. Majorum virtus & fortitudo heroica cineribus obruitur in Posteris, si luxui & deliciis Imperii nimium indulgeant, immo magnorum Principum sanguis sensim penitus interit; uti fieri videmus in generosioribus equis, si è locis siccis & aridioribus in palustria transferantur, aut quæ nimio abundant pabulo. *a* Movit ea res Fridericum Regem Neapolitanum, ut sub extremum vitæ filium suum Calabriæ Ducem per literas hortaretur, exercitiis militaribus & equestri firmaret corpus, neque præposteris voluptatibus frangi se sineret, aut difficultatibus & periculis terreri. Animo quoque sua est occupatio, sine qua affectuum suorum & passionum jactatur fluctibus, & in vitiorum scopulos incidit. Pœnæ loco Deus homini laborem *b* injunxit, ita tamen, ut is una medium esset ad quietem illius & prosperitatem. Neque otium, neque inertia, sed solus labor illa tam alta jecit fundamenta, & insignia illa ac pulcherrima extruxit ædificia Monarchiarum Medorum, Assyriorum, Græcorum, & Romanorum. Ille, ille fuit, qui longo tempore earundem amplitudinem sustinuit; ille etiamnum est, qui in Respublicis conservat felicitatem politicam, quæ cum ex parte consistat in subsidio illo mutuo, quod ex multorum laboribus suæ quisque necessitati sublevandæ in promptu habet; nisi isti perpetuo vigerent, cessarent commoda omnia, quibus permoti homines civilem cum aliis colere cœperunt societatem, & Reipublicæ ordinem instituere. Porro ad instruendum populum, proponit Sapientia divina formicarum exemplum, tanquam quæ magna cum prudentia & sollicitudine æstivo tempore triticum in sua congregant granaria, ut habeant hyeme, quod ad victum *c* suppetat. Discant Principes ab exiguo hoc & prudenti animalculo, tempori, urbibus, arcibus, & propugnaculis à commeatu aliisque rebus necessariis providere, & per hyemem parare arma, quibus sub æstatem in hostem ire possint. Sic apum Rempublicam nunquam non occupatam reperies. Intra & extra suas cellulas semper dulci illo labore distinentur. Sedulitas cujusque omnium affluentia est, & si earum labor integra etiam orbis Regna cera ac melle ditet, quid hominum faciet industria in una aliqua Provincia, si omnes labori velint intendere? Eam ob rem tametsi China tam populosa sit, ut septuaginta incolarum numeret milliones, ii tamen felicissimi vivunt in rerum omnium ubertate & abundantia, propterea quod nemo inter eos sit, qui non artem aliquam exerceat. At vero, quia illud in Hispania non fit, hinc tanta re-

a Mar. hist. Hisp. l. 28. c. 11.

b *In sudore vultus tui vesceris pane tuo.* Gen. 3. 19.

c *Vade ad formicam, ô piger, & considera vias ejus, & disce sapientiam: quæ cum non habeat ducem, nec præceptorem, nec Principem, parat in æstate cibum sibi.* Prov. 6. 6.

rerum est inopia, non quod soli desit fertilitas; siquidem in agris Murciæ & Carthagenæ triticum cum fœnore centuplo provenit, adeoque multis illic sæculis bellum sustentari potuit; sed quia deest agrorum cultura, exercitium artium mechanicarum, negotiatio & commercium, cui sese ista Natio minime applicat, ut pote cujus excelsus & gloriosus animus (in plebeis etiam hominibus) statu suo ac sorte, quam Natura ei dedit, contentus esse non solet, sed aspirat ad gradum altiorem Nobilitatis, & occupationes illas, quæ huic non sat conveniunt, aspernatur. Cujus incommodi illa etiam caussa videtur, quod in Hispania non æque, atque in Germania, distincti sint ab invicem, ac separati Nobilitatis & vulgaris plebeculæ limites.

§. Quam porro utilis est Reipublicæ fructuosus aliquis & insignis labor, tam noxius est deliciosus & superfluus: neque enim minus effœminantur animi, qui exercitiis mollibus & delicatis sese occupant, quam qui vitam otiose transigunt. Quare in eam curam & cogitationem incumbere Principem oportet, ut occupationes publicæ in iis potissimum artibus versentur, quæ ad defensionem & incrementum Regnorum faciunt, non ad luxum & lasciviam. Quot manus inutiliter se fatigant, ut unus aliquis splendeat digitus: quam paucæ, ut corpus armis reluceat! Quam multæ occupantur in fabricandis commoditatibus ad delicias & oblectamenta oculorum: quam raræ in eruendis fossis, & mœnibus construendis, quæ urbes protegant! Quam multæ in hortorum cultu, in efformandis è myrto navibus, animalibus, avibus: quam paucæ in cultura agrorum! E quo fit, ut Regna rebus minime necessariis abundent, egeant vero iis, quibus vel maxime opus esset.

§. Quamobrem cum labor ad Reipublicæ conservationem tam utilis sit, procuret illud etiam Princeps, ut continuus ille sit, & ne impediatur multitudine nimia dierum, quibus populus recreationibus indulget publicis, aut pia quadam levitate, dum communitates dies ejusmodi leviter vovent, & cultui divino destinant: experientia enim docuit, plerosque tunc ludis profanis sese magis dedere, quam religiosis exercitiis. Quod si dies illos Agricolæ impenderent, quomodo S. Isidorum Madritensem fecisse accepimus, sperari posset, tempus non iri perditum, & Angelos interim aratro manum admoturos: verum, ut dixi, experientia contrarium docuit. Nullum tributum majus, quam festum aliquod, in quo omnes cessant artes, earumque lucra, & ut S. Chrysostomus ait, a *Non gaudent Martyres, quando ex illis pecuniis honorantur, in quibus pauperes plorant.* b Atque adeo *oportebit dividi sacros & negotiosos dies, ut divina colantur, & humana non impediant.* Cura hæc fuit Concilii Moguntini tempore Leonis Tertii Pontificis

a Chrysost. sup. Matth.
b Tac. l. 3. Annal.

ficis Maximi, eritque deinceps eorum, qui è sede S. Petri universæ præsunt Ecclesiæ, ut considerent, num expediat nec ne, dies festos ad minorem reducere numerum, aut præcipere, ut aliqui in Dominicas proximas transferantur.

§. Tametsi vero omnium fere actionum finis sit quies aliqua, in iis tamen, quæ ad gubernationem pertinent, secus accidit: Principibus enim & Respublicis non sufficit laborasse, sed & continuatio necessaria est. Vnius horæ negligentia in propugnaculis, multorum sæpe annorum vigilantiam & curam evertit. Intra paucos otiose transanctos Romanum cecidit Imperium, sex sæculorum labore, & fortitudine eo usque sustentatum. Vix annis octo restitui Hispania potuit, octo mensium spatio deperdita. Inter acquirendum & conservandum, otium interjici non debet. Facta jam messe, & aratro spinis coronato, iterum eodem Agricola terram subigit. Sudores illius nunquam desinunt, sed innovantur solum. Si suis consideret horreis, & agros incultos relinqueret, mox vepribus & spinis hos cerneret consitos, & illa vacua. Attamen istud inter Agricolam & Principem interest, quod ille stata habeat tempora, ut sementem spargat, & messem colligat, Princeps non item: omnes enim menses in gubernatione Septembres sunt ad seminandum, & Augusti ad metendum & colligendum.

§. Nec in eo acquiescendum sibi Princeps existimet, quod Antecessorum suorum industria & labore partum acceperit: alio enim & alio opus est semper, qui motum illum continuet; & sicut semel in ruinam impulsa sensim labuntur, nisi nova aliqua vis ea sustineat, ita ruunt Imperia, nisi Successor iisdem suos subjiciat humeros. Hæc caussa est (uti diximus) omnium fere ruinarum. Quando Monarchia aliqua instituta & erecta semel fuerit, otiosa nunquam esse debet, sed cælum potius imitari, cujus orbes jam inde à primo creationis momento suos continuant motus, & si moveri desinerent, una etiam rerum omnium generatio & productio desineret. Floreant semper & vigeant Reipublicæ exercitia, nec sinantur corrumpi otio; uti mari accideret, nisi agitatum vento fluxum reciprocum pateretur. Cives qui curarum obliti deliciis, & voluptatibus se totos dedunt, nec manum operi aut labori admovent, suimet ipsorum hostes sunt. Istiusmodi otiositas contra leges & Imperium machinatur, & vitiis [a] alitur, unde omnia tam interna, quam externa Reipublicæ mala nasci solent. Solum illud otium laudabile est & proficuum, quod pax largitur, quodque in artibus, in officiis publicis, in exercitiis militaribus sese occupat, unde inter ipsos cives secura quies oritur, & tranquilla felicitas, germana otiosæ istius occupationis filia.

a *Multam enim malitiam docuit otiositas*, Eccl. 33. 29.

SYM-

SYMBOLVM LXXII.



TEmperationem ſuam ferrum perderet, & nervus vires ſuas, ſi arcus ſemper intentus eſſet. Vtilis eſt labor, ſed continuari haud poteſt, niſi quies aliqua intercedat. Iugum non ſemper bovum incumbit cervicibus. In alterna viciſſitudine rerum vigor conſiſtit. a *Noſtram omnem vitam in remiſsionem atque ſtudium eſſe diviſam*, Plato aſſerit. *Cala* b *coſa*(uti dixit Rex

a Plat. de lib. educ.
b L. 20. tt. 5. P. 3.

Alphonsus Sapiens) *que alguna vegada non fuelga, non puedo mucho durar.* Etiam agri sua indigent quiete, ut majores deinde fructus proferant. Otio virtus instauratur, & vires colligit, haud aliter *a* ac fons aquæ salientis (icon præsentis Emblematis) si ea manibus comprimatur.

— Vires instillat, alitque
Tempestiva quies: major post otia virtus. —

Ob eam caussam dies & nox horas ita partiti sunt, ut aliæ diurnis laboribus, aliæ nocturnæ quieti destinentur. Dum dimidia terræ pars operi invigilat, somnum capit altera. De ipso Iove finxit Antiquitas, ei Atlantem aliquando in cælo humeris sustinendo succedere. Robustissimæ etiam vires pares non sunt ferendis sine intermissione curis Imperii. Labore assiduo valetudo læditur, & torpescit *b* animus; otio nimio & hic & illa vires amittunt. Tale itaque sit, qualis irrigatio plantarum esse solet, quæ eas sustentet duntaxat, non submergat penitus; aut qualis est hominum somnus, qui si moderatus sit, corroborat, si nimius, debilitat potius. Nullæ remissiones meliores, quam quibus oblectatur pariter & eruditur animus; ut fit in conversatione cum iis, qui aut scientiis, aut armis florent. Adrianus Imperator eos mensæ suæ adhibebat, quam ideo Philostratus *doctorum virorum Museum* esse ajebat. Idem in Trajano commendat Plinius, & refert Lampridius de Alexandro *c* Severo. Alphonsus Neapolitanus Rex cum iisdem à mensa in locum aliquem quietiorem se recipiebat, ut animo quoque (quemadmodum is dicere solebat) cibum suum præberet. Tiberius, quoties Roma alio concederet, Nervam & Atticum viros eruditos itineris comites habere voluit, ut eorum sermonibus *d* levaretur. Franciscus Primus Franciæ Rex tantum è frequenti illa & assidua cum viris doctis conversatione condidicit, ut tametsi adolescens literis operã haud navasset, optime tamen de quavis materia dissereret. Exolevit laudatissimus ille mos & introductus nũc alius, ut mensis Principum assistant stulti, moriones, ac similes male formati homines. Errores Naturæ & judiciorum stoliditas illorum nunc oblectamenta sunt. Suas gestiunt audire laudes etiam non promeritas, & licet excuset eas interdum modestia, tanquam à fatuo aliquo profectas, iis tamen applaudit amor proprius, & aures sensim ad easdem assuefactæ adulationibus etiam assentatorum deinde fidẽ habent.

a *Otium enim tum ad virtutes ingenerandas, tum ad civilia munera obeunda requiritur.* Arist. lib. 7. Polit. c. 9.

b *Nascitur ex assiduitate laborum animorum hebetatio quadam & languor.* Sen. de tranquill. anim.

c *Cum inter suos convivaretur, aut Vlpianum, aut doctos homines adhibebat, ut haberet fabulas literatas, quibus se recreari dicebat & pasci.* Lamprid. in vita Alex. Severi.

d *Cocceius Nerva, cui legum peritia: eques Romanus, præter Sejanum, ex illustribus Curtius Atticus: cæteri liberalibus studiis præditi ferme Græci, quorum sermonibus levaretur.* Tacit. l. 4. Annal.

habent. Facetiæ illorum arrident voluntati, quia turpia quædam miscent interdum & vitiosa. Quod si ejusmodi deliramenta recreent animum, quanto magis id præstabunt sententiæ concinnæ & exquisitæ doctorum virorum, qui non sint nimium graves ac severi (in quo ipsi peccant nonnunquam) sed qui festivis quibusdam sermonibus & acute dictis norint se accommodare tempori? Si volupe est videre corpus aliquod monstrosum, quod nauseam aliquando movet, quanto erit jucundius percipere auribus tot prodigiosos Naturæ abortus, ejusdem opera, & arcana planè extraordinaria? De Anacharsi memorat Athenæus, a *accitis in convivium peritis ad risum commovendum hominibus, solum omnium non risisse; post autem inducta Simia in risum solutum dixisse: Natura id esse animal ridiculum, hominem autem arte & studio, eoque parum honesto.* Gravis modestia hæc fuit, & digna etiam Regia Majestate. Exploratores publici in aulis sunt istiusmodi moriones, & qui vel maxime earum corrumpant mores, immo qui ipsi vitæ & Statui Principum insidias machinari soleant. Quam ob rem minime eos tolerare voluerunt Augustus, & Alexander Severus Imperatores. Ad unum illud prosunt interdum, ut abrepti furore suo naturali veritatem dicant Principibus.

§. Nonnulli Principes ex inani quadam negotiorum gloria & ambitione à gravioribus respirare se putant, si minoribus sese impendant, haud secus ac pili canis rabiosi ipsius ejusdem morsioni medentur. Verum quia non omnes animi isto modo levari possunt, neque ulla negotiorum occupatio tam exigua est, quin aliquam postulet attentionem, quæ ad animum fatigandum sufficiat, oportet, ut aliquo saltem temporis spatio curis omnino vacet, & gubernationem seponat b tantisper. Aliqua remissio, aut ludus inter negotia interponi c debet, ut ne his penitus obruatur animus, nec eum perdat otium: molæ enim frumentariæ similis est, quæ si non habeat, quod molat, seipsam atterit. Innocentius Octavus Pontifex Maximus dimisso interdum clavo navis Ecclesiæ, in serendis arbusculis sese oblectabat. Porro in his quietis induciis ante omnia ætatis temporisque habenda est ratio, ne hilaritas forte severitati, ingenuitas gravitati, recreatio Majestati noceat. Enimvero relaxationes quædam vilescere faciunt animum, & Principis auctoritatem haud parum imminuunt. Ita Regi Artaxerxi probro fuit colum ducere: Augusto ludere par impar cum pueris: Domitiano muscas configere: Solymano efformare acus, & Selymo acu pingere. Si Princeps adhuc ætate floreat, nullæ recreationes meliores magisque utiles, quam quæ animi vigorem

a Athen. lib. 14.

b *Satis onerum Principibus, satis etiam potentiæ.* Tac. lib. 3. Hist.

c *Inter negotia magis ludis est utendum: nam qui laboribus exercetur, is alternam requiem desiderat.* Arist. l. 18. Polit. c. 3.

rem augent, & vires corporis corroborant, ut sunt armorum exercitia, decursiones equestres, saltatio numerosa, lusus pilæ grandioris, & venatio. Artes item illæ nobiles, pictoria & musica, quas alibi in Principis educatione commendavimus, conducunt plurimum ad instaurandos spiritus, quos negotiorum attentio absumpsit, modo in illis non impendatur tempus, quod curæ publicæ sibi vendicant, & ea fiat moderatione, quam Rex Alphonsus in quadam lege præscripsit: a *Emaguer, que cada una destas fuese fallada para bien, con todo eso no debe home dellas usar, si no en el tiempo, que conviene, e de manera, que aya pro, e no daño, y mas conviene esto à los Reyes, que à los otros homes, ca ellos deben fazer las cosas mui ordenadamente, e con razon.* Rex Ferdinandus Catholicus tam utiliter animo relaxando vacabat, ut ne tum quidem negotia omnino ex oculis dimitteret: nam etiam dum venationi dabat operam, aures habebat plurimum attentas ad expeditiones, quas Secretarius aliquis ei prælegebat, oculis vero simul ardearum volatum observabat. Emmanuel Lusitaniæ Rex ne in maximis quidem animi remissionibus audientiam petentibus denegabat. Super ipsamet negotia quietem captare Principem oportet, qualem solet Delphinus dorso super undas reclinato, id quod facit in altissimo mari, quam longissime à tranquillo portu. Otium esse non debet, sed laxamentum.

a L. 21. tt. 5. p. 2.

5. Expedit etiam interdum ludis publicis exhilarare populum, ut respiret aliquantulum, & majores deinde vires adferat ad labores, quibus animum suum impendat: nam si tristis fuerit, & melancholicus adversus Principem & Magistratum suas convertit cogitationes; contra si hi aliquam ei remissionem indulgeant, cervices cuilibet oneri subjicit, & suæ quasi generositatis immemor admittit imperium. Ea de caussa Crœsus Cyro Regi, ut Lydos in obedientia contineret, hunc in modum suadebat: b *Impera, ut liberos citharam pulsare, psallere, cauponari doceant, & mox comperies ô Rex, viros in mulieres degenerasse, nihilque metuendum, ne rebelles à te unquam desciscant.* Unde non minor servitutis catena est ista, quam occupatio in coquendis lateribus pro Ægypti Pyramidibus, qua Pharao Hebræum populum distinebat, ut ab eo securus esset. Eodem fine Agricola Britannis suis concessit relaxationes, c *idque apud imperitos humanitas vocabatur, cum pars servitutis esset.* Nec ignorabant illud Tencterorum Legati, qui missi ad Agrippinenses, auctores iis fuere, ut d *instituta cultumque patrium resumerent, abruptis voluptatibus, quibus Romani plus adversus subjectos, quam armis valerent.* Nec terreri se sinat Princeps delictis, quæ forte in ejusmodi conventibus committi solent, nunquam enim ulla absque illis fit congregatio, etiam quando

b Herod. lib. 4.
c Tacit. in vita Agric.
d Idem lib. 4. Hist.

quando populus ad ſacra & religioſa pertractanda in unum convenit.

5. Reſpublicæ magis obſervantes iſtius Politicæ, quã Principes, ſinunt quemque ſuo arbitratu vivere, & diſſimulant vitia, ut populus tyrannidem Magiſtratus minus apprehendat, & illam gubernandi rationem amet potius, ſiquidem ejuſmodi licentiam libertatem arbitratur, magiſque vita diſſoluta capitur, quam bene *a* compoſita. Verum hæc ratio Status admodum ſecura non eſt: nam ſi populus legum virtutiſque reverentiam exuat, facile Magiſtratus quoque auctoritatem ſpernere incipit, imo omnia vere interna Rerumpublicarum mala è vitio naſci ſolent, & ad exhilarandum cum ſatisfactione populum, ſufficit honeſtas quaſdam ei relaxationes concedere. Vivere prout Reipublicæ expedit, non ſervitus eſt, ſed libertas. Quia tamen in rebus omnibus majus Reipublicæ bonum præ oculis habere oportet, præſtat ejuſmodi remiſſiones in ludos convertere, in quibus exerceantur vires; prohibere vero eos, qui à fortuna pendent, utique noxios & iis, qui imperant, & ſubditis: illis quidem, qui nimium capi iis ſe ſinunt, adeoque labores defugiunt; his vero, quia ejuſmodi luſibus facultates ſuas diſſipant, & preſſi inopia rapinas deinde exercent, & ſeditiones commovent.

a Item vivere, ut quiſque velit, permiſſio, quoniam ſic magna erit tali Reipublicæ faventium multitudo. Nam vulgo diſſoluta gratior eſt, quam temperata vita. Ariſt. l. 6. c. 4.

SYMBOLUM LXXIII.

Occultæ ſunt Rerumpublicarum infirmitates: nemo facile de iis judicium feret, ob bonam earundem diſpoſitionem: nam etiam quæ robuſtiſſimæ videntur, corripi mox ſolent, & pereunt infirmitate in apertum ſe prodente, cum minime putaſſes; haud aliter ac terræ vapores, qui oculis conſpici ante non poſſunt, quam in nubes condenſati fuerint. Eam ob rem omni cum diligentia laborandum Principi, ut mox primis occurratur principiis, neque ideo ſpernendæ cauſſæ, quod aut leviores appareant, aut adhuc remotæ: uti nec primi rumores, quantumvis à ratione videantur alieni. Ecquis ſecurus eſſe poterit ab eo, quod multitudo ſuo coquit in pectore? Quævis occaſio eam commovet, quævis ſervitutis umbra, aut gubernatio minus bona eam concitat, ut arma corripiat, & nefanda adverſus Principem ſuum moliatur. b *Ex parvis orta ſeditione, de rebus magnis diſſidetur.* Si principia tolerentur, fines deinde curari non poterunt. Tumultus incrementa ſumunt, ut fluvii, qui initio exigui ſunt fonticuli, & paullatim in ampliſſima evadunt flumina. Ne nimiam præ ſe ferat formidinem, connivet ad tempus imprudentia, & ſenſim ſic augeſcunt, ut nulla eis vis poſtea reſi-

b Ariſt. l. 5. Polit. c. 4.



reſiſtere valeat. a *Primis eventibus aut metum aut fiduciam gignunt.* Eæ conſiderationes ſuſpenſum tenebant Tiberii animum, cum quidam ejus ſervus Agrippam ſe finxiſſet, cœpiſſetque turbare Imperium: dubitabat enim, b *vine militum ſervum iſtum coërceret, an inanem credulitatem tempore ipſo vaneſcere ſineret: modo nihil ſpernendum, modo non omnia metuenda, ambiguus pudoris ac metus reputabat.* Illud certum, tantum interdum concitatæ multitudinis eſſe impetum, ut cavendum ſit diligenter, ne ſeſe ipſa evertat, aut exardeſcat in bella civilia, quorum initia caſus

a Tacit. lib.12. Annal.
b Idem lib.2. Annal.

casus plerunque & fortuna moderantur, postea vero consilium ac prudentia, ea *a* superat. Experientia multa edocet media, ad componendos Regnorum motus & seditiones. Interdum ea offert casus & ipsa tumultuum inclinatio ea suggerit, uti Druso accidit, qui cum videret legiones seditionis pœnitere, eo quod defectionem Lunæ, quæ in id tempus inciderat, pro malo haberent omine, illa ipsa ad eos conciliandos usus *b* est; id quod in alia quoque occasione fecit Hermannus Cortesius. Nec spernenda sunt ista media tanquam levia, eadem quippe facilitate, qua concitatur plebecula, ad concordiam quoque & tranquillitatem reduci potest. In neutro istorum rationi locus est. Cœcus quidam impetus eam commovet, & vana aliqua umbra sistit iterum. Totum in eo positum est, ut quis furori illius cedere noverit: illo siquidem sæviente vulgus modum tenere nescit; aut metuit, aut metui se facit ab *c* aliis. Quod si quis oratione præmeditata illud lenire studuerit, operam perdet & oleum. Vna aliqua vox acerbior, aut severior animadversio plus ad persuadendum habet roboris. Vnico solo verbo Iulius Cæsar militum seditionem composuit, cum diceret:

——— *d Discedite castris,*
Tradite nostra viris ignavi signa Quirites.

5. Porro ad sedandam tumultuantem plebem, efficacissimum remedium est divisio; si nimirum videat vires suas & prima capita in diversas factionum partes distrahi. Cum apibus hoc artificio utimur, quoties alatus ille grex foras ex alveari prorumpens tumultuari incipit (nam & ista Respublica domesticis suis malis non caret) & desertis domiciliis cereis, confusis agminibus per aërem circumvolitat, donec injectis pulveribus distrahantur à se invicem: tum enim subito

e Pulveris exigui jactu compressa quiescunt.

Vnde & figura & lemma præsentis Symboli desumpta sunt.

Tametsi vero hæc divisio semper opportuna sit, majoris tamen prudentiæ est ejusdem beneficio damna prævertere, antequam eveniant, quam iisdem postea adferre remediũ. *f* Rex Ferdinandus Quartus, cum virorum quorundam nobilium in Galæcia motus intellexisset, eos ad se accitos militaribus præfecit muneribus. Romani homines seditiosos ac turbulentos ad colonias aut exercitus ablegabant. Publius Æmilius præcipua seditionum capita in Italiam transtulit; uti & Carolus Quintus Saxoniæ Nobiles. Rutilius & Germanicus milites quosdam seditiosos rude donarunt. Drusus *g* tumultuantes Legiones

a *Initia bellorum civilium fortunæ permittenda; victoriam consiliis, & ratione perfici.* Tac. lib. 3. Hist.

b *Vtendum inclinatione ea Cæsar, & quæ casus obtulerat, in sapientiam vertenda ratus.* Tacit. lib. 1. Annal.

c *Nihil in vulgo modicum: terrere, ni paveat: ubi pertimuerint, impune contemni.* Idem lib. 1. Annal.

d Lucan. e Virg. in Georg.

f Mar. Hist. Hisp. lib. 15. cap. 9.

g *Tironem à veterano, legionem à legione dissociant.* Tacit. lib. 1. Annal.

giones compescuit, dissociando eos ab invicem. Propterea temporibus Galbæ a *longis spatiis discreti exercitus, quod saluberrimum est ad continendam militarem fidem, nec vitiis nec viribus miscebantur.* Quare multis optimum visum fuit, omnem omnino cœtum populo interdicere. Eundem in finem urbs Cayri in certas regiones præaltis fossis distinctas divisa fuit, ut cives tam facile in unum coire non possent. Nec aliud quicquam Venetias in quiete continet, quam quod plateas omnes mare intersecet. Separatio multos dubios reddit & ancipites, ut nesciant quæ pars securior sit; quod si illa desit, id sequuntur omnes, quo inclinant *b* plures. Atque eam ob rem Pisander inter Athenienses seminavit discordias, ut dissoluta unione inter se divisi essent.

In seditionibus militaribus apprime utile erit interdum alios contra alios *c* concitare. Nam *remedium tumultus* esse solet *alius tumultus. d* In conjuratione quadam populari id consilii datum fuit Romano Senatui, ut fractis per divisionem discordiæ conjuratorum viribus, plebem plebe componeret. Atque eo spectare debuit Solonis lex, quæ pœna capitis mulctari jubebat civem, qui coorta seditione non certæ alicui adhæsisset factioni, tametsi hoc esset flammas augere potius, quam dividere, cum superesset nemo, qui absque perturbatione intercederet medius, easque extingueret.

§. Aliud præterea efficax remedium præsentia ipsius Principis, populi furorem forti constantique animo contemnentis: sicut enim mare rupibus minatur & montibus, in molli vero arena facile frangitur; ita emollitur plebs, & timore corripitur, cum serenam legitimi sui Domini frontem conspicit. *e Ita divus Augustus vultu & aspectu Actiacas legiones exterruit.* Cum tumultuarentur legiones Germanicæ, *f quoties oculos ad multitudinem retulerant* milites, *vocibus truculentis strepere; rursum visa Cæsare trepidare* visi sunt. Auctoritate multitudo concitata mitigatur, & arma ponit. Haud secus ac sanguis illico parti læsæ succurrere properat; sic danda Principi opera, ut mox coram adsit, ubi Statum aliquem tumultuari animadverterit. Majestas subditorum animos facile suo subjicit imperio. In illa Natura ipsa vim quandam occultam posuit, quæ admirandos habet effectus. *g* In ipsum usque palatium Petri Quarti Regis Aragonii conjurati penetraverant, & ipse ultro iis obviam progressus, tumultum omnem sedavit. Nunquam sane seditiones in Provinciis Belgicis eo usque processissent, si Rex Philippus Secundus tempestive se illic præsentem stitisset. Veruntamen bene prius expendere opor-

a Tacit. lib. 1. Hist.

b *Quod in seditionibus accidit, unde plures erant, omnes fuere.* Idem lib. 1. Hist.

c *Dux ad solvendam militum conspirationem, alterum in alterum concitat.* S. Chrys.

d Tac. lib. 2. Hist.

e Tac. lid. 1. Annal.

f Idem l. 1. Annal.

g Mar. Hist. Hisp. lib. 16. cap. 13.

oportet istud remedium & videre, num necessitas illud exigat: extremum quippe est, & si nihil efficiat, nullum superest aliud; id quod movit Tiberium, ut tumultuantes legiones Hungaricas & Germanicas Druso & Germanico mediantibus a componeret. Periculosa item est præsentia Principis, si exosus ille sit & tyrannus, facile enim subditi obedientiæ frænum excutiunt.

§. Quod si Regnum aliquod per dissidentes inter se familias in diversas divisum fuerit factiones, prudentis erit ejusmodi nomina gentilitia omnino prohibere. Ita fecit (simul ac coronatus fuit) Rex Franciscus Ephebus Navarræ, severe interdicens, ne quis se Biamontesium, aut Agramontesium nominaret, quæ duæ familiæ in Regno illo inimicitiis mutuis diffidebant.

§. Quod si ob culpam alicujus Ministri multitudo tumultuari cœperit, nullum ad illam sedandam efficacius est remedium, quam si debitas ille pœnas det. Verum si Principis fuerit vitium, & plebs Ministro illud tribuens, arma contra eundem sumpserit, permittendus erit error ille, quando nec vis, nec ratio absque majoribus Reip. damnis sese motibus illis audent opponere. Patietur innocentia, sed absque culpa Principis. b *Habet aliquid ex iniquo omne malum exemplum, quod contra singulos utilitate publica rependitur.*

Seditio veneni instar est, quod cor impetit, & corporis servandi caussa expedit interdum brachium rescindere, & furoris sequi impetum, etsi rationi & justitiæ adversari videatur. Ita fecit Regina Isabella, cum inter cives Hispalenses seditio coorta esset; efflagitantibus enim iis, ut Andream Cabreram supremũ aulæ suæ Præfectum Gubernatoris Palatii privaret officio, & plura poscere cupientibus, illa sermonem abrupit, sic eos affata: *Quod petitis, jam facere constitueram, ite, amovete aulæ Præfectum, & reliquos omnes, qui Palatium occupant.* Quo facto, ut ex Reginæ mandato fieri videretur, quod vis potius extorserat, adeo ut ipsi etiam tumultuantes illud in beneficio & gratia ponerent, qui turrium custodes deinde ex alto dederunt præcipites. Ea ratione sedatus est tumultus, cumque examinatis postea accusationibus, quibus aulæ Præfectum oneraverant, deprehenderet, iniquas illas fuisse, eundem in officium pristinũ jussit restitui. Quando seditiosi satisfacere se posse putant punitione eorum, qui seditionis primi fuere incentores, nemini parcunt, eo quod sibi persuadeant, sic demum à culpa absolutos se fore; uti tumultuantibus legionibus c Germanicis accidit, & tametsi d *nihil profici soleat patientia, nisi ut graviora, tanquam ex facili tolerantibus, imperentur*; licet etiam concitata multitudo tanto plura exposcat, quanto plura illi concedan-

a *Resistentesque Germanico aut Druso, posse a se mitigari, vel infringi; quod aliud subsidium si Imperatorem spreuissent.* Tac. l. 1. Annal.

b Tacit. lib. 4. Annal.

c *Gaudebat cædibus miles, tanquam semet absolveret.* Tac. lib. 1. Annal.

d Idem in vita Agricolæ.

dantur, ſicut faciebant milites à Flacco *a* Romam miſſi, illud tamen tum potiſſimum fit, cum exigua eſt offerentis, qualis erat illa Flacci auctoritas, quem exercitus *b* ſpernebat. Verum in dicto Germanici caſu eadem remedia, etſi violenta, quæ ſeditioſi expoſcebant, adhibere oportuit, ut eorundem leniretur furor, aut titulo honeſto à punitione abſtineretur. Non ignorabat, quantas ea res injuſtitias & crudelitates datura eſſet, ſi legiones paſſim de ſeditione accuſatos trucidarent: neceſſe quippe erat multos eidem malo involvi innocentes; verum tamen illud omnino effugere non potuit, neque enim ipſius juſſu id factum, ſed caſui potius, & tumultuantiū furori tribuendum *c* videbatur.

Excuſanda quoque eſt tum Miniſtri culpa, aut aſtutum exiſtimandum conſilium, ſi imperium fuit, cum vi populari abreptus ſeditionis caput ſe finit conſtitui, ut poſtquam furor deinde deſæviit, tanto facilius poſſit tumultuantes ad officium reducere. In hunc finem *d temeritatis aliena comes* factus eſt *Spurina, primo coactus, mox velle ſimulans, quo plus auctoritatis ineſſet conſiliis, ſi ſeditio miteſceret.*

Solet interdum populus ſpecie tuendæ libertatis, & privilegiorum conſervandorum, contra Principis ſui auctoritatem aliqua nefarie moliri, quem deſpectum eo in caſu diſſimulare nequaquam expedit, ne majores forte ſumat animos; & ſi fieri poſſit, pœna à delinquentibus repoſci ſic debet, ut amputata ſecuri auctorum ſeditionis capita, & palam propoſita, antequam illud reſciſcat populus, terrorem incutiant aliis: *e neque enim aliud gliſcentis diſcordia remedium, quam ſi unus alterve maxime prompti ſubvertantur*, veriſſimum quippe *f nihil auſuram plebem, principibus amotis.* Ramires Rex Aragoniæ moribus remedium allaturus, ab Abbate Tomerenſi conſilium exquirebat, at is nullo dato reſponſo, Periandrum *g* imitatus, falce ſummitates olerum in horto, ubi forte erat, demetens, ſatis illum docuit, quid facto eſſet opus; ſublatis ergo è medio præcipuis rebellionis auctoribus, priſtina Regno quies reddita eſt. Idem conſilium Lupus *h* Barrientos Regi Henrico Quarto quoque dedit. Oportebit tamen ea in re rigorem ſic moderari, ut circa paucos fiat executio; cum iis vero, qui puniri nequeunt, aut diſſimulandum, aut aliter tranſigendum, ut omnium concilientur animi, quo-

a *Et Flaccus multa concedendo nihil aliud effecerat, quam ut acrius expoſcerent, quæ ſciebant negaturum.* Tacit. lib. 4. Hiſt.

b *Superior exercitus Legatum Hordeonium Flaccum ſpernebat.* Idem l. 1. Hiſt.

c *Nec Cæſar arcebat, quando nullo ipſius juſſu, penes eoſdem ſævitia facti & invidia erat.* Tacit. ibid.

d Tacit. lib. 2. Annal.

e Idem lib. 4. Annal.

f Tac. lib. 1. Annal.

g *Nam Periander caduceatori, per quem Thraſybulus conſilium ejus exquirebat, nihil reſpondiſſe fertur, ſed ſpicis eminentibus ſublatis, ſegetem adæquaſſe.* Ariſt. l. 3. Polit. c. 9.

h Mar. hiſt. Hiſp.

quomodo Othonem fecisse legimus, cum ejus tumultuaretur *a* exercitus. Ejusmodi moderata severitas omnes compescit motus: *b dum enim mali pavere incipiunt, optimus quisque jussis paret*; ut Voculæ accidit quando legionibus integris seditionem molientibus in unum solum militem animadverti jussit.

In quo illud etiam observandum, ut castigandi modus tam suavis sit, ne communem Nationis injuriam aut despectum populus interpretur; alias enim magis obstinat animum. c *Haud perinde Germanos servitutis, vulnera, luctus, excidia* in bello à Romanis accepta, *quam* trophæum illud, quod Germanicus è rebellium Provinciarum spoliis erexerat, *dolore & ira adfecit.* Non oblitus fuit præcepti istius Ferdinandus Dux Albanus, quando statuam publicam rebellibus poni jussit: nec illud intermisisset, quantumvis aut legisset, aut audivisset, d *Iulium Civilem* à Vitellio Imperatore mortis *periculo exemptum præpotentem inter Batavos, ne supplicio ejus ferox gens alienaretur*; quin immo magis utilem fore judicavit severam aliquam animadversionem, quæ tamen seditioni ansam non dedit; sed apostasia potius ab avita Catholica fide, quantumvis quidam seditionis auctores priorem illam caussam obtenderint, ad irritandam videlicet optimam illam gentem, ut à naturali sua fidelitate deficeret.

5. Alia est inobedientia, quæ ex nimia quadam promptitudine, aut fidelitate minus considerata nascitur, in quo casu benignis opus est mediis, ut subditi in viam revocentur. Ita fecit Ioannes Secundus Aragoniæ Rex in seditione Barcinonensi ob mortem filii sui Principis Caroli: datis enim ad civitatem literis, testatus est, nunquam se nisi necessitate coactum violentis usurum remediis, immo tanquam filios se cives habiturum, si resipiscerent. Isthæc benignitas, & communis veniæ pollicitatio ad obedientiam eos reduxit. Semper in Principe elucere debet quædam ad veniam propensio: nam si illius spes desit, obstinatum fiet delictum. Ob hanc caussam Valentinus, concitatis ad rebellionem Trevirensibus, Legatos Romanos jussit interfici, e *quo minore venia cresceret vinculum sceleris.* Vertitur in desperationem seditio, ubi nullam gratiam sperare licet, maluntque homines factiosi periculi interire manibus, quam carnificis. Ob quas rationes iis etiam parcitum fuit, qui Vitellii partibus adhæserant, *ne* videlicet f *sublata spe veniæ, pertinacia accenderentur.* Tali animi magnitudine uti necesse est, quando delinquit con-ci-

a *Et oratio ad perstringendos mulcendosque militum animos, (severitatis modus (neque enim in plures, quam in duos animadverti jusserat) grate accepta, compositique ad præsens, qui coerceri non poterant.* Tac. l. 1. Hist.
b Idem lib. 4. Hist.
c Tac. lib. 2. Annal.
d Tac. Lib. 2. Hist.
e Tac. lib. 4. Hist.
f Idem. ibid.

citata multitudo; quomodo fecisse meminimus Regem Ferdinandũ Sanctum in Castellæ motibus, & observatum id fuit in Comitiis Guadalajarensibus temporibus Regis Ioannis Primi, quando data fuit illis venia, qui in bello contra Lusitaniam Regni illius partes secuti fuerant. Quod si Princeps suam perdiderit existimationem, aut apud suos in contemptu fuerit, in eo casu fateor, parum profuturam benignitatem; immo illa ipsa etiam remedia, quæ mala ejusmodi curare debuerant, magis illa exulcerant, & perniciosa reddunt: ubi enim perierit auctoritas, nec pœnæ severitatem Princeps tueri poterit, nec timorem incutere, aut exemplum in seditiosos statuere; atque adeo incommodis cedere oportet, & prudenter, quantum fieri potest, artibus consiliisque factiosorum obviam ire; ut fecit Vocula, cum vires sibi deesse videret ad coërcendas tumultuantes *a* Legiones. Eandem ob caussam Rex Ioannes Secundus Regni Primores, quos captivos tenebat, libertati restituit.

§. Nec plus etiam prodesse solent gratiæ & beneficia ad componendos Status, si conferantur à Principe, qui existimationem suam jam perdidit: nam qui ea accipit, aut pusillanimitati ea tribuit, aut rebellione & tumultu tueri *b* contendit, & interdum aliũ quærit Regem, cujus patrocinio ea porro conservare possit. Ita fecisse vidimus, qui contra Regem Henricum Quartum conjuraverant: isti siquidem nullis unquam illius beneficiis, quamtumvis multis magnisque, devinciri se passi sunt.

§. Quoties vero seditionis flammam sopire Princeps statuerit, plurimum refert, ut omnes intelligant, ab ipso, ejusque virtute consiliũ istud proficisci, non ex aliorum persuasione, ut tanto efficacius sit: magis enim populi furor accendi solet, si existimet ab iis, quos circum se habet, inductum fuisse Principem, ut in delinquentes tali modo animadvertat.

§. Postquam vero venia generalis concessa semel fuerit, constanter eidem insistere debet Princeps, nec ullam unquam præ se ferre offensionem aut acceptam injuriam: sic enim majoribus conjurationibus ansam daret; uti dedit Ferdinandus Rex Neapolitanus, cum in quosdam Regni Proceres, *c* quibus jam ignoverat, quique in Regis Ferdinandi Catholici tutelam se receperant, vellet animadvertere. Tametsi postea, si aliud forte delictum admiserint, cum omni legis rigore castigare eos licebit, ut contineantur in officio, nec principis benignitate abutantur.

d *Nihil in* istiusmodi *discordiis civi-*

a *Sed vires ad coercendum deerant, in frequentibus infidisque legionibus. Inter ambiguos milites & occultos hostes optimum è præsentibus ratus, mutua dissimulatione, & iisdem, quibus petebatur, artibus grassari.* Tac. lib. 4. Hist.

b *Nihil spei, nisi per discordias habeant.* Tac. lib. 11. Annal.

c Mar. Hist. Hisp. l. 25. cap. 7.

d Tacit. lib. 1. Hist.

civilibus festinatione tutius, ubi facto magis, quam consulto opus est: plebs enim animos sumit, & insolescit amplius, nisi mox audaciam suam puniri videat, aut oppositionem experiatur. Semel ausa plura etiam tentat, & cum tempore in apertum se produnt, qui primum dubii hærebant, & qui nimium confidunt, in discrimen veniunt. Ideo Artabanus magna cum diligentia & celeritate Regni sui motus componere *a* studuit. Sicuti seditiones plerunque oriuntur subito, ita subito adhibendum remedium. Magis facto tunc, quam consulto opus est, antequam radices agat malitia; aut tarditate ac licentia incrementum sumat. Vbi semel cædibus, rapinis, aliisque vitiis, quæ seditio secum adfert, assueti homines fuerint, difficulter ad obedientiam iterum & quietem reduci possunt. Probe istud noverat Rex *b* Henricus, quando defuncto fratre suo Rege Petro, potioribus Regni urbibus & propugnaculis occupatis, mox Regno tranquillitatem restituit.

5. Quare cum seditiones & bella civilia nihil aliud sint, quam infirmitas quædam, quæ Reipublicæ vitam *c* consumit, & exhaurit Principem partim damnis, quæ patitur, partim etiam gratiis, quas aliis præstare cogitur, prudentis erit, quovis etiam pretio ea componere: quæ res movit Regem Ferdinandum Catholicum, ut cum Alphonso Lusitaniæ Rege de iis, quæ in Castellæ Regnum obtendebat, amice transigeret. *d Quippe in turbas similes, & discordias pessimo cuique plurima vis.* Principes in eorum sunt potestate, qui armis præsunt, *e* & *civilibus bellis plus militibus, quam Ducibus licet.*

a *Pergit properans, & præveniens inimicorum astus, amicorum pœnitentiam.* Idem l. 6. Annal.

b Mar. Hist. Hisp. lib. 17. c. 14.

c *Quod si invicem mordetis & comeditis: videte ne ab invicem consumamini.* Paul. ad Galat. 5. 15.

d Tac. l. 4. Hist.

e Id. l. 2. Hist.

SYMBOLVM LXXIV.

Animantibus à natura tributum est, ut ad individuorum suorum conservationem incumbant solum, & si lædunt interdum, ob eandem caussam potissimum fit, & è ferocitate quadam naturali, quæ rationis imperium nequaquam agnoscit: Contra homo flamma illa cœlesti, quæ vitam & sensum ei tribuit, eumque rerum omnium constituit Dominum, instinctus facile sibi persuadet, non ideo solum natum se esse, ut vivat, sed ut fruatur iis omnibus, etiam ultra illos limites, quos ei ratio posuit; unde porro fit, ut falsa boni specie inaniter delusus, illud in variis inquirat objectis, suamque in iis felicitatem & beatitudinem collocet. Nonnulli in divitiis eam consistere autumant, alii in deliciis, alii in imperio & dominatione in alios homines, immo singuli pæne in rebus tam variis, quot



errores ſunt appetitus & phantaſiæ, quibus ut potiantur, & felices ſint, ea adhibent media, quæ mens vaga & inquieta iis ſuggerit, tametſi injuſta *a* ſint. Vnde naſcuntur homicidia, bonorum direptiones & tyrannides, atque adeo illud etiam, quod nullum ſit injuſtius animal ipſo homine: cumque unus ab alio ſecurus eſſe nequeat, varia reperta ſunt armorum genera, ad malitiam vi repellendam, tuendamque innocentiam & libertatem, & bellum in orbem introductum *b* eſt. Hanc originem habuit, niſi

a *Vna & ea vetus cauſſa bellandi, profunda libido imperii & divitiarum.* Sall. in Conſ. Catil.

b *Vnde bella, & lites in vobis? Ex concupiſcentiis veſtris, quæ militant in membris veſtris.* Iacob. 4. 1.

nisi forte ex ipso inferno mox à lapsu superbissimorum illorum Spirituum prodierit. Adeo exosum est Deo bellum, ut licet David homo tam justus fuerit, noluerit tamen ab ipso templum extrui, eo quod multum sanguinis a profudisset. Principes prudentes ac moderati illud abominantur, quippe qui probe norunt, varios ejus esse eventus atque b exitus. Bello ordo & harmonia turbatur Reipublicæ: mutatur Religio: violatur justitia: silent leges: læduntur amicitia & consanguinitas: artes in oblivionem veniunt: perit agricultura: cessant commercia: vastantur civitates & immutantur dominatus. Rex Alphonsus bellum vocat c *Estrañamiento de paz, e movimiento de las cosas quedas, e destruimiento de las compuestas.* Si internum sit bellum, ardenti febri simile est, quæ Statum adurit; si extraneum, venas incidit, per quas divitiarum sanguis effluit, & vires exhalantur ac spiritus. Bellum violentia quædam est rationi. Naturæ, ac fini hominis contraria; hunc siquidem Deus ad suam imaginem condidit, & imperium ei dedit in hasce res inferiores, non ut eas bello destrueret, sed pace conservaret. Non eum creavit belli, sed pacis caussa; non ad furorem, sed mansuetudinem exercendam; non ad injuriam, sed ad beneficentiam: quare nudus omnino nascitur sine armis quibus lædat, & sine durior pelle, qua se tueatur; ita alienæ opis, gubernationis & institutionis indigus, ut adultus etiam & natu grandior se solo absque industria aliena vivere nequeat. Eadem necessitas & indigentia hominem impulit, ut societatem & amicitiam civilem cum aliis coleret, in qua communi omnium labore necessaria reperirentur vitæ commoda, & felicitas ista politica arctioribus amicitiæ & subsidii mutui vinculis eos invicem astringeret; & ne forte una aliqua Provincia internis suis elata opibus aliarum communicationem sperneret, inter varias bona illa dispertivit. Triticum Sicilia suppeditat; vinum Creta; purpuram Lydus; sericum Calabria; res odoriferas Arabia; aurum argentumque Hispania, & Indiæ occidentales; Orientales Adamantes, uniones, & varia aromata: quo factum denique, ut cupiditas & indigentia opum istarum & deliciarum excitaret commercia, & instituta inter Nationes communicatione fieret hic orbis familiaris quædam domus ac communis omnibus; quia vero ad ejusmodi negotiationes necessum erat, ut sese mutuo intelligerent, atque internos amoris & benevolentiæ affectus invicem possent prodere, largita est homini Natura vocem articulatam, blandam, & suavem, qua animi sui sensa exprometret; risum, quo comitatem suam; lacrymas, quibus suam commiserationem; manus, quibus fidē suam, & liberalitatem;

a *Multum sanguinem effudisti, & plurima bella bellasti, non poteris ædificare domum nomini meo.* 1 Paralip. 22. 8.

b *Varius eventus est belli; nunc hunc, & nunc illum consumit gladius,* 2 Reg. 11. 25.

c L. 1. tit. 23. p. 2.

tem; genua, quibus obedientiam suam testaretur: quæ omnia signa sunt animalis civilis, benigni, & pacifici. Verum eas animantes, quas Natura bellicosas esse voluit, ita ab utero formavit, ut armis tam offensivis, quam defensivis ad bellum instructæ essent. Leoni ungues dedit, Aquilæ falculas, Elephanto proboscidem, Tauro cornua, Apro exertos dentes, Erinaceo pungentes aculeos, Serpentes & viperas veneno fecit formidabiles, illarum quippe defensio in nostro consistit periculo, & robur à metu nostro accipiunt. In eum finem omnes fere animantes brutas duriori pelle convestivit; ut se tanto melius tueri possent: Crocodilum lorica texit, serpentes hamato thorace, cancros testis. Ideo largita est omnibus aspectum quendam ferocem, ac vocem horrificam. Pro illis ergo brutum bellum sit, non pro homine, in quo ratio in iram habet imperium, & cui Natura in imis terræ visceribus ferrum, chalybem, aurum argentumque, ne fors iis abuteretur, abdidit, sed & ibi ea reperit, & protraxit in lucem, a *ne aut instrumentum in cædes mutuas deesset, aut pretium.* Grandis hominum abusus aurum argentumque, quæ Natura vitæ sustentandæ & ornandæ concessit, in ejusdem jacturam & detrimentum impendere.

5. Verum quia apud homines permultos, ipsis etiam belluis (ut diximus) immaniores plus voluntas & ambitio potest, quam ratio, adeo ut absque justa caussa contendant opprimere alios, iisque dominari, omnino necessarium fuit bellum ad defensionem naturalem: b *nam cum duo sint genera disceptandi; unum per disceptationem, alterum per vim; cumque illud proprium sit hominis, hoc belluarum, confugiendum est ad posterius, si uti non licet superiori*, modo justa caussa intervenerit, & bona præterea accesserit intentio, & legitima auctoritas Principis: qua tamen in re absque consultatione cum viris doctis statui nihil debet. Ita Athenienses faciebant, qui prius Oratores suos & Philosophos adhibebant in consilium, ut bella legitime susciperent: siquidem in nostra est potestate illa exordiri; finem vero iis imponere, non item. Qui cito arma corripit, paullatim plorandi materiam inveniet. c *Mover guerra* (inquit Rex Alphonsus) *es cosa en que deven mucho parar mientes, los que la quier en fazer ante que la comienzen: porque la fagan con razon, e con derecho. Ca desto vienen grandes tres bienes. El primero, que ayuda Dios mas per ende à los, que asi la fazen. El segundo, porque ellos se effuerzan mas en si mismos por el derecho, que tienen. El terzero, porque los que lo oyen, si son Amigos, ayudan los de mejor voluntad; è si enemigos, recelan'e mas dellos.* Belli periculum suscipi non debet ob caussas leves, aut deliciosas, quales impulerunt Xerxem, ut bellum inferret Græciæ; & Longobardos ut irruptionem in Italiam facerent.

a Seneca.

b Cicero.

c L. 2. tt. 23. p. 2.

rent. Ille Princeps tyrannus eſt, qui propter ſtatum alienum bella movet; juſtus ille, qui ideo ſolum, ut ſua conſervet, aut bona inique uſurpata vindicet, in eo præſertim caſu, quando juſtitia à tribunali obtineri nequit, & ſecurior eſt deciſio, quæ gladio fit & armis, quam quæ jure ſcripto, *a* fraudi & cavillationi obnoxio. Eventus bellorum injuſte ſuſceptorum integerrimus judex eſt, qui victoriam ei tribuit tandem, cui de jure competit. Tantopere Philippus Secundus jus ſuum, quod per mortem Regis Sebaſtiani ad Luſitaniæ coronam fuerat conſecutus, liquidum eſſe voluit, ut tametſi Theologorum & Iuriſconſultorum reſponſa pro ipſo facerent, & jam in confinibus Regni illius eſſet cum exercitu, adhuc tamen tantiſper ſuſtinuerit, donec iterum cum illis ea ſuper re deliberationem inſtituiſſet. Princeps, qui ſenſum & quaſi gradatim fortunam ſuam fabricare meditatur, per bellum eam quærat licet, ubi legitima ſeſe obtulerit occaſio. Verum is, qui Status amplitudini ſuæ convenientes jam quiete poſſidet, diligenter ante expendat, quid magis conducat ea in re, coneturque, quoad poteſt honeſtis quibuſdam mediis bellum declinare, abſque jactura tamen auctoritatis ſuæ & exiſtimationis: nam ſi hæ paterentur aliquid, detrectando magis illud incenderet. Rudolphus Primus Imperator melius eſſe ajebat bene gubernare, quam dilatare Imperium. Nec minor Principis gloria eſt, armis pacem tueri, quam bello victorem eſſe. Felix & fortunatum illud Regnum, in quo armorum exiſtimatio ubertatem conſervat; ubi lanceæ olivas & vites ſuſtentant; ubi Ceres Bellonæ galea utitur, ut fruges ſuas tanto ſecurius poſſit producere. Quo animi magnitudo major eſt, eo magis is à bello eſt alienus: novit enim quid maxime fieri oporteat. Illud certum, *b ſumi bellum ſæpe etiam ab ignavis, & ſtrenuiſſimi cujuſque periculo geri*. Quod ſi bellum pacis cauſſa inventum eſt, ut illius beneficio, ſi fieri poteſt, hac frui tandem liceat, non debet electio illius à voluntate eſſe, ſed à vi potius & *c* neceſſitate. E cerebro Iovis Bellonam prodiiſſe finxit Antiquitas, ut ſignificaret, bellum à prudentia, non ab arrogantia animi proficiſci debere. Sebaſtianus Luſitaniæ Rex, qui armis appetiit Africam generoſæ ſuæ indoli indulgens magis, quam conſilium ſecutus, ſanguine ſuo documentum iſtud in arenis illis inſcriptum reliquit. Apes Regem armatum non ferunt, ne bellicoſus ſit forte, & Reipublicæ ſuæ gubernatione neglecta alienis acquirendis ſeſe occupet. Quod ſi melius perpendiſſent Franciſcus Francorum, & Guſtavus Suecorum Reges, nec ille captus fuiſſet Ticini, nec hic in Lutzenſi

a *Caſtrenſis juriſdictio ſecura, & obtuſior, ac plura manu agens, calliditatem fori non exerceat.* Tacit. in vita Agric.

b Tac. l. 4. Hiſt.

c *Pacem habere debet voluntas, bellum neceſſitas.* D. Aug. ep. 207. t. 2.

zensi pugna cecidisset. A dominandi libidine multarum Rerumpublicarum interitus sumpsit initium. Sero tandem illud agnovit Hannibal, cum Scipioni fassus est, longe melius futurum fuisse, si Dii animos tam modestos hominibus inspirassent, ut Romani Italia, Carthaginenses Africa contenti forent.

5. Principes armis potentes bellum viribus, quantis possunt maximis, prosequi debent, ut citius illud conficiant, uti solebant Romani: productio enim & sumptus auget & pericula. Interea quoque hostis sese exercet, sibi prospicit, & sumit animos. Potentia, nisi cum impetu aliquo agat, auctoritatis suæ jacturam facit. Iis de caussis uno eodemque tempore duo diversa bella suscipienda non sunt: distractis enim viribus, tam cito ea confici nequeunt. Nec ulla tanta est potentia, quæ illa diu sustentet, neque tot supersunt viri, qui ea rite moderentur. Semper in eo elaborarunt Romani (& facit illud idem nunc Turca) ut ne duobus in locis simul bellum gererent. Huc comminationes illæ spectabant, quas Corbulo Parthis intendebat, cum diceret, a *Imperatori suo immotam ubique pacem, & unum id bellum esse.*

a Tacit. lib. 15. Annal.

SYMBOLVM LXXV.

MEdea (ut vellere aureo tanto commodius potiretur) serpentium dentes disseminavit, unde enati sunt integri virorum armatorum manipuli, qui vulneribus mutuis se conficiebant. Idem Principes aliqui & Respublicæ factitant, perniciosissimæ orbis Medeæ, discordias disseminant inter Principes, ac bella & tumultus in suismet *b* Statibus colligunt. In his nempe pacem & quietem sibi pollicentur; quam perturbant in Provinciis alienis, sed contra, ac putabant, plerumque evenit. De mundi æquilibrio dicunt Cosmographi, centrum gravitatis tam ex omni parte esse æquale, ut pondus quodcunque etiam minimum terram commoveat: quod idem in bellis accidit, nullum quippe tam longe distat, quin centrum quietis Rerum publicarum aliarum immutet. Bellum flammæ instar est, quæ uno in loco excitata, mox alia, & propriam sæpe domum corripit, pro eo ac venti spiraverint. Prudens Agricola agris suis tempestatem metuit, quam circa montium vertices, etsi longissime distantes, cogi videt; potiori jure eas timebit is, qui vaporibus submissis alimenta iis subministrat. Sunt qui Batavorum fovent potentiam, sed erit fortasse, quando servitute oppressi suam ipsi deplorabunt stultitiam; quemadmodum iis accidit, qui augendis Romani Imperii viribus aliquando studuerant. Veneti æmulatione ducti, quod viderent per Lusitanorum navigationes sua in mari Peruco, & in Pro-

a *Ventum seminabunt, & turbinem metent.* Ose. 8. 7.



Provinciis Orientalibus impediri commercia, Cairum Legatum quendam miserunt, & artifices formandorum tormentorum æneorum, & navium construendarum peritos, ad armandum adversus Lusitanos Calecuti Regem, Batavis vero persuasere, ut ad Promontorium bonæ spei eorundem navigationibus sese opponerent. Verum hi consilio tam opportuno usi missis illuc suis Institoribus, & introductis commerciis, ea Reipublicæ penitus præripuere, cui longe fuisset utilius, Lusitanorum navigationem mansisse integram: ita enim eorundem navigiis uti potuisset

tuisset tanquam onerariis ad advehendas Orientis divitias, & si portus Regni illius attigissent, incolarum opera & labore eas perficere, & post majori cum industria & lucro per universam Europam distrahere. Nimirum illa ipsa instrumenta & media, quæ ad securitatem propriam cum damno alieno humana excogitat prudentia, auctori postea accersunt exitium. Sabaudiæ & Parmæ Duces belli incendia in Mediolanensi Statu fovere satagebant, sed eorum alter suum proprium evertit penitus, alter vero belli sedem ad se pertraxit. Vnicum malum consilium optimo animo Regis Franciæ impressum effecit, ut seipsum pæne metuat, diffidat Matri, Fratri Germano, & toti regno; persuasus scilicet, se suaque sine bello stare non posse, atque adeo à ruina Domus Austriacæ suam dependere salutem & conservationem.

Fœdus Cameracense contra Rempublicam Venetam suasit non nemo Legatus à Francia hoc usus argumento, quod dissensiones illa seminaret inter Principes, ut suam fabricetur fortunam cum aliorum ruina, & uniti inter se complures eisdem armis eripuere, quicquid in terra firma acquisiverat. Fieri forte potuit, ut tempora illa tales artes exigerent, aut quod Viri prudentes, quibus Senatus ille semper floruit, ejus rei incommoda agnoscerent quidem, iis tamen occurrere non possent, ob nimiam Senatorum multitudinem, aut ne obsistendo suspecti aliis haberentur. Est nimirum hæc Rerum publicarum infelicitas, ut in illis malitia, tyrannis, odiorum fomentum, commodorũ procuratio, nulla habita Iustitiæ ratione, præcipuum magisque securum suffragium esse soleat, quod zelum & amoremque in patriam communiter interpretamur, ademta viris melioribus recte agendi libertate. In illis, inquam, a *Sapientibus quietis & Reipublicæ cura : levissimus quisque & futuri improvidus, spe vana tumens* est, cumque in deliberationibus numerentur potius, quam ponderentur vota, & in communitatibus omnibus plures inexperti & temerarii reperiantur, quam cordati, gravia inde nasci solent incommoda. Etiamnum hodie cum maximo tranquillitatis publicæ bono, & communi omnium applausu observari videmus à laudatissima illa Republica bonas regulas politicas, ut pote quæ paci universali studuit semper, & constantem cum Principibus finitimis coluit amicitiam, neque unquam locum dare voluit continuis Franciæ sollicitationibus, aut bellis præsentibus sese immiscere. Qua re non solum Austriacam sibi Domum mire devinxit, sed semetipsam etiam communi Martis furori prudenter subduxit, adeo ut plus ea ratione profecerit, quam vi & armis obtinere potuisset. Vicinitas majoris potentiæ non semper damno esse solet, aut fraudi; interdum maris instar est, quod aliorsum recedit, & Provincias integras subductis undis

a Tac. l. 1. hist.

undis Vicino transcribit. Principes non pauci & Respublicæ conservationem suam & amplitudinem huic debent Monarchiæ. Periculosæ plenum opus est aleæ, bella semper potentiori machinari, & hoc solum agere, ut Principatus minores contra illum nunquam non in armis sint, ut alibi ostendimus. Longe potentiores sunt Respublicæ à bona cum Principibus amicitia, quam ab armis & exercitu. Fœminæ sunt astutæ; quæ facili negotio animos illorum & voluntates sibi conciliant, & suas moderantur actiones, ad fines suos particulares dirigendo. Plus plerunque cum iis velut cum sexu muliebri, quam cum Principibus aliis connivetur, nota præsertim Magistratus natura, in quo probi absque culpa sunt. Ne igitur turbari se sinant, si Principes interdum iratiores videant: nam a *amantium ira amoris redintegratio est.* Suasmet potius umbras & suspiciones improbent, quibus amicorum fidem quandoque in dubium vocant, quod vitium multitudinis est, res ipsas non ratione, sed suspicione plerunque inani metientis.

5. Atque artes istæ seminandi discordias, & unum in alterius exitium concitandi, frequentes in aulis sunt & Palatiis, & fere ex ambitione nasci consueverunt; cum enim jam distributa sint præmia, & formæ novæ absque aliarum interitu introduci nequeant, per calumniam aut vim eo contenditur. Interdum non nisi æmulatio est, qua Minister unus invidet alteri excellentes animi dotes, quibus pollet, ideoque hoc agit potissimum, ut aut officio arceatur, ubi illæ magis elucent, aut ut conceptam de iis opinionem deponant alii. Quem in finem falsa etiam nonnullis aliis imponunt crimina, & si veritas obscurari non potest, utuntur ficto risu, jocis aliisque verbis minus honorificis, sub quadam amicitiæ specie, ut qui jam in rebus levioribus auctoritatem perdidit, eadem postea etiam in gravioribus destituatur. Artificia ejusmodi malitiosa, minusque sincera ipsi quoque auctori perniciosa sunt, quemadmodum in Hispone ejusque sequacibus prudenter b advertit Tacitus. Et tametsi Licinius Proculus alios c *criminando, quod facillimum factu est, pravus & callidus, bonos & modestos anteibat*: istud tamen tum solet accidere, cum probitas & modestia intra vitæ privatæ limites sese continent, & honores publicos ac gratiam Principum aspernantur; ut facere solent ii, qui suismet diffisi viribus minus idoneos sese reputant ad negotia publica aliaque majoris momenti pertractanda. Viris talibus malitia solers, & ad occupandos animos intenta, debita virtutum præmia facile præripit; quomodo Tigellinus factitabat, d *Præfecturam vigilum, & prætorii, & alia præmia virtutum velocius vitiis adeptus.*

a Terentius.

b *Perniciem aliis, ac postremum sibi invenere.* Tacit l. 1. Annal.

c Tac. l. 1. hist.

d Idem l. 1. hist.

adeptus. Verum tales artes eadem, qua nascuntur, celeritate rursum intereunt; ut in eodem Tigillino videre fuit, qui a *inter stupra concubinarum*, *& oscula, & deformes mores, sectis novacula faucibus, infamem vitam fœdavit, etiam exitu sero & inhonesto.*

a Tac.l.1.Hist.

SYMBOLVM LXXVI.



Vibrat sol lucis suæ radios in speculum concavum, & idem inde mox ignei emicant (figura præsentis Emblematis) quo significatur in bona aut mala Ministrorum intentione

tione pacem aut bellum consistere. Periculosa est mandatorum, quæ ipsi accipiunt, repercussio. Si pectus iis esset cristallinum, planum & candidum, eadem cum puritate mandata redderent, qua acceperunt, immo etiam majore. Quod si iis chalybeum sit, orbem universum bellis succendent. Eam ob rem Principibus pacis amantibus curæ esse debet, ne ad eam procurandam Ministros adhibeant Martem potius spirantes: hi enim, cum gloriam suam & fortunam in armis collocent, omnem captant occasionem belli incendia suscitandi. Non deploraret Corona Franciæ tot dissidia, neque Europa tot Martis calamitates, nisi in illis conservatio gratiæ Regis Christianissimi sita fuisset. Sacræ paginæ memorant, tubas, quibus bellum denunciabatur, Sacerdotibus olim commissas *a* fuisse, ne modestia & gravitas sacratioris eorundem officii, quo fungebantur, absque gravi caussa iis uti permitterent. Animi Principum sinus quidam marini sunt, qui in altissimos fluctus montium instar sese erigunt, si Ministri eorundem turbulenti Boreæ fuerint; contra, si placidi Zephyri, in summa vivunt tranquillitate. Etenim animus generosus, & pacis ac mutuæ Principis sui cum aliis concordiæ amicus: mandata temeraria, & periculosa moderatur, atque emendat; solis exemplo, cujus radii etsi per angulos transeant, expedire tamen se conantur postea à forma illa imperfecta, & in reverberatione sua redire ad Sphæricam. Nec sufficit interdum, quod intentionem habeant minime malam, si bellicosi alias & Martiales habeantur, quia aut nemo sibi persuadet, tam fortes animos occasionem neglecturos, aut metus contra eorum fortitudinem arma corripit, aut certe malitia ea velut pallio sese contegit. Prævidit Comes Fontanus, quid ex Rhætorum factione futurum esset in valleTelina, ob consociationẽ cum Republica Veneta, & propugnaculum extruxit ad ostium Adæ fluvii, pro securitate status Mediolanensis: ingressus est Vallem eandem Dux Feria excitus à Catholicis, ut eos contra Hæreticos tutaretur: alibi Dux Osunensis cum exercitu in mari Adriatico Venetorum arma in Foro Iulii aliorsum avocare conatus est, & tribus illis Ministris imputata fuere bella, quæ deinde propter Sabaudiæ Ducis inquietudinem exorta sunt.

§. In iis tamen, qui pacis tractandæ caussa mittuntur, majus hoc solet esse periculum, cum quisq; fere in negotiis naturæ suæ ductum, aut passionem sequatur potius, quam bonam Principis intentionem. Lupus Harus offensus à RegeSanctio, cui cognomentum Fortis, egregie sese ultus est in tractatibus pacificationis inter eundem Regem, & Petrum Tertium Regem Aragoniæ, secus amborum responsa referendo, quo factum, ut utrumque commotiorem redderet, quam fuerint antea.

a Filii autem Aaron Sacerdotes clangent tubis, eritque hoc legitimum sempiternum in generationibus vestris. Num. 10. 8.

antea. Maxima Principum infelicitas est, quod rebus omnibus ipsi coram præsentes adesse nequeant, adeoque necesse habeant in multis aliorum uti relationibus, quæ fontibus similes sunt: sicut enim hi terræ metallicæ, qua transeunt, affectiones imbibunt, illæ semper fere malitia, passione, aut affectu Ministrorum inficiuntur, eorumque commoda ac fines sapiunt. Iisdem conantur assentari Principi, ita eas instituendo; ut ad illorum arbitrium & voluntatem fictæ factæque videantur. Ministri, & cumprimis Legati, qui rei bene gerendæ apprime studiosi videri cupiunt, & tanquam ingenio suo penetrent omnia, abripi se sinunt privatis suismet imaginationibus, & ad Principes suos referunt tanquam certum & exploratum, non id, quod re ipsa est, sed quod esse posse ipsi imaginantur. Nimis in suspiciones proni sunt, quas sicut è quavis levissima umbra hauriunt, ita mox fidem iis adhibent: unde graves æquivocationes nascuntur & errores, immo caussa præcipua dissensionum, bellorumque inter Principes; si quidem a *turbas & discordias pessimo cuique* Ministro *multa vis*. Caveant igitur oportet Principes, ne leviter moveri se sinant primis Ministrorum relationibus, sed componant eas prius cum iis, quas ab aliis accipiunt, atque ut de perscriptis ad sese tanto certius formare possint judicium, perfecta imprimis eorundem habeant ingenia & naturas, modum insuper, quo res solent concipere, num videlicet passionibus, aut affectibus privatis duci consueverint: accidit enim interdum, ut Minister amore Regionis, aut Principis, cum quo agit, capiatur, & omnia illi æqua videantur; aliquando comiter acceptus favoribus ejusdem inescari se sinit, & ex gratitudine quadam naturali illius partes & caussam agit potius, quam sui Principis. Nonnunquam etiam inanibus rerum simulacris, & rumusculis adversis, per dolum confictis, decipitur, & facile suum etiam fallit Principem: nam nemo aptior ad propinandos aliis errores, quam qui prior eos hauserit. Ministri bene multi levibus moventur ratiunculis, aut passione aliqua ducti, aut aversione animi, quæ judicium iisdem perturbat, omnia in malum vertunt. Sunt præterea nonnulli natura sic comparati, ut actiones omnes & consilia in deteriorem interpretentur partem; quemadmodum alii ita sinceri, ut nihil sinistra cum intentione agi credant. Tam isti, quam illi perniciosi sunt, & hi postremi quidem non minus, ac alii priores.

Existimans interdum Minister ad obsequii munus pertinere, aut intelligentis & boni communis studio flagrantis nomen se adepturum, si Principi suo hostes ac diffidentes detegat, omnem curam & vigilantiam in suspicionibus collocat, nec quisquam à calamo ejusdem & lingua securus est, atque ut umbras suas

a Tac. l. 4. Hist.

suas & apprehensiones tanto faciat certiores, nimium diffidendo occasionem dat, ut amici convertantur in hostes, & caussa in litem abeat cum gravi Principis nocumento, cui longe plus profuisset bona de omnibus existimatio, aut si Minister adhiberet remedia ad curandos, non ad infirmandos hominum animos, & voluntates.

Fatigantur etiam quandoque Ministri Legationibus, atque ut ad familiæ propriæ commoda procuranda reverti sibi liceat, non verentur dissuere omnino Principum inter se amicitiam, aut alia minus sana consilia suggerere.

Falluntur egregie Principes, qui sibi persuadent, Ministros semper ut Ministros, nunquam ut homines agere. Quod si ita esset, meliora ab iis præstarentur obsequia, & pauciora evenirent incommoda. Attamen homines sunt, neque Ministri munus eos continuo exuit propensione naturali ad quietem & delicias, amore, ira, vindicta; aliisque affectibus, & passionibus, ad quas corrigendas non sufficit semper studium boni communis, & obligatio.

5. Verum id diligenter velim animadvertat Princeps, fieri interdum, ut qui Ministros bonos & gnavos fallere nequeunt (eo quod hi in tractando negotio artes illorum & consilia penetrent, videantque quid è re Principis sui sit, quid non.) eos traducant tanquam diffidentes, passionibus obnoxios, duros & intractabiles, adeoque illud conentur efficere, ut iis amoris negotia committantur aliis minus ad eam rem instructis, aut ut cum ipso Principe immediate ea tractare sibi liceat, cui multa ad speciem æqua proponunt, eumque inducunt, ut concedat, quæ ipsi deinde fraudi sunt, & interdum ut Ministrum suum pessumdet penitus. Nemo existimare debet negotiorum cursum mutare se nosse, aut Ministri fortunam evertere: ubi enim hoc sperare licuerit, nullus Minister securus erit, nec Principis negotium recte curabitur; talis enim fiducia contemptum & inobedientiam parit in accusante, & metus criminis imponendi animos Ministro adimit. Quare minus damnum censeo hos forte errare, quam leviter admittere adversus eos querelas & accusationes præsertim Exterorum, & licet veræ eæ sint, majoris tamen prudentiæ est differre remedium donec istud ascribere sibi nequeat is, à quo profectæ illæ fuerant.

SYMBOLUM LXXVII.

Ambæ illæ principes cæli faces, diei noctisque præsides, quanto à se invicem absunt longius, tanto majori consensione, & pleniori luce isthæc inferiora collustrant. Ast ubi concurrunt propius, nil juvat quidem esse fratres, quo minus præsentia unius alterius impediat radios, & ex tali Eclipsi nascuntur grandiores umbræ, aliaque terræ in-



commoda. Conſervant & fovent Principes mutuam inter ſe amicitiam Miniſtrorum & literarum beneficio ; at ſi corã de rebus ſuis inter ſe communicent, mox ex ipſo aſpectu umbræ ſuboriuntur ſuſpicionum & offenſarum, quia nunquam unus in alio reperit, quod antea ſibi pollicebatur, nec unuſquiſq; ſuo ſe metitur modulo, cum nemo fere inter eos ſit, qui non plus obtendat, quam ei de jure debeatur. Duellum prope eſt mutuus Principum conſpectus & præſentia, in quo de cæremoniis decertatur, unoquoque poſcente primas, & cum altero de victoria contendente. Aſſiſtunt certamini amborum familiæ, velut bini hoſtiles manipu-

nipuli, quorum singuli id in votis habent, ut Princeps suus & personæ dotibus, & amplitudine palmam ferat; cumque in tanto numero omnes prudentes esse nequeant, quodvis dicterium, aut levissimus aliquis contemptus, facile divulgatus, graviter alios offendit. *a* Ita factum in congressu Regis Henrici, & Ludovici Vndecimi Regis Franciæ, in quo cum Hispani spendore & pompa excederent, contra vero vilem Gallorum cultum ac sordes deriderent, animis haud leviter offensis duæ illæ Nationes discesserunt ab invicem, quæ usque id temporis tam arctam inter se amicitiam coluerant. Occulta fuere Germanici & Pisonis odia, quoad coram inter se *b* viderunt. Conspectus mutuus Regis Castellæ Ferdinandi Quarti, & Regis Lusitaniæ Dionysii ejus soceri graves peperit dissensiones, uti & ille Regis Philippi Primi & Regis Ferdinandi. Et tametsi ex congressu Regis Iacobi Primi cum Rege Alphonso, atque ex multis aliis similibus insignia nata sunt emolumenta, tutissima tamen via erit, si Principes negotia sua per Legatos conficiant.

5. Qui Principibus magis Familiares sunt, ii hoc agunt interdum (ut dictum alibi) ut inter eos, eorumque consanguineos & affines dissidia seminent, cujus rei in historiis nostris multa exempla suppetunt. Lupus Harus inter Regem Sanctium, cognomento Fortem, ejusque conjugem Reginam discordiam concitare conatus est. *c* Famuli Reginæ Catharinæ Matris Regis Iohannis Secundi eandem irritabant adversus Infantem Ferdinandum. Alvarus Lara, (ut Regni gubernationem diutius obtineret) literis confictis Regi Henrico Primo persuadere voluit, à sorore sua Berengaria ei venenum parari. Quorum commodis serviebat dissensio inter Infantem Sanctium, & Regem Alphonsum Sapientem ejus Patrem, ii vehementer cavebant, ne quas habebant controversias, coram præsentes componerent. Castellæ Proceres impediebant *d* concordiam inter Regem Ioannem Secundum, & Henricum ejus filium. Alvarus Luna illam item, quæ inter Ioannem Navarræ regem, ejusque filium Carolum Vianæ Principem intercedebat. Privati Regis Philippi Primi eidem dissuadebant congressionem, & colloquium cum Rege Ferdinando. Ejusmodi artes vidimus his nostris temporibus frequentari in Francia cum non exiguo detrimento tranquillitatis Regni illius, & totius Christiani orbis. Remedium unicum est, spernere difficultates & incommoda, quæ Ministri Principibus familiares obtendunt, & in mutuum venire conspectum, ubi vi sanguinis occulte operante, mitigantur animi, & in apertum se prodit eorum malitia, qui dissidiorum auctores extitere. His rationibus permotus Rex Ferdinandus Segobiæ

a Mar. hist. Hisp. l. 23. c. 5.
b *Discesserantque opertis odiis.* Tacit. lib. 2. Annal.
c Mar. Hist. Hisp. l. 18. cap. 6.
d Mar. hist. Hisp. lib. 22. cap. 4.

gobiæ coram convenit Regem Henricum Quartum conjugis suæ fratrem, nihil veritus ex eo periculi, quod se suaque committere videretur Regi offenso, qui aut ex amore naturali, aut ad dissimulandam suam infamiam illud agebat unice, ut filia sua Ioanna in Corona succederet: etsi enim de periculis istis satis à suis fuerit præmonitus, cum tamen ad prudentiæ bilancem ista expenderet, prævaluit omnibus unica illa consideratio, nulla scilicet vi aut tractatione plus effici posse, quam præsentia.

SYMBOLVM LXXVIII.

QVod in Sirene cernitur, formosum est; quod auditur, suave; quod celat intentio; noxium; & quod infra aquas demergitur, monstrosum. Quis primo aspectu inæqualem istam diversitatem agnosceret? Tantum mentiri oculos, ut fallant animum: tam suavem esse concentum, ut naves impellat in scopulos! velut extraordinarium admirata est Antiquitas monstrum istud; ut nullum magis ordinarium: aulæ & loca omnia eorum plena *a* sunt. Quoties homines dulcem & sonoram in ore linguam circumferunt, qua decipiunt, & Amici gressibus ponunt *b* laqueos? Quoties frons exterior amorem præ se fert & benevolentiam, & animus iram coquit & indignationem? Quot finguntur lacrymæ, quæ ex gaudio *c* profluunt? *d Periisse Germanicum nulli jactantius mærebant, quam qui maxime latabantur.* Attulerunt ad Iulium Cæsarem Pompeji caput, & tametsi hoc illi spectaculum non injucundum esset, lacrymis tamen interiorem animi affectum dissimulavit.

e *Non primo Cæsar damnavit munera visu,*
Avertitque oculos, vultus dum crederet, hæsit.
Vtque fidem vidit sceleris, tutumque putavit
Iam bonus esse socer: lacrymas non sponte cadentes
Effudit, gemitusque expressit pectore læto.
Non aliter manifesta putans abscondere mentis
Gaudia, quam lacrymis.

Multum de fictis Sirenibus habent obtentus quorundam Principum. Quam fucati Religionis & boni publici coloribus? Quam amplis vestiti promissis, & blandis ac amicis sermonibus? Quæ fraudes mutuæ non latent sub illa specie, & exterioribus benevolentiæ indiciis? Angelos sese exhibent, & desinunt in serpentes, qui artus complectuntur, ut mordeant & venenum iis infundant. Meliora sunt sinceri animi vulnera, quam horum talium *f* oscula. Verba eorum blanda sunt, ipsi vero

a *Et Sirenes in delubris voluptatis.* Isai. 13. 22.

b *Homo qui blandis fictisque sermonibus loquitur amico suo, rete expandit gressibus ejus* Prov. 29. 5.

c. *Peractis tristitiæ imitamentis.* Tacit. lib. 13. Annal.

d Tacit. lib. 2. Annal.

e Lucan.

f *Meliora sunt vulnera diligentis, quam fraudulenta oscula odientis.* Prov. 27. 6.



vero acuta [a] jacula. Quoties proditio ab honoribus incepit? Tiberius incensus æmulatione gloriæ tot victoriarum, quas Germanicus tulerat, necem ejusdem moliebatur, totiusque familiæ Augusti extirpationem, & ad triumphum eum evocavit, ac imperii consortem reddidit. His publicis benevolentiæ signis animum suum tegere contendebat: ardebat Germanici invidia, magisque ejus gloriam incendebat, ut extingueret promptius: quod oculis patebat, existimatio erat & honor: quod clam suberat, non nisi odium

[a] *Molliti sunt sermones ejus super oleum, & ipsi sunt jacula.* Psal. 54. 22.

odium *a* malitia. Quo magis sincerum sese cor exhibet, eo plus doli in recessu habet abditum. Non æque fallunt fontes turbidi, ac limpidiores, qui venenum dissimulant, & puritate sua ad hauriendum alliciunt. Oportet igitur diligenter advigilet prudentia, ut illas Principum artes tempori penetret, tantoque magis suspectos eos habeat, quanto benigniores & magis benevolos sese ostendunt, & mores suos ac naturam immutant; quomodo Agrippina fecit versis artibus, & asperitate in teneritudinem & blandimenta, ut Neronem ab amoribus ancillæ *b* abstraheret: quæ mutatio ipsi etiam Neroni, & amicis ejus suspecta fuit, adeo ut eum monerent, caveret mulieris *c* insidias. Ad ea potius oportet advertere animum, quæ celare student Principes, quam quæ palam produnt: magis ad ea, quæ silentio premunt, quam ad ea, quæ exterius offerunt. Tradit Elector Trevirensis Archidiœcesis suæ Metropolim Regi Franciæ, ut eam militari firmet præsidio, etsi probe sciret Imperialem urbem esse, & sub protectione hereditaria Regis Hispaniæ, tanquam Ducis Lutzenburgensis, & Comitis inferioris Burgundiæ, atque adeo non in illam solum se peccare, sed & Imperii constitutiones; post vero iis de caussis copiæ Regis Catholici urbem illam iterum Francis eripiunt, Electorem casu & fortuito detinent, & tractant omni cum veneratione tali ac tanto Principi debita; & ecce postquam Rex Franciæ jam decem aut octo diebus ante fœdus cum Batavis sancivisset, ad oppugnandas Provincias Belgicas, hunc bello titulum obtendit, etsi post id acciderat, & in dictas regiones signa infert, specie liberandi Electoris, amici sui, & in fœderibus socii. Facile occasiones reperit, aut subnasci facit, qui eas studiose quærit. Malitia luci similis est, quæ per quamcumque rimulam sese penetrat, & tanta in nobis inest ad libertatem propensio, tam cœca nostra ambitio, ut nulla tam sit fucata species, modo ad alterutram illarum collimet, cui non illico fidem habeamus, sinamusque ab ea nos decipi, quantumvis à veritate aliena ea sit, & rationi aut experientiæ adversetur. Italia nondum satis agnoscit consilia Franciæ, quibus sub titulo protectionis dominatum illius affectat, etiam postquam vidit violatam ab ea fidem publicam, post constitutas tot paces Ratisbonæ, Cherasci, & Monçoni: post invasum item Montferratum, Vallem Telinam, Pinnarolam, & impositum Monaco militare præsidium. Talia simulacra obtendunt

a Nec ideo sincera caritatis fidem adsecutus, amoliri juvenem specie honoris statuit, struxitque caussas, aut forte oblatas eripuit. Tacit. lib. 2. Annal.

b Tum Agrippina versis artibus, per blandimenta juvenem aggredi, suum potius cubiculum, ac sinum offerre contegendis, quæ prima ætas, & summa fortuna expeterent. Tac. l.13. Annal.

c Quæ mutatio neque Neronem fefellit, & proximi amicorum metuebant, orabantque cavere insidias mulieris semper atrocis, tum, & falsæ. Idem lib.13. Annal.

dunt Principes suæ ambitioni, cupiditati, aliisque consiliis minus rectis, cum jactura etiam sanguinis & fortunarum subditorum. Hinc fere nascuntur omnes bellorum motus & turbæ, quas orbis experitur.

§. Sicut autem ipsa commodorum ratio mutatur interdum, ita & caussæ iis prætextæ: hæ namque umbram illis faciunt, & sequi ea solent. Tractat Respublica Veneta armorũ societatem cum Grisonibus, obsistunt Galli, ne quid detrimenti caperent confœderationes, quas ipsi cum iisdem alias fecerant: abeunt in diversas factiones Nationes illæ, in damnum Catholicorum Vallis Telinæ, quorum exstirpationem moliebantur Hæretici: conventum ea super re instituunt Helveti, neque aliud occurrit remedium, quam ut Hispani cum exercitu in Vallem penetrent, quod longe etiam ante Clementis VIII. fuit consilium, in instructione quadam data Episcopo Veliæ, cum illum pro nuntio mitteret ad Cantones Catholicos. Placet idem medium Domino Guffierio, qui Franciæ curabat negotia, suadetq; Comiti Alphonso Casato Legato Regis Catholici apud Helvetos, Ducem de Feria hortetur literis, ut cum exercitu regio in Vallem Telinam moveat, ut præcluso hac ratione Venetis transitu, ipsi à cogitatis suis desisterent, & Vallis ab Hæreticis tuta esset ac libera. Motus his precibus Dux, & periculo communi, quod Statui Mediolanensi, atque universæ Italiæ ab hæresi imminebat, lamentis item, & lacrymis Catholicorum, Vallem Telinam ingreditur, & mox Galli novis rationibus artes mutant, & huic se opponunt consilio, novo sancito fœdere Avenione cum Venetis & Allobrogum Duce, sub specie conservandæ libertatis Italiæ, tametsi hæc magis in eo posita esset, ut transitu illo Hæretici Transalpini prohiberentur, quam ne Hispani nimis illic potentes evaderent. Cumque Vallis Telina non nisi simulacrum esset unioni illi callide obtentum, usi sunt id temporis fœderati armis suis ad distrahenda aliorum consilia, & vim omnem atque conatum, ad opprimendã Rempublicam Genuensem converterunt. Ita rationes prætextæ variantur, prout aliæ atque aliæ commodorum sese dant occasiones.

§. In ipsis denique effectibus falsam obtentuum illorum speciem tempus prodit, quia aut non præstatur, quod promissum fuerat, aut eo non agitur loco, quo putabatur. Cogitat Respublica Veneta Gradiscum occupare, & caussam prætendit Uscochorum, qui in Croatia sunt, incursiones: maris libertatem tueri se velle simulat, & terra bellum suscipit.

Sæpenumero majoris gloriæ divinæ procurandæ titulo sumuntur arma, & eidem officiunt potius: interdum specie Religionis, & eandem graviter lædunt: interdum pro tranquillitate publica, & eam perturbant: interdum pro subditorum libertate, & eos opprimunt: interdum

pro eorundem tutela & defensione, in eosque tyrannidem exercent: interdum pro statu proprio conservando, & alienum occupare satagunt. O Homines, ô Populi, ô Respublicæ, ô Regna! quorum tranquillitas & felicitas ex ambitione, & repentino paucorum impetu dependet!

5. Quando fines actionum honesti quidem sunt, incertum tamen, an eos æque in meliorem partem interpretaturi sint alii; aut quando periculum est, ne si innotescant, obtineri nequeant, licebit eos ea ratione disponere, ut actiones nostræ diversam quasi speciem mundi oculis exhibeant, & putentur ex aliis honestis caussis proficisci. Qua in re nulla fraus ab eo committitur, qui sic agit: recte enim id facit ac licite, sed malitiæ solum simulacrum aliquod ante oculos objicit, quo sese ipsa decipiat, ut ne justis consiliis Principis obsistat. Neque vero ulla cogit necessitas, ut scopum, quo intendit, aperiat aliis, immo attingere metam certam non posset, nisi eodem tempore in alias collineare videretur.

5. Nec minus in Rebuspublicis periculosa est species ficta cujusdam zeli, quo simulant nonnulli, se bonum publicum præ oculis habere, & non nisi privatum ac proprium spectant. Prætexunt gubernationis emendationē, ut omnem illius auctoritatem labefactent. Proponunt media, & consilia suggerunt post casum, ut errores commissos, sed postquam medicinam amplius non admittunt, in lucem proferant. Libertatem præferunt, ut populi plausum contra Magistratum sibi concilient, & perturbatam Rempublicam suæ deinde servituti a subjiciant. b *Ceterum libertas, & speciosa nomina prætexuntur, nec quisquam alienum servitium & dominationem sibi concupivit, ut non eadem ista vocabula usurparet.* Quæ argumenta non dedit Tiberius restituendæ libertatis Romanæ, cum eandem cogitaret c opprimere? Eodem artificio usus est Princeps Auriacus, ut Provincias Belgicas ad rebellionem concitaret: iisdem ejus utuntur posteri, ut Provinciis Vnitis dominentur. Tempus maximo cum suo damno eas edocebit, quantum inter legitimum Dominum & Tyrannum intersit, & tunc optabunt d *non se contumaciam cum pernicie, quam obsequium cum securitate maluisse*, id quod olim Trevirensibus suasit Cerialis. Convolat cœco quodam impetu populus ad illicem libertatis fistulam, nec suam agnoscit levitatem, donec amissa penitus libertate servitutis laqueis irretitum se viderit. Moveri se sinit fictis Crocodilorum istorum lacrymis, & minus caute suas illis fortunas & vitam committit. Quanta per orbem esset

a *Vt Imperium evertant, libertatem præferunt: si impetraverint, ipsam aggredientur.* Tacit. lib. 16. Annal.

b Idem lib. 4. Hist.

c *Pretiosa verbis, re inania, aut subdola, quantoque majore libertatis imagine tegebantur, tanto eruptura ad infensius servitium.* Tac. lib. 1. Annal.

d Idem l. 4. Hist.

ſet quies, ſi noſſent ſubditi, ſive penes populum, ſive penes multos, ſive penes unum, ſummum fuerit imperium, nullam unquam fore gubernationem abſque incommodis, & abſque aliqua tyrannidis ſpecie! nam etſi ſpeculatio forte perfectam aliquã Rempublicam excogitaret, cum ea hominum eſſe debeat, non Angelorum, laudari poterit facilius, quam *a* evenire. Atque adeo non conſiſtit libertas in hac vel illa gubernationis forma inquirenda, ſed in illius potius conſervatione, quam longus uſus conſtituit, & experientia approbavit, in qua juſtitia vigeat, & conſervetur quies publica, poſito quod uni alicui dominationis generi parendum ſit: nunquam enim libertas plus patitur detrimenti, quam in ejuſmodi mutationibus. Cogitamus interdum gubernationem efficere meliorem, & in aliam pejorem incidimus; uti iis accidit, qui Tiberio & Cajo fuerunt *b* ſuperſtites: & licet forte etiam redderetur melior, longe tamen graviora ſunt damna, quæ tranſitum illum ab uno dominatu ad alium comitari ſolent, adeoque ſatius eſt præſentem tolerare, etſi iniquus *c* ſit, & in Deo confidere, qui ſi Princeps ſit malus, alium largietur *d* meliorem. Ad divinam illius Providentiam pertinet dare Regna, & divina ejus decreta improbaret quiſquis obedire nollet Principibus, quos ſuo loco poſuit. Impius Rex erat Nabuchodonoſor, & Deus tamen graves pœnas comminabatur, ſi quis ei parere *e* recuſaret. f *Quomodo ſterilitatem, aut nimios imbres, & cætera naturæ mala; ita luxum, avaritiam*, aut alios *dominantium* defectus *tolerare* debemus. *Vitia erunt, donec homines.* Quis Principum ab illis omnino immunis erit? g *Sed neque hæc continua; & meliore interventu penſantur.*

a *Dilecta ex his, & conſtituta Reip. forma, laudari facilius, quam evenire; vel ſi evenit, haud diuturna eſſe poteſt.* Tac. l. 4. Annal.

b *An Neronem extremum Dominorum putatis? idem crediderant, qui Tiberio, qui Cajo ſuperſtites fuerant: cum interim inteſtabilior, & ſævior exortus eſt.* Tac. l. 4. Hiſt.

c *Ferenda Regum ingenia, neque uſui crebras mutationes.* Tacit. l. 12. Annal.

d *Ulteriora mirari, præſentia ſequi, bonos Imperatores voto expetere, qualeſcunque tolerare.* Tacit. lib. 4. Hiſt.

e *Quicunque non curvaverit collum ſuum ſub jugo Regis Babylonis, in gladio, & in fame, & in peſte viſitabo ſuper gentem illam, ait Dominus.* Ier. 27. 8.

f Tacit. l. 4. Annal.

g Ibid.

SYMBOLVM LXXIX.

NVlla avium in formanda voce articulata magis hominem imitatur, ac Pſittacus.

h *Si me non videas, eſſe negabis avem.*

Tanta ejus eſt ſolertia, ut fuerint inter Philoſophos, qui dubitarent, num rationis eſſet particeps. Cardanus de eo ſic ſcribit: i *Inter aves ingenio ſagacitateque præſtat, quod grandi ſit capite, atque in India cælo ſinceero naſcatur, unde didicit non ſolum loqui, ſed etiam meditari ob ſtudium gloriæ.* Avis eſt

h Martialis.

i Cardan.



ſt admodum ſincera & can-
ida, quod magnorum inge-
iorum eſt proprium. Atta-
ien candor illius decipi ſe
on ſinit, quin potius tempo-
dolos novit antevertere,
deo ut ſerpentis, animalis
tiam aſtutiſſimi & maxime
rudentis, illudat artes: nam
t ab inſidiis illius nidum
ium tueatur, mirabili ſagaci-
tate eum ex altiſſimis & te-
nuiſſimis arborum ramis ſu-
ſpendit, quemadmodum præ-
ſens Symbolum exhibet, uti
ſi forte per illos ſerpens tenta-
rit adrepere, ad enecandos
pullos, ſuomet pondere deor-
ſum decidat. Ita decet artem
arte, conſilium conſilio il-
ludere. Qua in re eximius
Principum Magiſter fuit Rex
Fer-

Ferdinandus Catholicus uti in omnibus consiliis suis satis ostendit, tum præsertim, cum Germanam de Fox Ludovici Duodecimi Franciæ Regis Neptem in uxorem duxit, ad dissolvendam unionem & fœdera, quæ illo inscito, & in ejus præjudicium fecerant inter se Hagenoæ Imperator, & Rex Philippus Primus suus Gener. Nec minori cum sagacitate usus fuit occasione illa, quam ei offerebat desiderium ejusdem Regis Franciæ, cupientis cum eo inire fœdus, ut tanto esset expeditior ad invadendum Regnum Neapolitanum, sic rem omnē instituendo, ut Status Rossilionensem & Cerdaniæ suæ iterum potestati subjiceret: cumque videret Franciæ Regem eo jam fine ingressum in Italiam, & quam periculosus futurus esset vicinus Regno Siciliæ, in quod suos conjecerat oculos, illum inhibuit, ne progrederetur ulterius, & rupto fœdere bellum ei indixit, ejusque consilia dissipavit, inita cum Republica Veneta, aliisque Principibus societate. Atque arma isthæc magis necessaria sunt belli tempore, quam pacis: in illo enim plus ingenium potest, quam ipsa vis: & sane laude dignus est iste belli dux qui spreta inani gloria hostem armis debellandi, astu victoriam ei suffuratur, & consilio triumphat, aut stratagematis, qua in re nihil omnino adversus jus Gentium committitur: nam a *cum juste bellum suscipitur, ut aperte pugnet quis, aut ex insidiis, nihil ad justitiam interest.*

———— b *dolus, an virtus quis in hoste requirat?*

Et quidni fallere eum possis, quem occidere etiam liceat? Magnanimi pectoris est, salutem publicam triumpho anteferre, & securiorem reddere victoriam, neque eam tam manifesto armorum exponere periculo, cum nulla humano quidem judicio adeo certa videri possit, quin variis casibus sit obnoxia.

5. In conjecturis ad eludenda consilia, artesque hostium, non spectandum est semper, quid vir admodum prudens in ejusmodi negotio ageret (tametsi illud etiam antevertere consultum fuerit) sed formandum judicium pro conditione & capacitate personæ, quacum agitur: neque enim convenientissimo semper & prudentissimo modo omnes operantur. Ferdinandum Albanum Ducem, cum defuncto Sebastiano Lusitaniæ Rege Regnum illud cum exercitu ingrederetur, nonnulli accusabant, quod facinus periculi plenum, immo contra militiæ leges suscepisset, quæ in Heroë tam insigni, tamque artium militariū perito omnibus erat admirationi; ipse vero respondit, se quidem periculum illud minime ignorasse, in eo tamen confisum se fuisse, quod negotium sibi futurum esset cum Natione, quæ diuturno pacis usu belli oblita videretur. Ne quidem quando cum viris à prudentia laudatis agitur, certum est semper judicium & conjectura, quam de actionibus eorundem ex præ-

a D. Aug.

b Virgil.

præscripto etiam rationis & prudentiæ concipimus: interdum enim passione, aut affectu se sinunt abripi; & prudentissimi quique maximos subinde submittunt errores, quia ex vana quadam de se præsumptione curam sufficientem non adhibent, aut nimium suæ confidunt sapientiæ, qua facile in viam redire se posse arbitrantur, etsi paulo longius, quam oportuit, alicubi processerint. Nonnunquam etiam eosdem fallunt ea, quæ ipsi præsupponunt, tempus, & eventus alii; quare tutissimum erit, suum semper suspendere judicium in iis, quæ ab alieno dependent arbitrio, nec illud moderari velle prudentia sua propria: quilibet enim peculiares suas habet rationes, ignotas aliis, & naturæ suæ congruas, quibus ad agendum impellitur. Quod uni alicui videtur impossibile, alius factu facillimum judicat. Nec desunt ingenia, quæ periculosissima quæque tentare audeant. Sunt quæ rationem ament; sunt etiam quæ eandem omnino defugiant.

§. Artes occultissimæ hostium, aut eorum, qui sub amicitiæ specie commodis suis privatis consulere satagunt, eæ potissimum sunt, quibus tam callide negotia proponere norunt Principi, ut non nisi in ejus emolumentum redundare videantur, quæ eidem exitio sunt potius. Qua in re facile ejus decipitur probitas, præsertim si aut experientia careat, aut ignoret, quo alii colliment. Quare magna prudentia attentioneque opus est, ut prava consilia in consulentium damnum convertat.

§. Tametsi vero hostium consilia ratiocinando penetrari soleant, expedit tamen ea etiam investigare per exploratores, præcipua regnandi instrumenta sine quibus Corona nec satis secura esse potest, nec incrementum sumere, nec bellum rite administrari. id quod in Vitellio culpatum fuit, ut pote a *ignaro militiæ, improvido consilii, quis ordo agminis, quæ cura explorandi, quantus urgendo trahendove bello modus*. Et sane quantum noceat ista ignorare, testis esse potest Germania; multæ insignes rerum bene gerendarum perditæ fuere occasiones, miles sæpe in stativis suis inopinato oppressus, hoc solo nomine, quod consilia & itinera hostium satis explorata non haberet. Iosue *b* exploratorum utebatur opera, tametsi Deus ipse armorum illius curam gereret. Moyses non nisi Angelo columnam igneam præferente, quæ stativa designaret, castra *c* movebat, & adhuc jussu Dei duodecim misit Exploratores, ut terram promissam *d* coram inspicerent. Legati Exploratores publici

a Tacit. lib. 3. Hist.

b *Misit Iosue duos viros exploratores in abscondito.* Iof. 2. 1.

c *Tollensque se Angelus Dei, qui præcedebat castra Israel, abiit post eos: & cum eo pariter columna nubis.* Exod. 14. 19.

d *Mitte viros, qui considerent terram Chanaan, quam daturus sum filiis Israel, singulos de singulis tribubus, ex Principibus.* Num. 13. 3.

ci sunt, & salvo jure divino aut Gentium, muneribus ac largitionibus tentare possunt Ministrorum fidem, etsi jurata ea sit, ut expiscentur, quid adversus suum Principem inique machinentur alii: hi enim ad secretum minime tenentur; pro illis vero militat ratio defensionis propriæ naturalis.

SYMBOLVM LXXX.

SCalptores primum domi suæ marmoreos aptant lapides & expoliunt, quibus ædificium exornare cogitant: nam postea majoris id esset laboris, & opus imperfectum fieret. Hac ratione, opinor, formati fuere lapides pro templi Salomonici fabrica, ut absque strepitu, & instrumentorum sonitu illa potuerit erigi. Sic Sapientiores Principes consilia sua & decreta maturitare quadam expolire debent, & ad perfectionem adducere: ea enim in arena solum capere, Gladiatoris est potius, quam Principis. Taurus (figura præsentis Emblematis) antequam cum hoste in certamen descendat, secum ipse deliberat, solus se exercet, & cornibus suis arborem impetendo, pugnare ferireque discit. a *Timet, atque eum deficere omnia videntur, qui in ipso negotio consilium capere cogitur.* Verum quia casus non nostro semper modo eveniunt, nec in nostra interdum situm est potestate, eos suspendere aut maturare, prudentiæ erit considerare, num de dilatione deliberandum sit potius, an de festinatione. Etenim negotia quædam sunt, quæ celeritatem in statuendo postulant, alia tempus, & maturam deliberationem, & si in alterutro peccetur, damno ac fraudi id erit Reipublicæ. Consideratio, quæ plus nocumenti adfert, quam temeritas, nequaquam proficua est. In casibus subitis arripi debent consilia, non capi. Quicquid temporis deliberando consumitur, aut periculum lucrabitur, aut perdet occasio. Fortuna celerrime movetur, & homines plerique omnes non nisi lente & tarde: ideo pauci eam assequuntur. Maximam partem de eo, quod jam præteriit, in deliberationem suscipimus, & eventus ipsos consilium sequitur. b *Res nostra feruntur, immo volvuntur: ergo consilium sub die nasci debet; & hoc quoque tardum est nimis, sub manu, quod ajunt, nascatur.* Quando tempus negotiis favet, tarditate adjuvatur; at si iis contrarium fuerit, celeritate vincitur, & tum prosunt maxime Consiliarii vivaces & ignei. Negotia alia, in quibus tempori locus est, cum maturitate quadam debent peragi: nihil enim magis prudentiæ adversatur, atque celeritas & ira. Male cuncta ministrat impetus, & rerum gerendarum examen ac considerationem confundit. Eam ob rem semper fere consilia fervida & temeraria prima fronte grata sunt; in executione dura; in eventibus tristia, & qui ea suggerunt, tametsi primum audentiores se præbeant, postea tamen, ubi

a Iul. Cæs.

b Seneca.



ubi volunt exequi, ſuis ſe conſiliis implicant : a *feſtinatio enim improvida eſt & cæca.* b *Scelera impetu, conſilia mora valeſcere ſolent.* Et licet vulgus effectus ante videre cupiat, quam cauſſas, adeoque conſilia tarda ſemper incuſet, Principem tamen adverſus ejuſmodi obtrectationes armatum eſſe oportet, nam poſtea ſucceſſus felicior eas in c laudes etiam convertet.

Verun-

a Livius.

b Tacit. lib. 1. Hiſt.

c *Feſtinare quodvis negotium gignit errores, unde maxima detrimenta exoriri ſolent ; at in cunctando bona inſunt, quæ ſi non ſtatim talia videantur, in tempore bona quis eſſe reperiat.* Herod.

Veruntamen cunctatio tanta esse non debet, ut executionis elabatur occasio, quomodo Valenti Imperatori accidit, qui *inutili cunctatione agendi tempora consultando consumpsit.* In eo peccant Consiliarii minus prudentes, qui negotiorum gravitate perturbati, nec pericula satis agnoscunt, nec certi aliquid possunt statuere, unde omnia metuunt, immo hac ipsa sua ancipiti dubitatione prudentes videri cupiunt. Consilia differunt, donec tempus ipsum ea suppeditet, & ubi decernere incipiunt, jam occasio abiit: Atque ideo maturanda sunt consilia, non approperanda. Quod maturum est, nec à nimia temporis mora, nec à celeritate reprehendi potest. Optime illud expressit Augustus symbolo, quo utebatur Delphini in anchora contorti cum hac inscriptione, a *Festina lente*, cui non repugnat illud Alexandri Magni; *Nihil cunctando*: illud enim de pacis, hoc de belli negotiis debet intelligi, in quo plurimum potest celeritas, qua res maxime peraguntur. *Sane Cerialis parum temporis ad exequenda imperia dabat: subitus consiliis, sed eventu clarus.* Verum tametsi in bello magna præstare soleat impetus, cavendum tamen, nec cœcus ille sit & inconsultus, is enim initio plerunque validus, spatio b languescit. Quando res ipsa moram patitur, & deliberationi locus est, plus hæc prodest, quam c temeritas. Quamvis tam in uno, quam in altero prudentia tempus metiri debeat, ne aut illius defectu consilia nascantur cœca, canum instar, aut cum difficultatum & incommodorum spinis, velut erinacei, quia nimis tarda sunt.

§. Cum igitur à manu Principis decreta prodierint, perfecta sint oportet, ut nulla in executione confusio oriatur, aut dubitatio. Etenim ministri quantumvis prudentes, nunquam rite exequi poterunt mandata, quæ rudia adhuc, & male efformata ad eosdem perveniunt. Imperantis est formam præscribere, inferioris eandem dare executioni; & si in utroque istorum distincta non serventur officia, opus manebit imperfectum. Princeps igitur artificis loco sit, & Minister executoris fungatur opera. Princeps, qui omnia Ministrorum permittit arbitrio & dispositioni, aut ignorans est, aut officio Principis sese cupit exuere. Male constitutum Imperium est, ubi penes multos est arbitrium. Immo Imperium non est, quod ab uno solo non regitur. Omnis peribit auctoritas & gubernationis ordo, si penes Ministros arbitrium sit. Tunc solum suspendere possunt & debent mandatorum executionem, cum de eorundem injustitia evidenter constiterit: prius enim Deo nati sunt, quam Principi. Quando item mandata Principis ipsius patrimonio, aut existimationi noxia sunt, aut in detrimentum vergunt

 bonæ,

a Tacit. lib. 5. Hist.

b *Omnia inconsulti impetus cœpta initiis valida, spatio languescunt.* Tacit. lib. 3. Hist.

c *Duces providendo, consultando, cunctatione sæpius, quam temeritate prodesse.* Idem ibid.

bonæ gubernationis, & notitiis facti particularibus dependent, aut cum ob distantiam, aut alia accidentia status rerum sic videtur immutatus, ut recte colligere liceat, Principem si hæc ante intellexisset, minime illa daturum fuisse mandata, neque ullum aliud grave in dilatione sese offert periculum, in eo casu differri poterunt, & contra licebit excipere, modeste tamen, & salva reverentia auctoritati illius & arbitrio debita, ea saltem spe, fore ut instructus de re melius ea jubeat, quæ magis expediunt. Id quod fecit Magnus Dux, cum contra mandatum Ferdinandi Regis Catholici Neapoli cum exercitu substitit, expendens nimirum cum animo suo, Italiæ Principes exspectare sollicite; quis demum exitus futurus esset mutui illius congressus & alloquii utriusque Regis, Ferdinandi & Philippi Primi sui Generi, & res Neapolitanas periclitaturas graviter, si eas id temporis destitueret. Si tamen Minister certum & exploratum habuerit, Principem tam consiliorum suorum amantem esse, ut errare potius malit, quam instrui, tacere poterit & dissimulare: mera enim foret imprudentia periculo sese exponere, ubi nullum sperare licet remedium. Corbulo a *jam castra in hostili loco molitbatur*, acceptis tamen à Claudio Imperatore literis, quibus se recipere jubebatur, *re subita, quanquam multa simul offenderentur, metus ex Imperatore, contemtio ex barbaris, ludibrium apud socios; nihil aliud prolocutus, quam beatos quosdam Duces Romanos, signum receptui dedit.*

Porro iis mandatis, quæ ad materiam Status, ut loquuntur, pertinent, accuratissime & ad amussim Minister obtemperet, necesse est (nisi tamen forte circumstantiæ jam commemoratæ occurrerint, aut alias insigne aliquod & evidens ab executione immineat periculum) nec moveri se sinat argumentis & rationibus propriis: sæpe enim Principum consilia tam altis nituntur radicibus, ut Minister intelligentias eas assequi haud valeat, aut certe ipsi nolunt: ut eas rimetur aut penetret; atque adeo in dubio pro parte jussorum semper standum erit; & præsumendum de prudentia Principis, ita omnino expedire. Ob hanc caussam Dolabella jussus à Tiberio Nonam ex Africa Legionem adducere, illico paruit b *jussa Principis magis, quam incerta belli metuens*, tametsi aliàs rationes minime deessent, cur contra excipiendum videretur. Si cuilibet integrum esset ea, quæ præcipiuntur, examinare & discutere, miscerentur omnia, & plurimæ è manibus elaberentur occasiones. Regnum (ut alibi diximus) instrumentum est musicum, cujus fides ad debitam harmoniam & concentum Princeps attemperat, qui digitis suis omnes percurrit, non Minister, qui unam solam impellit, cumque alias ipse non audiat, scire nequit utrum adducta nimis ea sit, an remissa, & facillime falleretur, si eam suo genio aptare vellet. Comes Fontanus

a Tac. lib. 11. Annal.

b Tacit. lib. 4. Annal.

tanus ea licentia, quam ei sua ætas, zelus, obsequia, & experientiæ tot ac tantis trophæis ac victoriis coronatæ indulgebant, aliquoties (cum statum Mediolanensem adhuc regeret) mandatis Regis Philippi Tertii parere distulit, eo quod sibi persuaderet, ea non satis expedire, magisque ex amore commodi privati, aut ignorantia Ministrorum profecta fuisse, quam ex mente Principis. Quod exemplum secuti sunt postea alii, non absque insigni detrimento tranquillitatis publicæ, & auctoritatis Regiæ. Gravissima inde orirentur incommoda, si Ministris semper liceret vocare in dubiũ, sitne voluptas Principis, nec ne, id quod præcipitur; cui rei inprimis occasionem dare solet, si constet, non ipsius esse manum, quæ aptat & expolit lapides pro gubernationis ædificio. Verum etsi aliena ea sit, semper tamen jussis suus habendus est honos, & obtemperandum, haud secus ac si ab arbitrio & voluntate ipsius Principis profecta essent: alias enim perturbarentur & confunderentur omnia. Obedientia zelosa ac prudens solam manum ac sigillum Principis sui suspicit.

§. Quod si Principes abfuerint longius, & periculum sit, ne mandata tardius, & post ipsos rerum successus perferantur, aut ne casuum varietas (in negotiis belli præsertim) tempus ad deliberandum deneget; aliunde vero certo constet, abituras interim occasiones, prudentiæ erit, sic præcipere, ut liberum tamen sit agendi arbitrium, prout tempus & occasio postulaverint. Ne contingat forte, quod Vespasiano in bello civili contra Vitellium accidit, quando a *ex distantibus terrarum spatiis consilia post res afferebantur.* Ad quod incommodum evitandum, cum Tiberius Drusum ad gubernandas Legiones Germanicas mitteret, socios eidem adjunxit Consiliarios prudentes, rerumque peritos; quibuscum ipse pro re nata & arbitrio suo consilium b capere. Pari ratione Helvidio Prisco cum in Armeniam ablegaretur, in mandatis datum, b *rebus turbidis pro tempore, ut consuleret.* Habuit hoc in more Senatus Romanus, ut ista omnia prudentia & arbitrio Ducum permitteret, & hoc solum iis potissimum commendaret, viderent etiam atque etiam ne quid Respublica detrimenti pateretur. Romanos tamen nequaquam imitatæ sunt Respublicæ Veneta & Florentina, quæ quod libertatẽ suam ab unius solius nollent dependere arbitrio, territæ præsertim exemplo Augusti, qui c *arma, quæ in Antoniũ acceperat, in Rempublicã vertit,* frænum Ducibus suis imposuere.

Hanc auctoritatem liberam certis solent astringere limitibus ii Ministri, qui circa Reges sunt, ut omnia ipsorum nutu & directione peragi necesse sit. Vnde porro fit, ut tẽporis plurimum in diliberando consumatur, & consulta tam tarde proferantur, ut aut

 exe-

a Tac. l. 3. Hist.

b *Nullis satis certis mandatis ex re consulturum.* Tacit. lib. 1. Annal.

c Idem. l. 12. Annal.

executioni mandari nequeant, aut certe suos non consequantur effectus, adeoque sumptus pariter & antevertendi labor penitus perdantur. Accidit etiam nonnunquam, ut dum inter ipsos casus, eorumque notitias & consultationes tantum intercedit temporis, novæ superveniant de rerum statu relationes, cum circumstantiis novis, ut quæ prius statuta fuerant, rursum immutare oporteat, atque ita dies annique labuntur, absque ullo aut consultationis aut operationis effectu.

SYMBOLVM LXXXI.

Omnes potentiæ vires habent certis circumscriptas limitibus, ambitio, commune Naturæ humanæ vitium, infinitas. Ea siquidem quanto pluribus potitur, tanto plura habere desiderat, quin immo nihil aliud est, quam appetitus quidam igneus, quem cor exhalat, & ab ea ipsa materia, cui se applicat, robur & incrementum sumit. Vitium illud in Principibus majus est, quam in aliis: habendi enim cupiditatem imperandi gloria comitatur, quæ ambæ nec rationi cedunt, nec periculo, nec viribus suis metiri se norunt. Quam ob rem probe expendere Principem oportet, quid ferire gladio suo possit, quid scuto suo protegere, illiusque semper meminerit, Coronam suam non nisi finitum & certis arctatum limitibus esse circulum. Rex Ferdinandus Catholicus in omnibus, quę suscipiebat negotiis caussam, dispositionem, tempus, media, & fines ponderabat. Invincibilis videbitur, qui illud solum fuerit aggressus, quod ad effectum perducere poterit. Qui rem factu impossibilem aut nimis difficilem attentat, is potentiæ suæ limitatæ relinquit vestigia. Consilia frustrata imbecillitatis illius publica quasi instrumenta sunt. Nulla tam potens est Monarchia, quam non magis opinio sustentet, quam veritas; autoritas potius, quam vires. Appetitus gloriæ & dominandi cupiditas præcipites nos agunt, quippe quibus nihil videtur arduum; postea demum incommoda incurrimus, quæ ante animadversa non fuerant. Omnia fere bella evitari possent, si mox ab initio fines eorundem & media expenderentur; atque adeo prius quam suscipiantur, oportet ut Princeps vires suas exploratas habeat, cum offensivas, tum defensivas, militiæ suæ constitutionem, Duces, quos illi possit præficere, ærariorum suorum facultates, quantum subsidii pecuniarii spectare queat à subditis, nũ eorundem fidelitas in fortuna adversa constans permansura sit, nec ne. Multo item studio, lectione & communicatione adnotata habeat dispositionem & situm provinciarum, mores Nationũ, hostium suorum naturas, divitias, auxilia, societates ac fœdera. Vniuscujusque gladium metiatur, & in quo vires ejus consistant, probe examinet. a Henricus

a Mar. Hist. Hisp. l. 19. c. 11.



ricus Castellæ Rex, adversa quamvis valetudine oppressus, minime tamen illud neglexit, qui in Asiam usque frequentes misit Legatos, qui de moribus viribusque Provinciarum illarum ad ipsum referrent. Idem à Moyse factum antequam in terram promissam Israëlitæ *a* pedem inferrent. Et ne Princeps, quem his formamus Symbolis, illam quoque materiam desideret, generatim quædam illius puncta hic attingam ea brevitate, quam præsens institutum postulat.

5. Natura, quæ in rerum varie-

a Considerate terram, qualis sit: & populum, qui habitator est ejus, utrum fortis sit, an infirmus: si pauci numero an plures. Num. 13. 19.

varietate suam prodere voluit elegantiam & vires, non solos hominum vultus, sed & animos varie distinxit, siquidem diversissima sunt & discrepantia inter se Nationum ingenia ac mores. In eum finem aliter atque aliter ipsas causas disposuit: nam aut omnes junctæ in quibusdam operantur Provinciis, aut in his istæ, in aliis aliæ. Geographi terræ orbem in diversa partiti sunt climata, quorum singula certi alicujus Planetæ subjacent dominio, tanquam præcipuæ diversitatis illius caussæ ac fonti: & quia Clima primum, quod per Meroën, Insulam Nili, sese extendit, Saturno subest, ajunt populos sub illo degentes esse nigros, barbaros, rudes, suspicaces, & proditores, qui humana carne victitant.

Qui sub secundo Climate, quod Iovi tribuitur, transitque per Sienen Ægypti civitatem, esse religiosos, graves, honestos & prudentes.

Qui sub tertio, quod subjicitur Marti, & per Alexandriam porrigitur, esse inquietos, & bellicosos.

Qui sub quarto, quod subest Soli, & per Insulam Rhodum, ac mediam Græciam extenditur, esse literatos, eloquentes, Poëtas, & ad omnes artes idoneos.

Qui sub quinto, quod transit Romam, Italiamque ab Allobrogibus dividit, & tribuitur Veneri, esse deliciosos, Musicæ & lautitiis deditos.

Qui sub sexto, ubi dominatur Mercurius, & transit per Franciam, esse mutabiles, inconstantes, & scientiis deditos.

Qui denique sub septimo, quod subjacet Lunæ, & sese per Germaniam, per Provincias Belgicas, per Angliam porrigit, esse phlegmaticos, amantes conviviorum, piscationis, & mercaturæ. Verum hæc sola caussa non videtur uniformis esse semper, neque sufficere: nam sub eoden parallelo aut climate, cum eadem poli elevatione, cum æquali astrorum ortu atque obtu, oppositos videmus affectus, & præsertim in climatibus Hemisphærii inferioris. In Æthiopia Sol radiis suis corpora adurit, & nigra carbonum instar tingit fuligine; at in Brasilia, quæ eandem habet latitudinem, candida ea sunt, & aër temperatus ac suavis. Antiqui zonam torridam ob æstus ejusdem nimios pro inculta habuerunt, in America tamen temperatissima ea est, & incolis frequens. Et tametsi æterna illa cæli lumina aliquam operandi vim habeant, plus tamen terræ confert dispositio, cum pro vario montium valliumque situ, majores aut differentes experiamur effectus cælestium radiorum, quos ipsi etiam fluvii & lacus contemperant. Illud inficiari nemo potest, admirandam in operibus suis esse Naturam, ut plane videatur interdum quasi data opera, ad ludendum humani ingenii curiositatem, ab ordinariis caussarum legibus ac ratione discedere. Quis caussam dederit illius, quod in Malabaris regione, a ubi Calecutium est, videmus accidere? Interfecant illam Provinciam altissimi montes in nubes usque

a Mar. Hist. Hisp. lib. 26. c. 17.

usque porrecti, desinentes in Promontorium, quod Cori dixit Antiquitas, nunc Comorinum vocatur; & licet ab utraque parte eadem sit poli altitudo, dum tamen cis montes hyems incipit, marisque fluctus intumescunt, trans montes æstatis ardoribus torrentur campi & oppida, & pelagus in malaciam componitur.

Isthæc igitur diversitas, quæ in Climatibus, situ Provinciarum, aëris contemperatione, & alimentis cernitur, varie discriminant hominum constitutiones, hæ vero ipsas deinde eorundem Naturas. Etenim animi mores corporis temperamentum ac dispositionem consequuntur. Septentrionales, quia à Sole remotiores frigida loca incolunt, sanguinei sunt, robusti item, & *a* animosi; unde factum, ut semper fere Nationibus Meridionalibus dominati fuerint; Assyrii Chaldæis, Medi Assyriis, Parthi Græcis, Turcæ Arabibus, Gothi Germanis, Romani Afris, Angli Francis, & Scoti Anglis. Amant libertatem, uti & ii, qui montes incolunt, veluti Helveti, Grisones, & Cantabri. horum enim temperamentum non absimile est constitutioni eorum qui ad Septentrionem habitant. In Nationibus Soli proximis calor immodicus sanguinem omnino exsiccat; unde locorum istorum incolæ melancholici sunt, & in secretis Naturæ penetrandis profundi, quomodo ab Ægyptiis & Arabibus scientiarum mysteria Nationes aliæ Septentrionales acceperunt. Provinciæ inter zonam utramque torridam mediæ benigno gaudent cælo, in iisque floret Religio, Iustitia, *b* & Prudentia. Verum quia unaquæque Natio in multis rebus particularibus speciatim differt ab aliis, licet sub eodem sint Climate, dicam quid de singulis longo usu & studio observaverim, ne præcipua hæc pars desit Serenitati Vestræ, quæ in omnes pæne exercet imperium.

§. Hispani Religionem & Iustitiam diligunt: patientes laborum sunt; profundi in consiliis, in executione tardi. Animis tam excelsis, ut eos nec prospera attollat fortuna, nec adversa dejiciat. Quæ in iis inest nativa gloria & animi magnitudo, superbiæ ascribitur & Nationum aliarum præ se contemptui; cum tamen ea ipsa sit, cui optime cum omnibus convenit, & *c* quæ Nationes alias æstimat, ea ipsa, inquam, quæ vel maxime rationem ducem sequitur, atque ex ejusdem præscripto facillime suos deponit affectus & passiones.

Afri astuti sunt, fallaces, superstitiosi, barbari, apud quos nulla viget disciplina militaris.

Itali cauti & prudentes. Nulla species aut imago virtutis

X 5

a *Homines, qui frigida loca, Europamque habitant, sunt illi quidem animosi.* Arist. l. 7. Polit. c. 7.

b *Græcorum autem genus, ut locorum medium tenet, sic ex utraque natura præditum, quippe animo simul & intelligentia valet.* Arist. lib. 7. Polit. cap. 7.

c *Advenientes enim externos benignè hospitio excipiunt, adeo ut æmulatione quadam invicem pro illorum honore certent. Quos advenæ sequuntur, hos laudant, amicosque Deorum putant.* Diod. Sicul. l. 6. c. 9.

tis eſt, quam præ ſe non ferant in moribus ſuis & verbis, ut fines, quos intendunt, & commoda ſua promoveant. Natio glorioſa, quæ olim imperio ſuo temporali, nunc ſpirituali univerſo orbi dominatur. Non minus potentes & idonei ad imperandum, quam ad parendum. Animis & ingeniis magni in artibus tam pacis, quam belli. Quo magis judicio pollent, eo in ſuſpicionem ſunt proniores, cum ſuomet & aliorum Nationum detrimento. Vires majores ſuſpectas habent ſemper ac metuunt, easque ſervare conantur in æquilibrio. Nullus educitur gladius, nulla vibratur haſta in Provinciis cæteris, quæ in uſtrina Italiæ primum fabricata, & probe exacuta non fuerit.

In Germania religionum varietas, bella civilia & Nationes iſtic militantes, animorum candorem & antiquam ingenuitatem corruperunt; & ſicut res delicatiores ſi corrumpantur, plus damni accipiunt, ita ubi exterorum malitia hos infecit populos, magis ſuſpicaces reddit eorum animos, magisque bonos mores pervertit. Apud quosdam fides publica omnino deficit. Tot ac tantorum malorum metus ſic efferavit animos, ut nec ament inter ſe, nec commiſeratione tangantur. Sine lacrymis comparatio inſtitui non poteſt inter id, quod fuit aliquando illuſtris illa & heroïca Natio, & id, quod nunc eſt, non minus vitiis aliarum, quam armis funditus deſtructa. Quamquam illud fateri oportet, apud complures plus Naturam, quam Exemplum, valuiſſe; multi ſiquidem etiamnum candorem retinent, & generoſam ſinceritatem Majorum ſuorum, quorum antiquos mores hoc noſtro adhuc tempore probitas illorum & nobilitas ſatis teſtantur. Verum tametſi res ita ſe in Germania habeat, illud tamen negare non poſſumus, a *plus ibi bonos mores valere, quam alibi bonas leges*. Omnes artes ibi vigent ac florent. Nobilitas conſervatur accuratiſſime, qua de re præ Nationibus omnibus hæc gloriari poteſt. Obedientia militaris & tolerantia magna eſt, animi ſtrenui ac fortes. Periit imperii auctoritas, poſtquam iſtud, ſui ipſius prodigium, amplitudinem ſuam & majeſtatem diviſit inter Principes, diſſimulavitque multarum Provinciarum uſurpationem, & libertatem nimiam liberarum Civitatum, quæ turbarum omnium in Imperio cauſſa fuit, propter mutuam partium corporis tam potentis diſſociationem.

Franci humani ſunt, affabiles, & bellicoſi. Eadem celeritate, qua primi eorum ſuccenduntur impetus, intepeſcunt iterum. Nec intra Regni ſui terminos continere ſe poſſunt, nec ſatis ſe tueri in ſolo alieno: impatientes ac leves; viſu amabiles, intolerabiles moribus: quippe quorum vivacitas & in agendo libertas cum aliarum Nationum gravitate minime convenit. Florent inter eos artes omnes ac ſcientiæ.

Angli graves ſunt ac ſeveri, ſibi-

a Tacitus de more Germanorum.

sibimeripsis placentes, gloriose mortis adeunt pericula, ersi interdum impetu aliquo feroci & temerario ferantur potius, quam electione. Qua terra, qua mari fortes ac validi milites, si longo usu armis assueverint.

Hiberni laborum sunt tolerantes. Artes aspernantur; Nobilitatem suam superbe jactitant.

Scoti constantes & Regibus suis fideles, cum in hanc usque ætatem per secula viginti Coronam in una familia conservaverint. Irarum & vindictæ Tribunal aliud nullum, quam gladium agnoscunt.

Belgæ industrii sunt, animis candidis & sinceris, idonei ad artes tam pacis, quam belli, in quibus magnos semper viros terra illa protulit. Amant Religionem & libertatem. Nec sciunt fallere, nec falli se sinunt. Naturæ eorum blandæ metalla sunt liquata, quæ consolidata deinde suspicionum suarum impressiones semper retinent, quo pacto ingenium & ars Mauritii Comitis impellere eos potuit in odium contra Hispanos, & sub specie libertatis induxit in illud serviturisjugum, sub quo etiamnum hodie vivunt Provinciæ unitæ.

Reliquæ Nationes Septentrionales efferatæ sunt & indomitæ. Vincere norunt, & parta tueri.

Poloni bellicosi, magis tamen ad conservandum, quam ad acquirendum idonei.

Hungari altos gerunt animos, & privilegia sua tenent mordicus. Multos item mores retinent earum Nationum, quæ aut contra ipsos, aut pro ipsis arma susceperunt.

Dalmatæ sunt feroces.

Græci vani, superstitiosi, nullius fidei, obliti nunc, qui & quales antea fuerint.

Asiatici mancipia sunt eorum, quorum subsunt imperio, vitiorum item & superstitionum. Plus evexit & etiamnum sustentat grande illud imperium nostra ignavia, quam gentis illius fortitudo, plus pœna nostra, quam ejusdem merita.

Moscovitæ & Tartari ad serviendum nati, celerrime ruunt in pugnam, & mox in turpem fugam se conjiciunt.

§. Atque hæ observationes generales non omnia semper comprehendunt individua: nam etiam in Natione maxime infideli & ingrata reperiuntur Homines aliqui grati ac fideles, siquidem dominatuum immutatio, transmigratio ab una Natione ad aliam, conversatio, matrimonia, bellum & pax; atque adeo hi ipsi motus cœlestium sphærarum, quæ à polis, à zodiaco primi Mobilis imagines cœlestes in hæc inferiora derivant, immutant habitudines ac mores, immo ipsam etiam Naturam. Nam si historias consulere libuerit, reperiemus notatos olim fuisse Germanos, quod nimis alto essent animo; Italos contra, quod nimis abjecto & humili: quæ differentia hodie non cernitur. Nationes per vices dominatum exercuere, & dum in iis Monarchia perduravit, floruerunt virtutes, artes atque arma, quæ postea cineribus suis obruit ruina imperii, & simul cū eo-

dem alibi denuo illa renata sunt; verum his obstantibus, in Nationibus omnibus semper remanent propensiones aliquæ & affectiones cuique propriæ, quæ exteris etiam (si diu una commorentur) sensim adhærescunt.

5. Cognitis igitur Nationum moribus, longe poterit Princeps pertractare melius negotia seu pacis, seu belli, & sciet gubernare Provincias exteras, quarum quælibet ad certum gubernationis modum, tanquam naturæ suæ conformem magis propendet. a *Natura enim quoddam hominum genus proclive est, ut imperio herili gubernetur, aliud, ut regio, aliud, ut civili, & horum imperium cujusque aliud est jus, & alia commoditas.* Non omnibus uniformis est ratio Status, sicut nec est medicina, qua curantur. Qua in re sæpe falli solent Consiliarii inexperti, qui existimant regi alios posse secundum regulas & Principia eorum Statuũ, quibus illi consiliis suis assistunt. Frænum facile Hispanis, non item facile est Italis & Belgis: & sicut varii sunt modi, quibus curantur, tractantur, & condocefiunt equi Hispani, Neapolitani & Hungari, etsi unius sint speciei; ita etiam diversimode gubernari debent Nationes secundum naturas suas, mores ac habitudines.

Ex ista diversa gentium conditione inferre licebit, quanta attentione in mittendis Legatis curandum sit Principi, ut ii non solum omnibus donis instructi sint, ad repræsentandam ejus personam, & potestatem exercendam, sed etiam, ut eorundem naturæ, ingenium, ac mores consentiant cum naturis, ingenio, ac moribus illius Nationis, quacum agere debent: nam si hæc desit conformitas, magis idonei erunt ad suscitandum bellum, quam ad pacem firmandam, magis ad conflandum odium, quam ad voluntatum studia concilianda. Eam ob rem Deum ipsum suspensum quasi habuit & dubium electio Ministri alicujus idonei, quem ad populum suum mitteret, atque ideo secum ipse deliberationem instituit: b *quem mittam, & quis ibit nobis?* Aula quælibet Ministro aliquo naturæ suæ conformi opus habet. In Romana quidem illa probant ingenia attenta, quæ dissimulandi artem probe noverint, ita ut nec in sermone, nec in vultu ulla se prodat passio; qui sinceri videantur, & astuti sint ac prudentes; qui obligare sciant alios, se vero obstringant nemini; humani in tractandis negotiis, faciles in componendis, secreti in iis, quæ moliuntur, constantes in semel statutis, amici omnium, nemini familiares.

Aula Cæsarea viro indiget, qui absque superbia auctoritatem servet: qui loquatur cũ sinceritate, cum modestia proponat, satisfaciat cum veritate, & cum longanimitate exspectet: qui eventus non prævertat, sed utatur iisdem tum potius, cum evenerint: qui denique in promittendo sit cautus, in adimplendo accuratus.

In aula Francica probabunt ingenia festiva ac læta, quæ

a Arist. l. 3. Pol. c. 12.

b Isa. 6. 8.

quæ seria jocis miscere noverint, quæ promissa nec spernant, nec valde æstiment, quæ pro mutatione temporis, præsentis tamen potius quam futuri, aliter atque aliter suas actiones moderentur.

In Anglia laudantur ingenia gravia & severa, quæ negotia lente tractent & expediant.

Venetiis in pretio sunt viri facundi & eloquentes, prompti in inveniendis mediis, ingeniosi in ratiocinando & proponendo, & astuti in penetrandis aliorum consiliis.

Genuæ boni Oeconomi, & partium studiosi, compositionis amici magis, quam dissidii. Qui sine fastu suam servent auctoritatem. Qui tolerent, & tempori atque occasioni serviant.

Helveti eos amant, qui norint suo tempore gravitatem deponere publicam, & ad privatam redire vitam, muneribus ac spe conciliare animos, tolerare & sperare: agere enim debent cum Nationibus cautis & suspiciosis, discrepantibus inter se in Religione, in factionibus, & gubernandi institutis: quæ in statuendo decernendoque consentiunt, & consilia eligunt media, quæ suo quæque modo deinde exequitur.

Verum tametsi conditiones istæ valde idoneæ sint pro qualibet ex commemoratis jam aulis, in omnibus tamen utiles erunt benevolentia, humanitas, & splendor aliquis, si ea bona corporis dispositio & habitudo comitetur, aliquis item ornatus literarum, notitia linguarum, præsertim Latinæ: ista enim conciliant animos, applausum & existimationem apud exteros, & Nationi propriæ auctoritatem pariunt.

§. Porro perinde ac diversi sunt nationum mores, ita etiam vires. Ecclesiæ vires in cultu, & obedientia Christi fidelium consistunt. Imperii robur, in æstimatione dignitatis; Hispaniæ, in peditatu militari; Franciæ, in Nobilitate; Angliæ, in mari; Turcarum, in multitudine & frequentia; Poloniæ, in equitatu; Venetorum in prudentia; & Allobrogum, in arbitrio.

§. Omnes fere Nationes differunt inter se in armis qua offensivis, qua defensivis, cujusque genio ac patriæ dispositioni accommodatis. Qua in re considerandum inprimis, quæ magis communia sint & generalia, & num Provinciæ alicui propria, aliis disparia sunt, nec ne, ut quæ ualidiora sunt, adhibeantur: excellentia enim in una armorum specie, aut novitas repente inventorum adimit sæpe, aut largitur Imperia. Suum Parthi dilatarunt, quando sagittis usi sunt Franci, & Septentrionales ferratis lanceis, equitatus velocitate impulsis, fortunæ suæ viam aperuere. Dexteritas gladii exercitata in ludis gladiatoriis (in qua plurimum valet judicium) Romanos effecit orbis dominos. Similiter Hispani excogitatis variis armorum ignitorum generibus, alium novum orbem suo subjecerunt imperio, & Monarchiam in Europa erexerunt: in iis enim maxime

opus est fortitudine animi & constantia, quæ propriæ sunt Nationis istius virtutes. Huic elemento ignis ipsa terra sese opposuit (adeo ut jam omnia elementa quatuor in hominis conspirent ruinam) & adhibitis nunc palis atque ligonibus profecit tantum Batavorum industria, ut Hispanorum fortitudini possent resistere.

In potentiis librandis multa sæpe falluntur ingenia, aliqua Italorum præsertim, qui frustra laborant, ut easdem in pari semper æquilibrio sustineant: neque enim illa periculosior est aut potentior, quæ majores habet status, aut plures subditos, sed quæ viribus suis melius uti didicit. Expensa ad bilancem potentia, etsi lanx una deorsum vergat, altera in aëre suspensa hæreat, hanc tamen illa æquabit, aut vincet etiam, si vel unica prudentiæ & fortitudinis drachma accesserit, aut si in illa major ambitio fuerit & tyrannis. Qui cum hoc orbe altius fortunam suam extulerunt, eique dominati sunt, exigua habuere principia. Amplitudo Austriacæ domus multorum concitabat æmulationem, & conspirabant omnes, ut eandem deprimerent, nec cuiquam in mentem tunc veniebat Sueciæ, quæ Germaniam servitute oppressura esset, & forte etiam oppressisset Italiam, nisi mors ipsius Regis intercessisset. Metuendæ magis sunt potentiæ, quæ crescere incipiunt, quam quæ auctæ jam sunt; in his namque earundem inclinatio naturalis est, sicut in illis earundem incrementum: hæ cum tranquillitate publica conservare se student; illæ vero cum alienorum dominatuum perturbatione altius sese erigere contendunt. Esto, una aliqua potentia in se validior sit, quam alia, non ideo hæc minus fortis est, quam illa ad tuendum se & conservandum. Planeta aliquis in domo sua plus efficacitatis habet, quam alius in sua exaltatione. Nec timores isti potentiæ vicinæ veri sunt semper ac certi, quin immo non raro in utilitatem redundant propriam. Timuit Italia, ne forte ab Occidente servitutis jugum sibi imponeretur, quando Coronæ Castellanæ uniri vidit Siciliæ Regnum: qui timor auctus est deinde non parum, cum Regnum etiam Neapolitanum accessit, & ambo simul Castellæ obedientiam præstitere; denique desperare omnino visa est, quando Carolus Quintus Imperator Mediolanensem statum Hispaniæ fecit feudatarium; ob ista omnia tamen non amiserunt Principatus suam libertatem, immo tuti adversus Turcarum arma & Transalpina, integrum sæculum pace gavisi sunt. Multos inquietos reddidit ac sollicitos propugnaculum ab Hispanis erectum (quod *Fuerte de Fuentes* dicitur) tanquam si Italiæ frænum esset, & usus docuit, non nisi unius defensionis caussa exstructum fuisse. Omnes istæ experientiæ neutiquam sufficiunt ad curandas inanes apprehensiones hypochondriæ, istius, quam rationem Status vocare solent,

solent, accedentibus præsertim humoribus invidiæ & æmulationis ut phantasias suas melancholicas abjiciat. Casalum Rex Catholicus armis suis obsidet, ut exturbet inde Francos, urbemque legitimo suo Domino restituat, ad maturandam pacem & tranquillitatem Italiæ, & mox æmuli de novo fœdere adversus eum ineundo cogitant perinde ac si una aliqua urbs occupata, aut perdita in potentia tam ampla momenti quicquam haberet. E falsa ista damnorum & periculorum imminentium in futurum apprehensione, quę tamen nunquam forte evenissent, orta sunt alia præsentia longe majora, quam illa, dum ea remediis antevertere cuperent. Suas itaque deponant æmulationes, qui tanta semper curant sollicitudine, ut inter potentias sit æqualitas: hoc enim fieri nequit absque quietis publicæ detrimento. Ecquis orbem in æquali hoc virium æquinoctio ita sustinebit, ut non aliquæ præ aliis ad solstitia amplitudinis accedant propius? Bellum perpetuum foret: nihil enim magis Nationes turbat, quam si semel apud eas invalescant vanæ istæ imaginationes, quæ finem nunquam habent, præsertim cum unio potentiarum inferiorum contra majorem diu durare haud possit, & si hanc etiam prosternerent, quis illas deinde in partitione amplitudinis sic moderabitur, ut contentæ sint singulæ, & non quælibet totum illud sibi deposcat? Quis eas tam conservabit æquales, ut una præ alia incrementum non sumat? Cum membrorum inæqualitate corpus humanum conservatur, quidni etiam magnitudine unius, & mediocritate alterius Respublicæ conserventur, & Status? Securior Politica est, majores sequi potentias; & ad earum se accommodare Fortunam, quam iisdem sese opponere. Oppositio vires suscitat, & titulum præbet tyrannidi. Orbes cœlestes rapi se sinunt à violentia primi Mobilis, cui resistere nequeunt, & illius sequendo motum, cursum suum conficiunt. Dux Toscanus Ferdinandus de Medicis artem potentiorem infestandi Romæ didicit & exercuit adversus Hispaniam novis quibusdam industriis in Francia, Anglia, & Hollandia; verum agnovit postea periculum, & hoc documentum dereliquit posteris, ne unquam iis uterentur, id quod etiamnum hodie observant magno tranquillitatis publicæ bono.

SYMBOLVM LXXXII.

NOnnulli galeas cygnis & pavonibus coronarunt, ut horum generositate suos excitarent animos, & stimularent ad gloriam; alii ursino capite, aut leonina pelle per humeros defluente, ut horrorem & metum hostibus incuterent. Hoc præsenti Symbolo, quo ostenditur, Principi arma habenda esse in pretio, cristæ loco supra cassidem Erina-



Erinaceum colloco, cujus aculei non minus aſpectu jucundi ob aſperitatem, quam plumæ Struthionis ob mollitiem, tuentur ſimul ac lædunt. Nullus elegantior cultus, quam ſi arma armis exornentur. Vanus eſt purpuræ ſplendor opere Phrygio elaboratæ, quamvis auro, unionibus, & adamantibus radiet, inutilis palatiorum familiæque oſtentatio, & aularum pompa niſi micantium gladiorum & armorum fulgor illuſtres reddat Principes. Non minus gloriatus eſt Salomon, ſapientiſſimus Rex, de armamentariis omni armorum genere copioſe inſtructis, ubi ſcuta & lanceas magni

magni valoris *a* reconderet, quam de sumptuosis vestiariis. Hispanis b *militares equi sanguine ipsorum cariores* erant. Nunc æstimationem illam perdit vehiculorum & rhedarum commoditas, *quibus*, *c* apud Romanos *nisi* Senatoribus, *& casta & spectata probitatis fœminis, alias uti non licuit.* Quos abusus ut tolleret Carolus Quintus Imperator, moremque equitandi iterum introduceret, in Comitiis Madritensibus anno 1534. sic fertur locutus: *Natura horum Regnorum non domi solum, sed & foris apud exteros ab equitandi peritia in pretio & honore fuerunt, magnamque famam, laudem ac gloriam adepta sunt tot praclaris victoriis, quibus hostes suos tam Christianos, quam infideles debellarunt, acquisivere tot Regna, & dominia, qua etiamnum sub corona hac nostra perseverant.* In laude virorum fortium ponit Scriptura clypeos *d* eorundem esse igneos, volens nimirum innuere, qua cura nitentes eos ac bene politos servare studeant; alibi vero expendit, radios eorum à montibus vicinis repercussos, lampadum accensarum esse *e* similes. Divino etiam lateri elegantiam addere ajebat David gladium *f* accinctum. g *Vestibus* Hannibalis *nihil inter aquales excellens, arma atque equi insigniebantur.* Carolus V. Imperator magis gaudebat militari pompa, quam vestibus auro segmentatis. Ottocarus Bohemiæ Rex debellatus à Rudolpho Imperatore, magno cum splendore veniebat ad obedientiam illi præstandam, cumque famuli Imperatorem hortarentur, ut pro eo ac suam deceret Majestatem sese exornaret, respondit: *Armis cincti, militaris agminis instar procedite, & palam istis ostendite, in armis vos, non in vestitu cultum & elegantiam ponere, ista enim me pariter, & vos potius decent.* Illa Majestas auctoritatem Principibus conciliat, quæ ex potentia nascitur. Pro sua defensione eos elegit populus, id quod significare volebant Navarri, quando in coronationibus Reges scuto insidentes in altum extollebant: hoc pro throno regio erat, pro conopeo ipsum cœlum. Scutum subditorum Princeps esse debet adversus omnes impetus armatum, & periculis atque injuriis expositum. Tunc & subditorum, & aliorum oculis cultior videbitur & elegantior, cum magis armatus incesserit. Germani olim h *scuto frameaque juvenes ornabant. Hac apud illos toga, hic primus juventa honos. Ante hoc domus pars videbantur, mox Reipublica.* Nunquam Princeps refert

a *Fecit igitur Rex Salomon ducentas hastas aureas de summa sexcentorum aureorum, qui in singulis hastis expendebantur: trecenta quoque scuta aurea trecentorum aureorum, quibus tegebantur singula scuta.* 2 Paral. 9. 15.

b Trog.

c Alexand. ab Alex. l. 8. c. 18.

d *Clypeus fortium ejus ignitus.* Nahum. 2. 3.

e *Et ut refulsit Sol in clypeos aureos, & areos, resplenduerunt montes ab eis, & resplenduerunt sicut lampades ignis.* 1 Mach. 6. 39.

f *Accingere gladio tuo super femur tuum, potentissime: specie tua, & pulchritudine tua intende prospere, procede, & regna.* Ps. 44. 4.

g Tit. Liv.

h Tac. de more Germ.

fert Principem, nisi cum in armis fuerit. Nulla vestium tessera splendidior, quam loricarum. Nullus aulæ comitatus jucundior oculis, quam milites in certos ordines ac turmas dispositi, quorum conspectus tum est gratior, cum à Martis horrore magis ornati illi sunt, & incedunt onusti rebus ad offensionem, defensionē, & sustentationem propriam necessariis. Militia alio corporis cultu non indiget, quam suomet apparatu. a *Supellex pretiosa nihil aliud sunt, quam onus & impedimentum.* Quod ad præcipuum victoriæ finem magis conducit, id in bello videtur optimum. Eam ob rem cum Scipio Africanus penetravit in Hispaniam, jussit milites singulos tritici tantum humeris deferre, quantum ad dies triginta in victum sufficeret, & palos septem, ad castrorum locum muniendum. Hæc tum supellex erat gentis militaris, ita ad incommoda fictæ & factæ, ut urbem pro Senatu populoque Romano, templa pro Diis exstructa crederet, suum vero decus in agris esse sub tentoriis & tabernaculis b militaribus. Tali cum disciplina orbi dominari potuit. Deliciæ, luxus vestium & divitiæ præ aulicis sunt, in militibus hostium cupiditatem excitant. Eam ob caussam merito risit Hannibal, cum Antiochus suum ei ostenderet exercitum, cultu corporis elegantem magis, quam armis fortem, sciscitanteque Rege, num contra Romanos sufficere videretur, acute Afrorum more respondit: c *Immo vero sufficiet, quantumvis illi etiam cupidi sint. Ne te terreat vanus aspectus, & auri fulgor atque argenti, quod neque tegit, neque vulnerat*, ajebat ad Britannos Galgacus, ut Romanorum metum iis eximeret; & Solimannus Solymis suppetias laturus, ut animos suis adderet, sic fertur dixisse:

> d *L'arme, e i destrier d' ostro guerniti, e d'oro*
> *Preda fien nostra, e non difesa loro.*

Et tametsi Iulius Cæsar non incommodum arbitraretur, si milites sui divites essent, quod existimaret hos tales metu damni in prœlio constantiores e fore; ampla tamen spolia venalem faciunt victoriam, atque arma sola sua fortitudine exornata eam coëmunt: miles enim plerumque magis sollicitus est de servando eo, quod habet, quam de ipsa victoria, qui cupiditate ductus descendit in Prœlium, ad debellandum hostem unice intendit animum, ut spoliis dein potiatur. Spes lucri & gloria magni pectori humano sunt stimuli. O quam risisset Hannibal, si horum temporum militiam suis usurpasset oculis, tam in cultu corporis elegantem ac deliciosam, tam lautitiis instructam, ut vix currus & equi ad vecturam suppetant. Quo-

a Curt. lib. 5.
b *Urbem Senatui, ac populo Romano, templa Diis reddita, proprium esse militiæ decus in castris.* Tacit. lib. 3. Hist.

c Tacit. in vita Agric.
d Tass. cant. 9.
e *Quod tenaciores eorum in prœlio essent metu damni.* Sueton.

Quomodo ille tanto vehiculorum numero superare potuisset montium Pyrenæorum asperitatem, & per nives Alpium viam sibi patefacere? non exercitus videntur hodie (in Germania præsertim) sed amplissimæ Nationum coloniæ, quæ ab uno loco in alium commigrant, ducentes secum Familias integras, & omnem ædium supellectilem tanquam si belli instrumenta forent. Similem disciplinæ remissionem in Othonis exercitu *a* notavit Tacitus. Nullum est tam opulentum Principis ærarium, nulla Provincia tam rebus abundans, quæ ad eos sustentandos sufficiat. Æque amicis noxii sunt nimirum ac hostibus: quæ laxatio per Ducem Fridlandum introducta fuit, ut tanto majorem militum numerum colligeret, integras Provincias eorum rapinæ permittendo, quod nonnulli ideo factum existimant, ut eæ sic oppressæ ac debilitatæ contra illius vires insurgere amplius haud possent, aut ut hac licentia exercitum ipsum enervaret, Cæcinæ modum imitatus, cui *b* *perfidiam meditanti infringere exercitus virtutem, inter artes erat.*

Atque hic abusus grandia minatur damna, nisi tempori adhibeatur remedium, nec desperatum hoc videri debet: etsi enim non minoris sit molis laxatam militiæ disciplinam corrigere, quam sese opponere hostibus; id quod *c* Corbulo in Syria expertus fuit: hoc tamen intelligi debet, quando per hostem non licet, aut certe non expedit, tam repente ab uno extremo transire ad aliud. Verum si tempus non desit, nihil prohibet exercitio, severitate, & exemplo ordinem ac disciplinam exercitus postliminio reducere: absque illis tribus enim nec ad meliorem formam revocari poterit, nec emendatus diu in eadem disciplina persistere; uti Vitellio accidit, cujus d *miles degenerabat à labore ac virtute, assuetudine voluptatum & conviviorum.* Probe hoc intellexit Corbulo, cum in Germaniam mitteretur, adeoque e *legiones operum & laboris ignaras, populationibus latantes, veterem ad morem reduxit.* Idem postea fecit cum exercitu in Syria, ubi milites reperit tam artium bellicarum ignaros, ut multi essent etiam f *veterani, qui non stationem, non vigilias inissent; vallum, fossamque quasi nova & mira viserent, sine galeis, sine loricis, nitidi, & quæstuosi, militia per oppida expleta*; & arcens inutiles, exercitum ad hiberna frigora in castris exercuit. g *Ipse cultu levi, capite intecto, in agmine, in laboribus frequens adesse: laudem strenuis, solatium invalidis, exemplum omnibus ostendere*; cumque videret multos ob regionis inclementiam signa deserere, reme-

a *Quidam luxuriosos apparatus conviviorum, & irritamenta libidinum, ut instrumenta belli mercarentur.* Tac. lib. 1. Hist.

b Tac. lib. 2. Hist.

c *Sed Corbuloni plus molis adversus ignaviam militum, quam contra perfidiam hostium erat.* Tacit. lib. 13. Annal.

d Idem l. 2. Hist.

e Idem l. 11. Hist.

f Idem l. 13. Annal.

g Idem ibid.

a *remedium severitate quæsitum est. Nec enim ut in aliis exercitibus, primum alterumque delictum venia prosequebatur, sed qui signa reliquerat, statim capite pœnas luebat. Idque usu salubre, & misericordia melius apparuit, quippe pauciores illa castra deseruere, quam ea, in quibus ignoscebatur.* Miles ad ingentes illos labores, & præsentia belli pericula reduci non potest, nisi alio alioque rigore, aut alio præmio, quæ duo illa adæquet. Principes honoribus ac præmiis bonos Duces efficiunt; Duces vero bonos milites exemplo, rigore, ac liberalitate. Optime nôrat Godfredus, gloriam & spem commodi augere magnitudinem animi, quando prœlium commissurus.

b *Confortò il dubio, e confermò chi spera,*
Et all' audace ramento i suoi vanti;
E le sue prove al forte, à chi maggiori
Gli stipendi promise, à chi gli honori

Ausim prope dicere, militiam bonam esse non posse nisi is, qui præest prodigus sit aliquantum, & crudelis; ideo forte Germani Legionem, & quæ ad eam pertinent, baculum Chiliarchæ *(den Regiment oder Colonellstab)* appellare solent, illo enim regendi sunt milites. Tanto disciplinæ rigore ac severitate suum continebat exercitum Moyses, ut petens aliquando per terram Regis Edom transitum, simul adpromitteret, è suis fore neminem, qui vel aquam ex puteis ipsius hauriret, aut agros cujusquam aut vineas c attingeret.

De instauranda collapsa exercitus disciplina antiquitas illustre nobis reliquit exemplum in Metello, dum fuit in Africa, ubi tam corruptum reperit Romanum exercitum, ut milites è stativis suis nollent egredi, signa desererent, & per Provinciam vagantes loca omnia expilarent, ac passim rapinas exercerent, omni utentes licentia, quam cupiditas suadebat & luxuria. Omnibus tamen iis sensim remedium attulit artibus militaribus eos exercendo. Vetuit inprimis ne aut panis, aut alius cibus coctus in castris venum proponeretur. Ne annonæ castrensis curatores exercitum sequerentur. Ne gregarii milites iter facientes famulum haberent, aut mulum; pari ratione reliquos quoque corrigens abusus, ad pristinam suam fortitudinem & robur, revocavit militiam. Quæ cura tantum effecit, ut ea sola Iugurthæ terrori esset, eumque moveret, ut per Legatos suam suorumque filiorum vitam illi committeret, reliqua vero omnia Romanorum fidei concrediturum se polliceretur. Arma nimirum spiritus vitales sunt, qui Reipublicæ corpus fovent ac sustinent, vades tranquillitatis publicæ, in quibus ejusdem conservatio & incrementum consistit, si instructa bene sint, & disciplinam admittant. Optime hoc intellexit Alexander Severus Imperator, quando dixit, a di-

a Tacit. l. 13. Annal.
b Tass. Can. 20.

c *Non ibimus per agros, nec per vineas, non bibemus aquas de puteis tuis.* Num. 20. 17.

a *disciplinam majorum Rempublicam tenere, quæ si dilabatur, & nomen Romanum, & Imperium amissum iri.*

Quare cum tantum intersit bonos habere milites, curandum Principibus sedulo, ut honore & favoribus eos prosequantur. Militem fortem Saul ferebat in oculis, nec unquam à suo latere dimittebat. Præmium & honor eos reperiunt, facit vero exercitium; b *paucos* enim *viros fortes natura procreant, bona institutione plures reddit industria.* Hæc cura esse debet Centurionum, Chiliarcharum, ac Ducum perinde ac fuit Sopher Principis exercitus, qui tirones c exercitabat; atque adeo supremos Doctores sacræ literæ Magistros militum vocant, quorum videlicet muneris sit eos instruere & erudire; quomodo d Putipharem appellant, & Nabuzardan e militiæ Principem.

Verum quia istuc ob indulgentiam nimiam Ducum atque incuriam, aliaque in bello impedimenta, haud facile in praxin redigitur, tempestive potius præverti deberet; qua in re grandis Principum & Rerumpublicarum est negligentia. Pro literarum studiis collegia eriguntur, & pro virtute Conventus & Monasteria; in militante Ecclesia Seminaria sunt, in quibus formentur milites spirituales, qui eam defendant; nulla pro sæcularibus. Solus Turca illud cordi habet, qui eum in finem collectos ex omni Natione pueros certis locis concludit, & in armorum exercitio educari curat, unde post Ianizerorum formantur copiæ, qui cum alium Patrem, aut Dominum non agnoscant præter ipsum Turcam, præcipuum Imperii ipsius robur sunt & tutela. Idem facere deberent Christiani Principes in celebrioribus civitatibus, colligendo in Seminariis pueros orphanos, expositos, & alios, ubi instruerentur in exercitiis militaribus, ubi condiscerent fabricari arma, nectere funes, conficere pulverem pyrium, & alia belli munimenta, ut inde postea ad obsequia & officia militaria prodirent aptiores. Possent etiam pueri educari in portubus & armamentariis nauticis, ubi artem navigandi à teneris annis imbiberent, viderentque quomodo construendæ triremes & naves, texenda vela, conficiendi rudentes; quo fieret, ut expurgaretur Respublica à fæce ista vagabundorum, haberetque quorum opera in artibus militaribus uti posset, sumptibus sustentationis ex ipso diurno singulorum opere collectis, qui si forte non sufficerent, certa aliqua lege sanciri posset, ut ex omnibus piis operibus aut legatis tertia eorum pars assignaretur ejusmodi Seminariis: neque enim minus merentur qui defendunt altaria, quam qui eadem incensant.

a Alex. Sever. apud Lamp.

b Veget.

c *Sopher Principem exercitus, qui probabat tirones de populo terræ.* 4 Reg. 25. 19.

d *Madianitæ vendiderunt Ioseph in Ægypto Putiphari Eunucho Pharaonis Magistro militum,* Gen. 37. 36.

e *Transtulit Nabuzardan Magister militum in Babylonem.* Ier. 39. 9.

Proderit etiam non parum ad

ad militiam conservandam, si ærarium bellicum dotetur reditibus certis & statis, qui in alios usus non impendantur. Ita Augustus fecit applicando ei rei partem decimam omnium hæreditatum & legatorum, centesimam vero rerum venalium; quam institutionem Tiberius postea, deprecante etiam Senatu, tollere noluit, eo quod subsidio illo ærarium militare *a* niteretur. Simili ratione ærarium Neapolitanum dotaverat Petrus Comes de Lemos; at æmulatio evertit postea quod zelo optimo & prudentissimo is instituerat.

§. Atque hæc cura non in militia solum adhiberi debet, verum etiam in erigendis propugnaculis, & præsidio firmandis: iste enim sumptus multos alios graviores cavere potest; loci infirmitas invitat hostem; contra vix quisquam oppugnat statum, quem resistere posse arbitratur. Si quod in ludis, spectaculis, & ædificiis prodigitur, hanc in rem insumeretur, quietiores & securiores viverent Principes, & orbis universus majori pace ac tranquillitate frueretur. Diocletianus & Maximilianus Imper. optimi obsequii loco habebant, quod quidam Provinciæ Gubernator pecuniam ad amphitheatri fabricam destinatam muris reparandis *b* impendisset.

a *Centesimam verum venalium post bella civilia institutam deprecante populo, edixit Tiberius militare ærarium eo subsidio niti.* Tac. l. 1. Annal.

b *Ita enim, & tutela civitatis instructa murorum præsidio providebitur, & instaurandi agonis voluptas, confirmatis his quæ ad securitatis cautionem spectant, insecuti temporis circuitione repræsentabit.* L. unica. C. de expen. publ. l. 11.

SYMBOLUM LXXXIII.

ILLA ipsa tellus, in qua eriguntur propugnacula, maximus eorundem hostis est. Per illam ligonibus & palis fossæ ducuntur & aggeres, quibus ad expugnationem via sternitur; intra illius viscera occulte sub murorum vallorumq; cæmento aguntur cuniculi, donec flamma correpti funditus omnia evertant. Solum illud castrum expugnari non potest, quod in aquis situm sævientium undarum furore quaquaversum cingitur, quæ licet illud verberent, una tamen etiam defendunt, non dando locum obsidioni navali, totumque foret periculum in maris malacia, si diu constans perduraret. Sic Monarchiæ & c *civitates magna ex parte bellum gerentes conservantur, eadem imperio potita corrumpuntur.* Tunc cura vigilat; providentia accincta est gladio; gloria exstimulat animos; occasiones fortitudinem augent; æmulatio ad majora incendit, & periculum commune sociat voluntates, malosque Reipubl. humores evacuat. d *Metus hostilis in bonis artibus* & legibus populum *retinet*. Nunquam Romani extitere fortiores, nec subditi magis quieti & obedientes Magistratibus, quam cum portas urbis uno tempore Pyrrhus, alio Hannibal obsideret. Magnæ alicui Monarchiæ plus periculi à sua potentia imminet, quam alii à sua imbecil-

c Arist. lib. 7. Pol. c. 14.

d Sallust.



becillitate : illa enim de viribus suis secura sibi adversus casus futuros minime prospicit ; hæc vero metu sollicita semper arma in promptu a habet. Si disciplina militaris conquiescat, nec in continuo servetur exercitio , effœminat otium animos , labefactat ac sternit muros , ærugine obducit gladios , & scutorum ligaturas corrodit ; augescunt sensim cum eo deliciæ , & dominatur ambitio , unde discordiæ oriuntur , ex his vero bella civilia , adeoque experitur Respublica mala omnia , & infirmitates interiores , quas procreat otiositas. Absque aliquo motu res nec crescunt , nec conservantur. Quintus Metellus , accepto nuncio de amissa

a *Sagitta ejus acuta & omnes arcus ejus extenti. Vngulæ equorum ejus, ut silex.* Isa. 5. 28.

amissa Carthagine, palam Romæ in Senatu dicebat; se jam ejus ruinam metuere, postquam Rempublicam illam destructam cerneret. Publius Nasica cum dicentem audiret, res ob successum illum nunc meliori esse loco, respondit: *Immo vero in majori nunc versantur periculo*: sciebat nimirum, hostiles illas vires velut undas esse, quæ Romam concuterent quidem, sed fortiorem ac firmiorem efficerent, atque ideo hortatus eos est, caverent, ne semetipsi perderent, *a timens* scilicet *infirmis animis hostem securitatem, & tanquam pupillis civibus idoneum tutorem necessarium videns esse terrorem.* Suinthila Gothorum Rex in Hispania magnus fuit, & in actionibus suis ac facinoribus gloriosus, quoad bella gessit; simul ac ista desiere, deliciis sese dedidit, ac periit. Rex Alphonsus Sextus expendens clades, quas à Mauris acceperat, causam sciscitatus est, & responsum illi fuit, à suorum otio & deliciis ista manasse. Quare mox balnea & lautitias alias, quæ vires infringunt, prohibuit. Ob rerum omnium incuriam & segne otium Regum Roderici & *b* Witizæ tota pæne Hispania Afris in prædam cessit, donec reflorescente in Pelagio, ejusque successoribus militia, fortitudo etiam & gloria militaris assidua æmulatione incrementum sumpsere, & Hispaniam non solum à durissimo illo jugo liberarunt, sed etiam magnæ alicujusMonarchiæ caput constituerunt. Concertatio inter ordines militares Castellæ insignes peperit Heroës, quorum potius studium fuit vincere inter se gloria militari, quam hostem debellare. Nunquam Domus Austriaca ad tantum ascendisset fastigium, si otio semper relicta fuisset. Iisdem mediis, quibus eam sternere cogitant æmuli, fortior illa redditur & gloriosior. c *Nam pacem agentes tanquam ferrum*, quod non usurpatur, *splendorem amittunt.* Potentiæ minores absque armis conservari possunt, at non majores: in illis enim non æque est difficile Fortunam servare æqualem; atque in his, è quibus nisi arma mittantur foras, intus belli excitatur incendium: uti Romanæ Monarchiæ accidit. d *Vetus ac jam pridem insita mortalibus potentiæ cupido, cum Imperii magnitudine adolevit, erupitque. Nam rebus modicis, æqualitas facile habebatur, sed ubi subacto orbe, & æmulis Urbibus Regibusque excisis, securas opes concupiscere vacuum fuit, prima inter Patres plebemque certamina exarsere.* Fortitudinis æmulatio, quæ adversus hostem exerceri solet, eo deficiente inter ipsas Naturas succenditur. Experti id fuere Germani, quando e *decessu Romanorum, ac vacui externo metu gentis assuetudine, & tum æmulatione gloriæ arma in se verterunt.* Pax Imperii Romani cruenta fuit: ex illa enim bella civilia f ortum habuere. g *Cherusci nimiam ac marcentem diu pacem illacessiti* nu-

a S. August.

b Mar. hist. Hisp. l. 6. c. 7.

c Arist. lib. 7. Pol. c. 14.

d Tac. l. 2. Hist.

e Idem lib. 2. Annal.

f *Pacem sine dubio post hæc, verum cruentam.* Tac. l. 1. Annal.

g Idem de mor. Germ.

nutrierunt, idque jucundius, quam tutius fuit. Per bella in Provinciis Belgicis civilia in Hispania desiere dissidia. Plurimum ejus Monarchiæ profuit palæstra illa & schola martia, ubi doctæ & exercitatæ fuere tot artes militares: etsi institutio hæc & disciplina hostibus etiam & æmulis communis fuerit, adeo ut omnes fere Europæ Principes armorum usum ibi didicerint; quamvis item magnorum fuerit sumptuum, bella gerere in Provinciis tam turbatis & longe dissitis, cum tanta sanguinis profusione, & tam gravibus usuris, cum tanto hostium commodo, nostro vero tam exiguo, ut dubitari merito posset, satiusne esset victos nos fuisse, an vincere; aut num expediret aliquod adhibere remedium, quo extingueretur omnino, aut certe sopiretur ad tempus ignis ille sanguinis aurique sitientissimus, eo fine, ut quod illic inutiliter consumitur, impendatur in vires navales, & stabiliatur Imperium utriusque Maris, Mediterranei & Oceani, foveaturque bellum in Africa, cujus progressus feliciores ob Italiæ & Hispaniæ vicinitatem Monarchiam hanc magis unirent; verum amor erga subditos illos tam antiquos & bonos, desiderium item è tam vili servitute, qua titulo libertatis misere oppressos vident eosdem liberandi, & ad verum Dei cultum reducendi, plus potest, quam ratio status.

5. Nunc sicuti fortitudinem & gloriam militarem tueri, ubi unus solus imperat, Statuum securitas est, ita periculo non caret, ubi summa potestas ad multos pertinet, quemadmodum in Rebuspublicis accidit: nam in ipsismet eorum armis maximum subest periculum, dum supremum multorum arbitrium uni soli committitur. Ab illa ipsa manu, quam armarunt primum, jugum iis imponi solet. Vires, quas ipsi contulerunt, libertatem eorundem opprimunt: ita Reipublicæ Romanæ contigit, & inde postea ad omnes fere reliquas tyrannis permanavit. Ea de caussa, licet valde expediat, arma semper in promptu habere & exercitata, artes tamen pacis securiores sunt, præsertim si corruptus sit populus, & locis dissitis à se divisus: nam belli ferocitate fit insolentior, & præstat periculum illi obversari ob oculos, quam procul illo securum vivere, ut pro sua conservatione tanto magis se uniat. Non minus secura erat libertas Reipublicæ Genuensis, quando montibus utebatur nondum artificio militari munitis, ac nunc, postquam singulari cum industria & labore ingenti effectum, ut eidem tanquam muri inexpugnabiles Reipublicæ deserviant: nimia enim securitas malos generat humores, cives in partes scindit diversas, procreat audaces spiritus, & exteriora media aspernatur; in Rebuspubl. vero, quæ intestinis agitantur dissidiis, plus periculi creant muri, quam prosint; atque adeo tunc solum utiles erunt, si prodens ille Senatus sic egerit, ac si eos non exstruxisset.

SYMBOLVM LXXXIV.



VIſum quibuſdam, Naturam homini non matrem fuiſſe, ſed novercam, magiſque ſe exhibuiſſe liberalem erga animantes cæteras, utpote quibus certiorem indidit inſtinctum & notitiam mediorum quibus pro defenſione ſua & conſervatione opus habent. Verum iſti non ſatis ſuam expenderunt excellentiam, arbitrium ſuum & dominium in res alias inferiores, ſiquidem largita eſt illis Natura intelligentiam quandam velocem, quæ momento unico terram pariter

pariter & cælos penetrat: memoriam, in qua absque confusione omni, aut perturbatione, rerum tam variarum conservantur imagines: rationem, quæ discernit, unum ex alio colligit & concludit: judicium, quod intelligit, ponderat & definit. Propter hanc donorum præstantiam homo imperium tenet in omnes res creatas, & disponit de iisdem pro libitu, utens manibus tam sapienti efformatis artificio, ut instrumenta sint ad omnes artes idonea; & tametsi nudus omnino, & absque armis in hanc lucem editus sit, ea tamen pro suo fabricatur arbitrio, ut aut semet tueatur, aut etiam impetat alios. Tellus eum in finem ferrum & chalybem ei suppeditat: aqua (quomodo in Symbolo præsenti videre licet) ea cudit: aër focum incendit, ignis denique ea temperat, ita nimirum elementa omnia ejus arbitrio obediunt. Fragili aliquo lembo maris domat superbiam, & linteo ventos colligit, ut pro alarum remigio ei deserviant, quibus sese ab uno loco in alium transferat. Intra fistulas æreas vim ignis coërcet, unde non minus horrenda jaculatur fulmina, quam ipse Iupiter. a *Multa, quæ natura impedita sunt, consilio & ingenio expedit:* & quia istud Naturæ adminiculo temperat thoraces ferreos, & ferrum in lanceas acuit, industria magis Principem uti oportebit, quam b viribus, consilio magis, quam brachio, calamo potius, quam gladio: nam omnia potentia extrema experiri velle, Gigantum foret insania, qui montes montibus aggessere. Vires majores non semper triumphant. Cursum navis exigua sistit remora. Vna civitas Numantina annos quatuordecim Romanum fatigavit Imperium. In urbe Sagunto expugnanda plus laborandum isti fuit, quam in vastissimis Asiæ Provinciis subjugandis. Vires languescunt sensim & consumuntur, ingenium semper perdurat: & si isthoc bellum non geratur, illis non c vincitur. Secure illud bellum suscipitur, quod ingenio geritur: periculosum est & anceps, quod solo robore.

———— d *Non solum viribus aequum*
Credere, sæpe acri potior prudentia dextra.

e *Mens una sapiens plurium vincit manus.*

Tiberius datis ad Germanicum literis gloriatus est, f *se novies à Divo Augusto in Germaniam missum, plura consilio, quam vi perfecisse.* Nec aliter agere solebat, cum Imperatoria dignitate fungeretur, præsertim ut Provincias longe dissitas tueretur, & identidem repetebat, *Consiliis & astu externas res moliendas, arma procul habenda* g *Non* omnia *viribus* superantur, *non velocitate, non celeritate, sed consilio & sententia.* Victoriis continuis Provinciæ Belgicæ pessum iêre; plus enim fortitudo efficere conata est, quam prudentia. Virium loco itaque

Y 2 cal-

a Livius.
b *Melior est sapientia, quam vires.* P. 6. 1.

c *Melior est sapientia, quam arma bellica.* Eccl. 9. 18.
d Val. Flac.
e Eurip.
f Tacit. lib. 2. Annal.
g Idem lib. 6. Annal.
h Cicero.

calliditas succedat & astutia, & hac vincatur, quod illis non potest. *a* Quando temporibus Roderici Regis Mauri ex Africa Hispaniam armis suis infestarunt, Murciæ Præfectus in prælio quodam, in quo tota civitatis illius Nobilitas occubuit, victus fuit, & feminæ, re comperta, in virili habitu & armis cinctæ per urbis muros se disposuere, quod cum magnæ multitudinis speciem præbuisset, ad honestas conditiones victores Mauros adduxit. Eduardus Quartus Angliæ Rex dicere solebat, Carolum cognomento Sapientem Franciæ Regem nullis instructum armis, solis literis graviora contra se movere bella, quam aut Pater ejus, aut Avus armis fecissent. Ferrum & gladius paucis in locis vim suam possunt exercere, solers rerum negotiatio ubivis efficere potest plurimum. Nec refert Principes abesse ac distare inter se longius: sicut enim arbores mediis radicibus communicant inter se, & uniuntur invicem, sua agendi vi per largum etiam spatium diffusa, ita illi per suos Legatos & artificia quædam occulta præstare idem poterunt. Vires alienas suas ingenium efficit inito cum exteris fœdere, communis utilitatis intuitu. E privato aliquo cubiculo plus efficere Princeps poterit, quam in campestri agro. Rex Philippus Secundus Madrito discessit nunquam, & orbem in metu & obedientia continuit. Magis prudentia metuendum se fecit, quam virium robore. Infinita propemodum illa est potestas, quæ industria utitur. Archimedes totū hunc terræ atque aquæ globum machinis suis commoturum se dictitabat: si extra alicubi pedibus posset consistere. Vna aliqua grandis Monarchia generali orbis totius dominio facile potiretur, si ad vires ars aliqua atque industria accederet; quod ut ne fiat, permittit primum illud Mobile Imperiorum, ut magnis prudentia deficiat, & in potentia omnia sita arbitrentur. b *Pleraque in summa fortuna auspiciis & consiliis magis, quam telis & manibus geri solent.* Æque periculosa est potentia cum temeritate, ac temeritas absque potentia.

5. Bella plurima inter Principes Christianos industria aliqua evitari possent, at judicium damna aut non agnoscit, nec decentes reperit conditiones, quibus ea sat caveat; aut illa non æstimat, excœcata per ambitionem prudentia; aut animi fastus gloriosum ducit ultro ea subire, adeoque fucata belli gloria se finit abripi: quod cum sit actio quædam publica, è qua communis omnium dependet conservatio, mensurari non debet inanibus existimationis umbris, sed commodis & utilitatibus publicis; ita tamen, ut nullum interim sit medium, quod ad evitandum bellum Princeps non experiatur, omnes amovens occasiones, antequam nascantur, & si subortæ jam fuerint, eorum sibi voluntates concilict, qui consilio suo pacem promovere possunt: inquirat media suavia, ad conservandam amicitiam: hostem intra & extra suum Regnum fatiget: consilia ejusdem prævertendo,

a Mar. Hist. Hisp. l. 6. c. 24.

b Tacit. lib. 13. Annal.

tendo, & societates ac fœdera cum aliis defensionis caussa sanciendo, metum ei injiciat. Atque istis humanis mediis divina etiam jungat subsidia orationum & sacrificiorum, summique Pontificis, tanquam communis Christianorum Patris, utatur opera, sincere ad ipsum referendo de animo suo & desiderio tranquillitatis publicæ, de accepta injuria, aut rationibus, quibus ipse movetur ad arma capienda, nisi sibi rite satisfiat. Vnde relata porro caussa ad collegium Cardinalium, & interposita auctoritate Sedis Apostolicæ, aut reipsa ad arma non veniretur, aut Princeps caussam suam Romæ purgaret, ubi tribunal est, in quo Principum acta dijudicari, & lites decidi debenr. Nec hæc ignavia est, sed generositas quædam Christiana, & cautela politica ad Nationum animos in amicitia retinendos; & cavendas æmulationes ac fœdera, quæ ex iisdem oriuntur.

SYMBOLVM LXXXV.

VBi Vrsus alveare apum semel nactus fuerit, nihil tunc consultius, quam totum illud aquis immergere: quodcumque enim aliud medium officeret potius, quo minus suo fine, hoc est, favo mellis potiretur, & apicularum aculeos effugeret. Hoc ipso exemplo Symbolum præsens damna & incommoda exhibet consiliorum mediorum, usu comperta in eo, quod Herennius Poncius Samnitibus dedit, quando conclusis in angusto aliquo loco Romanis, auctor fuit, ut libere inde exeundi omnibus facerent potestatem: quo consilio dein rejecto suasit, ut omnes obtruncarent, rogatusque caussam, cur extrema illa sequeretur, cum media inter utrumque via possit eligi, liberos nimirum eos dimittendo, postquam iis certas leges, tanquã victis prius imposuissent, respondit: ita expedire potius, ut aut liberales sese erga Romanos exhiberent, adeoque hoc insigni beneficio pacem firmam ac stabilem cum iis firmarent, aut vires illorum ita penitus opprimerent, ne contra eos instaurari unquam possent; consilium vero aliud medium nec amicos parere ajebat, nec tollere *a* inimicos. Ideo Aristodemus Ætholis dicebat: *Romanos aut socios habere oportet, aut hostes, media via nulla est.*

§. In iis casibus, in quibus amicum aut hostem devincire quis cogitat, nihil efficient signa media: nam gratitudo in id, quod intermittitur, conjicit oculos, & facile caussam reperit, cur obstrictam se non sentiat. Sic Franciscus Galliæ Rex, postquam liber è captivitate abire permissus fuit, hostilem tamen animum ergaCarolum Quintum Imperatorem non deposuit, quia captivitas ista tam libera non fuerat, quã illa Alphonsi Regis Lusitaniæ, *b* quem captum in prœlio Rex Legionis Ferdinandus humanissime habuit, & curatum à vulneribus, ac sanitati redditum,

Y 3

a *Neutralitas nec amicos parit, nec inimicos tollit.* Polyb.

b Mar. Hist. Hisp. l. 11. c. 15.



tum, liberum abs ſe dimiſit: quæ benevolentia ſic illum cepit, ut Regnum ſuum univerſum victoris arbitrio permitteret; verum Ferdinandus conditione repudiata, ea tantum recepit oppida, quæ in Galæcia paullo ante oblata fuerant. Idem iſtuc expendit Philippus Dux Mediolanenſis, cum captis Aragoniæ & Navarræ Regibus (Alphonſo Quinto priori nomen erat) deliberationem inſtituit, quid illis fieri oporteret, auditiſque ſententiis, cum alii vellent lytro pecuniario eos eſſe redimendos, alii certis aſtringendis conditionibus, alii denique liberos omnino dimittendos, hoc ultimum ſecutus eſt, ut magis ſibi obſtrictos amicos domum remitteret.

5. Quando Regna bellis civilibus ſunt implicata, periculoſum

ſum eſt conſilium mediũ, nec ir hanc, nec in illã partem declinandi, quod facere contendebat Infans Henricus in motibus Caſtellæ, ob ætatem pupillarem Regis Ferdinandi IV, quo facto ſuos perdidit amicos, nec hoſtes tamẽ ſibi devinxit.

§. Nec minus periculoſum eſt promiſcue in totam animadvertere multitudinem, quare conſultius videtur, aut cum delictis illius omnino connivere, aut certe in uno aliquo inſigne aliquod exemplum ſtatuere. Ob eam cauſſam ſuaſum Germanico in rebellione Legionum Germanicarũ, ut aut nihil militi eorum, quæ peteret, aut *a* omnia concederet, & quia iis indulſit aliquid, conſiliiſq; mediis uſus fuit, reprehendi *b* meruit. In alia quoque occaſione ſimili Druſo auctore fuere, ut aut diſſimularet, aut remediis fortioribus ageret. Prudentiſſimum ſane conſilium: vulgus enim inter duo extrema nunquam conſiſtit medium, ſed ſemper excedit in *c* alterutro.

§. Vbi feſtinatione res indiget, actum eſt cum eo, qui nec ſatis audet, nec ſatis ſibi providet; quomodo Valenti accidit, qui inter conſilia, quę dabantur, hæſit anceps, nec quicquam certi ſtatuere *d* potuit.

a *Periculoſa ſeveritas, flagitioſa largitio: ſeu nihil militi ſeu omnia concederentur in ancipiti Repub.* Tacit. lib. 1. Annal.

b *Satis ſuperque miſſione, & pecunia & mollibus conſultis peccatum.* Idem ibid.

c *Alii fortioribus remediis agendum nihil in vulgo modicum: terrere, ni paveant, ubi pertimuerint, impune contemni.* Tacit. lib. 1. Annal.

d *Mox utrumque conſilium aſpernatus, quod inter ancipitia deterrimum eſt, dum media ſequitur, nec auſus eſt ſatis, nec providit.* Idem l. 3. Hiſt.

§. In rebus bellicis prudens interdum videri cupit metus, & conſilia quædam media ſuggerit, quæ animum addunt hoſti, & ſpatium concedunt, ut ſibi ante proſpiciat. Id quod Regi Ioanni Primo contigit, qui cum Coronam Luſitaniæ per mortem Regis Ferdinandi ſoceri ſui ad ſe devolutam prætenderet, ſtatuit in illud Regnum ſolus ingredi, juſſitque deinde ſuum ſequi exercitum; unde tempus nacti ſunt Luſitani, ut arma interea corriperent, quod factum non fuiſſet, ſi mox armis eos invaſiſſet, aut belli evitandi cauſſa jus ſuum ad juſtitiæ tribunal remiſiſſet. Parum comminatio proficit, ſi manus ictum intentans, armata non ſit, & interdum re ipſa puniat, ubi obedientia deſeritur.

Franci moræ impatientes, nec præteritum tempus reſpiciunt, nec præſens, & quo ſunt animi ardore, audacia & celeritate conſiliorum extra terminos abeunt; verum hoc ipſum ſæpe fortunata ea efficit; ita enim teporem effugiunt, & cito expediunt omnia. Hiſpani contra cunctantur, ut diu multumque conſiderando procedant cautius, & quia nimium prudentes eſſe cupiunt, hærere ſolent in mediis, immo dum tempus in conſiliũ vocant, omnino ea elabuntur è manibus.

Itali melius ex utroq; commodum aliquod norunt capere, utendo occaſionibus, quando ſe offerunt; contra ac Germani, qui in agendo tardi, & ſegnes in executione tempus præſens ſolum in conſilium adhibent, nulla præteriti ac futuri habita ratione. Pro eventuum

tuum varietate mutant & ipsi animum; unde factum, ut fortunam suam non valde ii auxerint, cum alioqui ejusmodi sit Natio, quæ ob innatam animi fortitudinem dominia sua longe lateque posset extendere. In eandem caussam referri potest diuturnitas bellorum civilium, quibus etiamnum hodie conflictatur Imperium, quæ constanti aliquo consilio ac celeritate sopiri jam pridem potuissent; verum ob consilia lenta, quæ pro prudentibus tamen habebantur, ingentes ad Rhenum vidimus exercitus, qui in Franciam usque penetrare potuissent, eamque ad pacem universalem faciendam compellere: quod damnum gravius fuit, quam si ab hoste cæsi fuissent sæpius; nulla enim clades major, quam si exercitus aliquis in seipso sensim intereat. Ea ipsa res proprias vastavit Provincias & loca confinia, per quæ bellum alio transferri debuisset, nunc vero in ipsa Germaniæ viscera immigravit.

§. In aliis civilis gubernationis negotiis locum habere possunt consilia media, tum propter extremorum pericula, tum quia expedit eam semper ingredi viam, unde minori cum incommodo postea (si necessum fuerit) ad unum aliquod extremorum possis accedere. Inter extrema illa antiqui prudentiam constituêre, adumbratam per volatum Dædali, qui nec Soli nimium appropinquabat, nec mari, ne aut nimio illius ardore alæ quibus utebatur, dissolverentur, aut hujus humiditate madefierent. In iis Provinciis, quarum incolæ natura serviles non sunt, sed ingeniis cultis potius, & animis generosis, populus tam caute & dextre regendus est, ut nec indulgentia nimia eum efferat, nec rigor alienet. Eque periculosum est, oreas & pastomides ei imponere, ac sine fræno relinquere, quia *a nec totam libertatem pati potest, nec totam servitutem*; uti de Romanis Pisoni dicebat *b* Galba. Exequi semper potentiam, est ferream servitutis catenam atterere. Tyrannidis genus est subditos ad normam Reip. summe perfectæ velle redigere, id enim non fert humana conditio. Minime necessarium est, gubernationem esse talem, qualis esse deberet, sed qualis esse potest: neque enim omnia, quæ conveniunt, possibilia sunt humanæ imbecillitati. Stultum est cupere, ut nulli omnino in Republ. aliqua sint defectus. c *Vitia erunt, donec homines.* Zelus immoderatus multorum errorum caussa est iis, qui præsunt, eo quod cum prudentia conformare se nesciat: uti & ambitio, quando nimirum Principes severi audire cupiunt, & gloriam suam collocatam putant in subditis sic gubernandis, ut ne in minimo unquam à ratione & legibus ipsi desciscant. Periculosus est rigor, qui affectus & ordinarias vulgi passiones non in consilium adhibet: apud illud enim plus

a Tacit. l. 4. Histor.

b *Neque enim hic, ut in cæteris gentibus, quæ regnantur, certa dominorum domus, & cæteri servi: sed imperaturus es hominibus, qui nec totam servitutem pati possunt, nec totam libertatem.* Tacit. lib. 1. Histor.

c Idem lib. 4. Hist.

plus dexteritate proficitur, quam potentia; plus exemplo & mansuetudine, quam severitate inhumana. In eam igitur curam incumbat Princeps, ut videatur subditos suos reperisse potius bonos, quā effecisse; quam egregiam laudem de Agricola in gubernatione Britanniæ cōmemorat *a* Tacitus. Temporibus præteritis ne falli se sinat, ut bonos mores, quos de illis sibi imaginatur, nunc de præsenti quoque observari velit, nam eadem semper fuit malitia: sed *b* *vitium est malignitatis humanæ, vetera semper in laude, præsentia in fastidio esse.*

Laudamus veteres, præsentes carpimus annos.

Etsi major olim severitas fuerit & obedientia, hæc tamen ætas eam ferre non sustinet, si mores antiqui in illa immutati fuerint, in quo deceptus Galba vitæ pariter suæ & imperii jacturam *c* fecit.

a *Maluit videri invenisse bonos, quam fecisse.* Tac. in vita Agric.

b Quinct. in dial. de orat.

c *Nocuit antiquus rigor, & nimia severitas, cui pares non sumus.* Tac. lib. 1. Hist.

SYMBOLVM LXXXVI.

ANimus humanus contentus minime fuit rerum terrestrium speculatione, quin immo tantæ moræ impatiens, quod rerum cælestium cognitio post obitum usque differretur, corporis sese vinculis exemit, & supra ipsa elementa volatu transcendit, ad indagandum per rationem, quod tactu, visu, & auditu assequi non licebat; adeoque in imaginatione sibi efformavit ideam pulcherrimæ illius fabricę, effingendo sphęram cum talibus orbibus differentibus, æquantibus, & epicyclis ut diversos astrorum & Planetarum motus scite exhiberent; & tametsi certus omnino non fuit, num res ita se haberet, hanc tamen consecutus est gloriam, quod mundum hunc animo nunc nosset concipere, qualis esset, aut quomodo sub alia forma, & dispositione posset constitui. Verum in idea ista non acquievit animus, immo inquietus & in investigationibus suis periculosus aliam plane diversam postea sibi imaginatus est, ac persuadere voluit aliis, perinde ac si sol centrum esset aliorum orbium, qui circum illum moveantur, & lucem suam ab eo recipiant. Opinio impia & aliena prorsus à ratione naturali; quæ quietem concedit gravibus contra divinas literas, quæ terrę stabilitatem faciunt *d* perpetuam: contra dignitatem hominis, quasi necessum habeat moveri, ut fruatur Solis radiis, Sol vero minime, ut eos homini communicet, cum tamen (sicut res omnes aliæ creatæ) conditus ille sit, ut eidem assistat & serviat. Certum itaque est, Principem illum lucis, qui ex officio in res omnes inferiores tenet imperium, eas collustrare, & præsentia sua iis formam tribue-

d *Terra autem in æternum stat.* Eccl. 1. 4.



tribuere, circumeundo sine intermissione ab uno Tropico ad alterum tam mirabili artificio, ut omnes terræ partes, si non æqualem calorem, lucem saltem æqualem ab eodem hauriant; qua re sapientia divina antevertit damnum, quod futurum esset, si Sol à linea Æquinoctiali non secederet: nam Provincias quasdam radii solares plane adurerent, aliæ nimio rigerent frigore, & tenebris perpetuis involverentur. Exemplum istud naturale erudit Principes quanti ad utilitatem publicam referat, si ipsi *velocissimi sideris more* Status suos & Provincias absque intermissione obeant, ut calorem rebus & subditorum affectui *a* impertiant; id

a *Velocissimi sideris more, omnia invisere, omnia audire.* Plin.

id quod Propheta Regius indicare voluit, cum dixit, Deum supra Solem suum posuisse *a* tabernaculum, cui nunquam conquiescit, & semper rebus adest. Rex Ferdinandus Catholicus, & Carolus Quintus Imperator, non habuerunt aulam certo loco fixam & stabilem; quo factum, ut res maximas ipsimet conficerent, quas per Ministros suos minime potuissent, qui etsi gnavi satis & solliciti, nunquam tamen id efficiunt, quod efficeret ipse Princeps, si coram præsens adesset, quia aut mandata iis desunt, aut facultas. Christus Dominus simul ipse ad piscinam venit probaticam, sanitatem reddit *b* Paralytico quam Angelus annis triginta octo eidem largitus non fuerat: neque enim huic mandatum erat aliud, quam ut aquam solum *c* commoveret, & ideo ut Ministro facultatis suæ fines egredi non licebat. Non bene gubernantur Status per solas aliorum relationes, ac propterea suadet Salomon ut Reges ipsi subditis aures *d* accommodent: hoc enim ad illorum pertinet officium, & apud ipsos, non apud eorum Ministros, est assistentia & virtus *e* divina, quæ comitatur solum sceptrum, cui Spiritum sapientiæ, consilii, fortitudinis, & pietatis *f* infundit, immo divinitatem quandam, qua Princeps futura *g* providet, ut nec iis, quæ oculis usurpat, nec in iis, quæ auribus percipit, falli *h* queat. Nihilominus tamen pacis tempore non videtur omnino inconveniens stata in certo aliquo loco commoratio, satisque erit Provincias obeundo Status suos semel coram inspexisse: neque enim sufficiunt æraria pro sumptibus & impensis ad frequentes aulæ translationes necessariis, nec fieri istæ possunt absque insigni subditorum detrimento, atque adeo quin perturbetur ordo Consiliorum ac Tribunalium, & gubernatio atque justitia retardentur. Rex Philippus Secundus toto gubernationis suæ tempore vix unquã Madrito pedem extulit.

In occasionibus belli magis consultum videtur, ut Princeps ipse coram iis intersit, & ducat subditos suos: ideo enim sacræ paginæ *i* Pastorem eum vocant, ac Ducem; quomodo Deus præcipiens Samueli, ut Saulem inungeret, non dixit in Regem, *k* sed in Ducẽ supra Israël, indicans, id præcipuum ejus esse officium, & quod olim Reges exercere fuere

a *In sole posuit tabernaculum*. Psal. 18. 6.

b *Surge, tolle grabatum tuum, & ambula*. Ioan. 5. 8.

c *Angelus autem Domini descendebat secundum tempus in piscinam: & movebatur aqua*. Ibid. v. 4.

d *Præbete aures vos qui continetis multitudines, & placetis vobis in turbis Nationum*. Sap. 6. 3.

e *Quoniam data est à Domino potestas vobis, & virtus ab altissimo*. Ibidem v. 4.

f *Et requiescet super eum spiritus Domini, spiritus sapientiæ & intellectus: spiritus consilii, & fortitudinis: spiritus scientiæ, & pietatis*. Is. 11. 2.

g *Divinatio in labiis Regis*. Prov. 16. 10.

h *Non secundum visionem oculorum iudicabit, neque secundum auditum aurium arguet*. Is. 11. 3.

i *Suscitabo super eos Pastores, & pascent eos: non formidabunt ultra, & non pavebunt: & nullus quæretur ex numero, dicit Dominus*. Ier. 23. 4.

k *Unges eum Ducem super Israel*, 1 Reg. 9. 16.

a soliti. Ea in re populus suum fundabat desiderium, cum Regem peteret, ut esset nimirum, qui ante eum egrederetur, & pugnaret pro *b* eo. Præsentia Principis in bello animos addit militibus. Lacedæmonii existimabant Reges infantes etiam in cunis ista præstare, & ideo ad prœlia eos una secum deportabant. Antigonus Demetrii filius sic statuebat, præsentiam suam in navali prælio multis hostium navibus *c* comparari posse. Alexander M. militum suorum erigebat animos, ponendo iis ob oculos, quod primus sese periculis *d* objiceret. Quando Princeps ipse in ejusmodi casu præsens adest, magna sæpe patrantur facinora, quæ in ejus absentia nemo attentare auderet; nec opus est ex aula expectare mandata, unde plerumque serius illa perferuntur, postquam præteriit occasio, & plena semper vanis timoribus aliisque cum circumstantiis, quæ in effectum deduci haud possunt; id quod in Germania experti sæpe sumus non absque insigni boni publici detrimento. Generosos spiritus & altas suscitat cogitationes in animis militum, si Principem, cujus est conferre præmia, factorum suorum spectatorem ac testem habeant. Hoc argumento fortitudinem suorum Hannibal inflammabat: *e Nemo vestrum est*, ajebat, *cujus non idem ego spectator & testis, notata temporibus locisque referre possim decora.* Idem Gofredus faciebat, cum sic milites alloqueretur:

> *f Di chi di voi no sò la patria, e'l seme,*
> *Quale spada m'e ignota, o qual saetta,*
> *Benche per l'aria ancor sospesa treme.*

Ea ratione necessum non erit, ut Princeps potentiæ suæ vires Generali alicui committat, quod tam exploratum est periculum, ut minus etiam tutum crederetur, quod eas Tiberius in manibus filii sui Germanici *g* constitueret. Atque hoc ipsum maxime in civilibus seditionibus locum habet, in quibus (ut diximus) præsentia Principis facillime rebellium componit *h* animos.

§. Verum non qualiscunque belli motus, aut civitatis alicujus jactura movere debet Principem, ut prodeat foras, & aulam suam deserat, unde in omnia reliqua manat regimen, prout Tiberius expendebat in tumultibus *i* Germaniæ;

a *Rex enim Dux erat in bello.* Arist. lib. 3. polit. c. 11.

b *Rex enim erit super nos, & erimus nos quoque sicut omnes gentes, & judicabit nos Rex noster, & egredietur ante nos, & pugnabit bella nostra pro nobis.* 1 Reg. 8. 19. & 20.

c *Me vero, inquit, præsentem, quam multis navibus comparas?* Plut. in Apoph.

d *Et is vos ego, qui nihil unquam vobis præcepi, quin primus me periculis obtulerim, qui sæpe civem clypeo meo texi.* Curt. lib. 8.

e Liv. dec. l. 2.

f Tass. can. 20.

g *In cujus manu tot legiones, immensa sociorum auxilia, mirus apud populum favor, habere imperium, quam expectare mallet.* Tac. l. 4. Annal.

h *Divus Julius seditionem exercitus verbo uno compescuit, Quirites vocando, qui sacramentum ejus detrectabant, Divus Augustus vultu & aspectu Actiacas legiones exterruit.* Tac. l. 1. Hist.

i *Neque decorum Principibus, si una alterave civitas turbet, missa urbe, unde in omnia regimen.* Tac. l. 3. Ann.

niæ; cumque alio tempore ipsi obtrectarent, quod non abiret ad componendas Hungariæ & Germaniæ Legiones, a *immotum adversus eos sermones* se præbuit *fixumque ei fuit, non omittere caput rerum, neque se remque publicam in casum dare.* His rationibus ducebantur, qui auctores erant Davidi, ut ne egrederetur in prælium contra Israëlitas, qui Absalonis partes sequebantur, eo quod ipsorum fuga, aut clades tantum damnum allatura non esset, quam ipse in persona sua, quæ decem millibus æquivaleret, si aut fugeret aut cæderetur, adeoque satius fore videretur, ut is pro præsidio in urbe remaneret, quod & b facit. Quod si bellum suscipiatur ad injuriam aut despectum vindicandum, aliis

c *Vindictam mandasse sat est.*

Idem videtur, si solius defensionis caussa arma sumantur, nec evidens urgeat periculum: tunc enim majorem Principi pariet existimationem si contemnat illud, & defensionem alteri alicui Duci commendet. Quod si bellum geratur ad aliquid de novo acquirendum, vel occupandum, vehemens censebitur ambitio semet objicere periculis, & majoris est prudentiæ per alium aliquem Fortunam experiri, pro eo ac fecit Rex Ferdinandus Catholicus, occupationem Regni Neapolitani Magno Duci, Indiarum vero Hermanno Cortesio committendo. Si belli Dux occumbat, in ejus locum sufficitur alius; at si Princeps pereat, pereunt omnia, ut Regi Sebastiano accidit. Absentiæ Principum ab aulis periculo non carent. Id experientia in Hispania comprobavit, quando Carolus Quintus Imperator ab illa abfuit. Nec decet, ut Princeps ad novas Provincias conquirendas, suas exponat d discrimini. Idem ipse Sol, cujus figura in præsenti utimur Symbolo, nunquam abit ad polos invisendos, quia alter eorum interim in discrimen veniret.

—— *Medium non deserit unquam*

e *Cæli Phœbus iter, radiis tamen omnia lustrat.*

Regibus apum Natura alas dedit quidem, sed exiguas admodum, ut ne longe à Regno suo secederent. Ad illud solum bellum Princeps procedat, quod intra Imperii sui fines geritur, aut quando evidens periculum illi ipsi imminet. Eam ob caussam Mucianus Domitiano Imperatori suasit, ut Lugduni in Francia se contineret, & tum primum se moveret, cum Provinciarum illarum status, aut Imperium majoribus periculis f jactarentur; nec bonum fuit consilium, quod Titianus & Proculus Othoni dedere, ut ne pugnæ

a Tacit. l. 1. Annal.

b *Egrediar & ego vobiscum. Et respondit populus: Non exibis: si enim fugerimus, non magnopere ad eos de nobis pertinebit; sive media pars ceciderit è nobis, non satis curabunt: quia tu unus pro decem millibus computaris: melius igitur est, ut sis nobis in urbe præsidio. Ad quos Rex ait: Quod vobis videtur rectum, hoc faciam.* 2 Reg. 18. 3. & 4.

c Claud.

d *Ne nova moliretur, nisi prioribus formatis,* Tac. l. 12. Annal.

e Claud.

f *Ipse Lugduni vim fortunamque Principatus è proximo ostentaret, nec parvis periculis mixtus, & majoribus non defuturus.* Tac. lib. 4. Hist.

pugnæ ad Bedriacum præsens adesset, è cujus successu Imperium a dependebat. Fortiorem magisque prudentem in præsenti occasione se nunc exhibet Serenissimus Archidux Leopoldus, qui etsi propugnari se videat Salefeldii junctis hostium copiis, & longe etiam majoribus, quam ipse habeat, sua tamen contemnit pericula, & generosa constantia semet tuetur, probe sciens in eventu illo salutem Imperii, & Augustissimæ Domus Austriacæ consistere: atque adeo primus est in periculis & laboribus militaribus;

——b *Monstrat tolerare labores.*

Non jubet.

5. Verum in his quoque casibus opus est belli conditionem expendere; num scilicet Princeps absens Statum suum majori periculo aut interno, aut externo expositurus sit: num forte successionem suam adducturus in discrimen; num fortis sit satis, & armorum capax; & ad ea propensionem habeat: nam si vel aliqua conditionum illarum defuerit, plus aliena manu efficiet, potentiam suam, & vires alteri committendo, ut in Magnete videmus, qui tangendo ferrum eique virtutem suam communicando, majus elevat pondus quam se solo faceret. Quod si gravis fuerit necessitas, satis erit, Principem in vicino esse, ut arma sua majori cum ardore promoveat, manendo alicubi, unde è propinquo deliberet, statuat, & mandata det. Ita Augustus faciebat, qui nunc Aquilejam, nunc Ravennam, nunc Mediolanum concedebat, ut bellis Hungaricis & Germanicis propius assisteret.

a *Postquam pugnari placitum, interesse pugna Imperatorem, an seponi melius foret, dubitavere. Paulino & Celso jam non adversantibus; ne Principem objectare periculis viderentur; iidem illi deterioris consilii perpulere, ut Brixellum conderet, ac dubiis præliorum exemptus, summa rerum & Imperii se ipsum reservaret.* Tac. l. 2. Hist. b Lucan. lib. 9.

SYMBOLVM LXXXVII.

NON semper fortunata est prudentia, nec infausta semper temeritas, & quamvis c *quisquis sapit celeriter, non tuto sapiat*, expedit tamen interdum ingeniis igneis, ut in decernendo primum sequantur impetum naturalem, quia si cunctentur, refrigescunt paullatim, & determinare se recte nequeunt; nec male evenire solet (in bello præsertim) si ferri se sinant occulta illa vi caussarum secundarum, quæ si ingenia non cogat, movet tamen, ut cum eadem non infeliciter operentur. Divinus quidam Genius iis adest actionibus, quæ suscipiuntur audacius, nimirum

Audaces fortuna juvat.

Scipio in Africam trajicit, & ultro se credit fidei Africanæ Siphacis, vitam suam & salutem publicam urbis Romæ in apertum adducendo discrimen: Iulius Cæsar in exigua aliqua navicula furori Adriatici maris se committit, & utrique sua feliciter cedit temeritas. Non omnibus à prudentia satis caveri potest,

c Sophoc.

nec



nec res grandes susciperentur, si eventus omnes & pericula in deliberationem illa traheret. Gaspar Borgias Cardinalis ementito habitu Neapolin ingressus est, cum plebem inter & Nobilitatem seditionem exortam intelligeret: periculum grande erat, cumque è Comitibus aliqui media quædam ei proponerent, quibus securitati suæ magis consuleret, respondit animo plane libero & generoso: *Null nunc in ista occasione delibera tempus est, aliquid casui perm tendum.* Si post magna pat ta facinora, in conjuncta mul pericula conjiceremus culos, non ea aggrederen iterum. *a* Iacobus Rex A gonius, cum mille peditibi equitibus trecentis & sexag ta urbem Valentiam obsid ausus est, & licet omni! ex

a Mar. Hist. Hisp. l. 12. c. 15

expeditio hæc temeraria videretur, immo impossibilis, deditio tamen facta. Consilia audacia ex eventu fere judicantur, si feliciter exeunt, laudantur à a prudentia, & damnantur ii, qui tutiora suaserant. Nullum est judicium, quod aut in celeri temeritate, aut cum moderate agit, cavere sibi satis possit, quia ab eventibus futuris, & sagacissimæ etiam providentiæ incertis dependent. Interdum temeritas occasionem antevertit, & subsequitur moderatio, interdum inter utramque transit illa subito, nec capillum habet in occipite, quo detineri possit.

Fronte capillata est, sed post occasio calva.

Omnia ab æterna illa providentia dependent, quæ ad agendum nos efficaciter impellit, quando ad ejusdem dispositionem & effectum divinorum decretorum ita expedit, & tunc consilia audacia non nisi prudentia sunt, errores vero rectitudo ipsissima. Si Monarchiæ alicujus superbiam velit deprimere, ne instar Babylonicæ turris cælum tentet contingere, confundit consilia & linguas Ministrorum, ne consentiant inter se; adeo ut si unus calcem petat, alius aut id non intelligat, aut arenam illi porrigat. In præmaturo eorum obitu, qui cum summo imperio præsunt aliis, non eum finem præ oculis habet, ut vitæ filum iis abrumpat, sed ut majestatem illam humi sternat. Spiritus sanctus victoriam Davidis à Goliatho reportatam referens, non dicit, lapide corpus ejus dejectum fuisse, sed ejus b exultationem. At si contra Monarchiam aliquam evehere cogitet, creat illa ætate magnos Duces & Consiliarios, aut facit eligi, & occasionem iis præbet exercendæ fortitudinis, & consilii sui dandi aliquod specimen. c *Pleraque in summa fortuna auspiciis & consiliis* potius, *quam telis ac manibus geruntur.* Tunc examen apum in ipsas cassides immigrat, & florent arma, uti floruit in monte Palatino venabulum Romuli apro intentatum. Ictus etiam errans Fundatoris illius Monarchiæ Romanæ feliciter cecidit, tanquam ejusdem prognosticon; atque adeo non semper fortitudo est, aut prudentia, quæ erigit aut sustentat (etsi instrumenta esse soleant) Monarchias, sed impulsus ille superior, qui caussas omnes simul sumptas movet, pro earum augmento, aut conservatione, & tunc etiam casus ab æterna illa Mente directus efficit, quod prudentia minime sibi imaginari antea potuisset. Cum rebellasset Germania, & res Romanæ in extrema essent desperatione d *affuit, ut sæpe alias, fortuna populi Romani* ex Oriente. Si ad ejusmodi fines destinata est fortitudo, & prudentia magni alicujus Herois, nemo alius; quantumvis fortis & eximius ille sit, gloriam fines istos assequendi eripere illi poterit. Aubenius insignis miles fuit, sed minime felix, quod movisset adver-

a *Fortuna in sapentiam cessit*. Tac. de more Germ.

b *In tollendo manum, saxo funda dejicit exultationem Golia*. Ecc. 47. 5.

c Tac. l. 3. Annal.

d Tac. lib. 3. Hist.

adversus magnum Ducem, destinatum ad firmandam in Italia Monarchiam Hispanicam, Deo nimirum disponente (uti & fecit cum Imperio a Romano) initia illius & causas, opera imprimis Regis Ferdinandi Catholici, qui prudentia sua & regnandi peritia Monarchiæ illius jaceret fundamenta, eandemque fortitudine sua erigeret, ac dilataret: tam attentus sane ad incrementa illius is advigilabat, ut nullam, quæ sese offerebat, occasionem negligeret, immo ultro omnes accerseret, quas judicium humanum ullo modo assequi poterat: tam denique in exequendo strenuus, ut primus semper esset in subeundis periculis, & laboribus militaribus exantlandis; cumque hominibus longe facilius esse soleat aliorum imitari exemplum, quam jussa exequi, dabat operam, ut operibus suis potius, quam mandatis præciperet. Verum quia ingens illa fabrica egebat operis, protulit ætas illa (magnorum Virorum feracissima) Columbum, Hermanum Cortesium, ambos fratres, Franciscum, & Ferdinandum Pizarrum, Antonium de Leiba, Fabritium & Prosperum Columnam, Raimonem de Cardona, Marchiones de Pescara, & Basto, & plures alios Heroës, tam illustres, ut vix unum talem singula ferant sæcula. Ad istum finem longo tempore vitam eorum Deus tunc produxit, nunc non furor Martis, sed lenta aliqua febris eam ante tempus eripit. Intra annos oppido paucos immatura morte sublatos vidimus Petrum de Toledo, Ludovicum Fajardo, Fridericum de Toledo, Marchionem Spinola, Consalvum de Corduba, Ducem de Feria, Marchionem de Aytona, Ducem de Lerma, Ioannem Fajardo, Marchionem de Zelada, Comitem de la Fera, Marchionem de Fuentes, Viros tam illustres, ut non minus adepti sint gloriæ ex rebus cum laude gestis, quam ex iis, quæ in futurum adhuc ab iisdem orbis expectabat. O profundam æterni Numinis illius providentiam! quis ex istis non argueret inclinationem Monarchiæ Hispanicæ? quomodo Claudii Imperatoris temporibus b *numerabatur inter ostenta, diminutus omnium Magistratuum numerus, quæstore, ædili, tribuno, ac pratore, & consule, paucos intra menses defunctis*; nisi adverteret, ideo ista tolli instrumenta, ut testata omnibus fiat, divino potius favore, quam viribus humanis, niti conservationem illius potentiæ, quæ columna est Reipubl. Christianæ. Primus ille universi Motor has rerum vicissitudines, has Imperiorum alternationes disponit. Vnum sæculum in una aliqua Provincia Viros magnos suscitat, excolit artes, illustrat arma, & aliud sequens mox evertit, & confundit omnia, ut ne vestigia quidem, superfint virtutis, aut fortitudinis, quæ preteritis fidem faciant. Quanta, quam occulta vis in hæc inferiora, immo in ipsos etiam animos, inest in caussis illis secundis cælestium orbium!

a *Struebat jam fortuna, in diversa parte terrarum, initia causasque imperio.* Tac. l.2. Hist.

b Tac. l.12. Annal.

bium! Non mero casu supernæ illæ faces diversæ sunt inter se ac differentes; aliæ quia statam & fixam habent sedem, aliæ quia hinc inde oberrant; cumque inæqualitas illa, & inordinatio ad pulchritudinem minime faciat, signum est, eam saltem conferre ad operationes & effectus. O volumen ingens, in cujus paginis (absque tamen potentiæ suæ, & arbitrii humani obligatione) rerum omnium effector ac molitor Deus Characteribus lucis pro gloria æternæ suæ sapientiæ descripsit mutationes rerum & vicissitudines quas legerunt sæcula prçterita, legunt præsentia, legent futura. Floruit olim Græcia armis & artibus, dedit Romæ quæ disceret, non quæ inveniret; nunc vero in profunda jacet ignorantia & vilitate. Augusti temporibus ingenia omnium etiam superarunt expectationem, jam inde à Nerone vero rursum ruere cœperunt, ut nec ullus sufficeret labor, nec industria, quæ artes scientiasque ab interitu prohiberet. Infelices animi illi magni, qui Monarchiis jam labentibus nascuntur, quia aut ad munera non adhibentur, aut ruinæ ponderibus obsistere nequeunt, immo eidem impliciti misere una corruunt absque honore & fama, quin a *etiam merito accidisse videtur interdum, & casus in culpam transit*. Nullam liberæ voluntati Deus vim facit, sed tamen, aut ipse causarum cursus eam secum trahit, aut cessante divina illa luce, suapte sponte impingit, & evertuntur ejus consilia, aut executioni mandantur *b* serius. Principes & Consiliarii oculi sunt Regnorum, & quando Deus hæc evertere cogitat, *c* illos excœcat, ut nec pericula videant, nec agnoscant remedia. Quod maxime profuturum putant, cum eo aberrant vel maxime. Casus vident, & eos non antevertunt, immo quantum in ipsis est, accersunt potius. Exemplum periculosum veritatis istius nobis præbent Cantones Helveti, tam prudentes semper & fortes in tuenda patria sua & libertate, nunc tamen adeo negligentes, sine omni cura, ut ipsi sibi ruinæ imminentis causa sint. Constituerat Rempublicam eorum primus Monarchiarum Auctor inter antemuralia Alpium & Rheni, eamque cinxerat Provinciis Alsatiæ, & Lotharingiæ, & Burgundiæ adversus potentiam Franciæ & aliorum Principum, cumque à belli incendio longissime abessent, felici & optata gaudentes tranquillitate, ultro Martem ad loca finitima evocarunt, foveruntque, spectantes è propinquo Provinciarum illarum ruinam in proprium eorum damnum deinde redundantem, quippe qui non adverterent quanta sint pericula potentiæ alicujus vicinæ, quæ viribus superat, & cujus fortuna necesse est, ut ex eorum cineribus assurgat altius. Metuo sane (ô utinam fallar!) ne jam ætas illa consistentiæ corporis Helvetici præ-

a Vellejus.

b *Cujuscunque fortunam mutare constituit, consilia corrumpit.* Vell. lib. 11.

c *Claudet oculos vestros, Prophetas, & Principes vestros, qui vident visiones vestras, operiet.* Is. 29. 10.

præterierit, & ne deficere illud jam cœperit, consumptis iis spiritibus & viribus, quæ æstimationem ei & magnitudinem pepetere. Habent nimirum Imperia suas periodos. Quod duravit diutius, à fine & termino suo abest propius.

SYMBOLVM LXXXVIII.



QVam mira Magnetis vis, quæ tam admirandos edit effectus! Quam amica ejus cum stella polari consensio, ut licet in hujus pulchritudine, pondere suo præpeditus, suos non semper defigere possit oculos, faciant id tamen acus magnete

magnete tinctæ! Quæ inter utrumque proportio est? quæ tanta vis, ut nec in distantia quidem tam longa & remota operari desinat? Et cur in illam stellam, aut cæli punctum inclinat potius, quam in aliud? Nisi communis esset experientia, ignorantia artibus magicis illud asscriberet; uti solet in effectibus Naturæ extraordinariis, quando occultas & efficaces ejus causas penetrare non potest.

Nec minus admirabilis est magnetis effectus, in attrahendo ad se, levandoque ferro, contra insitam ei gravitatem; quin illud ipsum impetu quodam naturali, quo fertur ad obediendum potentiæ isti superiori, sese illi unit, & facit suapte sponte, quod violentum esse debuerat. Ab hac prudentia vellem nunc Principem esse instructum, ad cognoscendum causarum concursum, qui (ut diximus) Imperia aut erigit, aut evertit, sciendumque quomodo in eo se gerere debeat, ut nec contra nitendo causarum illarum vim augeat, nec statim cedendo effectus earundem facilitet: nam series illa & connexio causarum, à causa prima motarum, fluvio similis est, qui quando alveo suo ordinario decurrit, facile in diversos dividitur rivulos, aut aggestis aggeribus in hanc aut istam partem derivatur, & pontibus insterni se sinit; verum ubi continuis imbribus, aut nivium liquescentium aquis auctus fuerit, nulla patitur obstacula, & si quis ei obsistat, hæc ipsa detentio vires ejusdem auget, ut omnia perrumpat. Eam ob rem Spiritus sanctus nos monet, ne opponamus nos cursui *a* fluminis. Patientia impetum illum superat, qui cito transit, evanescente sensim potentia: unde & mali augurii loco habebatur pro bello Vitellii in Oriente, quod Euphrates tantopere excrevisset, & vortices velut coronas quasdam spumæ candidæ ostenderet, considerantibus nimirum, quam mox desinerent illi fluminum *b* impetus. Quando igitur multæ causæ in unum conspirantes victorias Principis hostilis comitantur, & felicem expeditionibus militaribus viam patefaciunt, magnæ erit prudentiæ, tempus iis indulgere, ut seipsis sensim deficiant, non quod illæ necessitatem aliquam inferant liberæ voluntati, sed quia hujus libertas in solos animi & corporis motus tenet imperium, non in illa exteriora. Poterit illa quidem non cedere casibus, ut tamen ab iisdem non obruatur, efficere semper non poterit. Plus constantia in sperando valet, quam fortitudo in prœliando. Noverat illud Fabius Maximus, adeoque illum Hannibalis torrentem præterlabi passus est, donec longis cunctationibus imminutum vicit, & Rempublicam Romanam conservavit. Eventus vires, & incrementum sumunt ab invicem, & opinione auctoritatem nacti crescunt subito, ut nulla tanta sit potentia, quæ iis obsistere satis possit.

a *Nec coneris contra ictum fluvii.* Eccl. 4. 32.

b *Fluminum instabilis natura simul ostenderet omnia, rapuerit que.* Tacit. lib. 6. Annal.

sit. Carolum Quintum Imperatorem fortunatum reddidit, & gloriosum Monarchia Hispanica, felix effecit Imperium ejusdem prudentia, fortitudo, & vigilantia præsens in rebus omnibus, quas eximias illius dotes communis Nationum omnium applausus & admurmuratio sequebatur: omnes ad fortunam ejus se adjungebant, & Rex Franciæ æmulatione tantæ gloriæ eandem infringere conatus, suammet libertatem perdidit. Quantis armatum minis fulgur erumpit è nubibus! ubi obnixum reperit, tum primum suum exerit robur? absque illo in ipso aëre evanescit: tale fuit illud Sueciæ fulmen è Septentrionis exhalationibus ortum; intra dies paucos de Imperio triumphavit, totumque pæne orbem terrore complevit, & glande unica plumbea trajectum mox disparuit. a *Nihil rerum mortalium tam instabile ac fluxum est, quam fama potentia non sua vi nixa.* Fragilis est omnino illa vis causarum plurium simul concurrentium: aliæ enim alias impediunt, & variis casibus obnoxiæ sunt ac tempori, quod sensim earum effectus dissipat. b *Multa bella impetu valida per tadia, & moras evanescunt.* Qui multorum hostium fœdere junctorum vires aliquamdiu sustinet, eas cum tempore superat: in multis enim diversæ sunt causæ, utilitates diversæ & consilia, & si contingat in una aliqua re inter eos haud satis convenire, discedunt ab invicem, ac sese dividunt. Nulla fœderis consociatio major, quam illa Camenacensis contra Rempubl. Venetam; verum constantia, & prudentia fortissimi illius Senatus mox eam disturbavit. Res omnes ad certum assurgunt fastigium, post iterum collabuntur. Qui tempus illud nôsset, facile eas c superaret. Quia ista nobis deest notitia, quæ interdum in punctulo aliquo exiguæ morulæ consistit, casibus succumbimus. Impatientia nostra, aut ignorantia graviores eos efficit: cum enim scire sæpe nequeamus, quanta in iis vis insit, ultro cedimus; aut eos etiam promovemus iis ipsis mediis violentis, quibus eos avertere molimur. Exordiri Deus cœperat magnitudinem Cosmi de Medicis, & qui sistere eam voluerunt, è Republica Veneta illum proscribendo, supremum illius Dominum eum effecere. Majori cum prudentia fortunæ illius torrentem observavit Nicolaus Vzanus, & ne ab oppositione incrementum sumeret, satius esse putavit nullam (dum viveret) ei præbere offensæ occasionem; at una cum illius morte consideratio tam prudentis consilii desiit. Nec occulta esse potest major illa vis similium casuum, siquidem in horum prosperitatem conspirant omnia, etsi ptimo intuitu fini eorundem plane videantur contraria; atque adeo d *optimum* tunc *est pati, quod emendare non possis, & Deum quo auctore cuncta eveniunt sine murmure comitari.* Nec decet, ferrum magis obedire Magneti, quam nos voluntati divinæ. Minus incom-

a Tac. lib. 13. Annal.
b Idem lib. 2. Hist.

c *Opportunos magnis conatibus transitus rerum.* Id. l. 1. Hist.
d Sen. ep. 108.

commodi patitur, qui cursu illo rapi se sinit, quam qui eidem obnititur. Stulta cogitatio est, Dei consilia velle evertere. Non ideo certæ esse desierunt prædictiones de statua, cui pedes erant lutei, ut Nabuchodonosor *a* somniaverat, quod aliam ex auro solido fieri curasset, eamque jussisset adorari. Verum hæc voluntatis nostræ ad divinam accommodatio non tam bruta esse debet, ut credamus omnia sic ab æterno esse ordinata, ut sollicitudine nostra & consilio emendari nihil possit: hæc ipsa enim animi imbecillitas foret, quæ divini illius ordinis causa extitisset: sic agere nos oportet, ac si omnia à nostra dependerent voluntate, nam nobismet ipsis utitur Deus ad fortunam nostram adversam, aut *b* prosperam. Pars rerum sumus, & ea non minima. Tametsi eæ sine nobis dispositæ fuerint, sine nobis tamen factæ non sunt. Disrumpere non possumus illam eventuum telam, in textrina æternitatis prætextam, at potuimus ad illam texendam concurrere. Qui causas disposuit, effectus ante vidit, & cursum iis permisit, suo tamen subjectum imperio. Quem voluit, à periculo vindicavit, alium contra in periculo reliquit, ut in eodem libere ageret: si illud gratiæ fuit aut meriti, hoc justitiæ asscribi debet. Implicita ruinis casuum una cadit voluntas nostra, cumque sapientissimus ille rerum omnium conditarum figulus supremus sit arbiter, potuit pro libitu vasa sua destruere, & aliud in ostentationem & gloriam effingere, aliud in *c* contumeliam. In disponendis ab æterno Imperiis, eorundem incrementis, mutationibus, aut ruinis, semper animo suo præsentes habuit supremus ille orbium Gubernator fortitudinem & virtutem nostram, nostrám item negligentiam, imprudentiam, aut tyrannidem, eaque præscientia fultus ordinem rerum æternum disposuit congruenter motui & executioni nostræ electionis, absque ulla ei facta violentia: sicut enim nullam voluntati nostræ infert necessitatem, qui ratiocinando ipsius assequitur operationes, ita nec is qui immensa sua sapientia eas longe ante prævidit. Propter immutationes Imperiorum voluntatem nostram non coëgit, quin illa immutavit potius, quia hæc à recto tramite libere descivit. Crudelitas Regis Petri tum exercita, in causa fuit, cur ei frater suus Henricus in Corona succederet, non contra. *d Valentior enim omni fortuna animus est, in utramque partem res suas ducit, beataque ac misera vitæ causa est.* Fortunam à casu expectare, ignavia est. Credere, præscriptam & definitam jam esse, desperatio. Inutilis foret virtus, & vitium per violentiam excusaretur. Conjiciat Serenitas Vestra oculos in gloriosos suos Progenitores, qui Monarchiæ hujus amplitudinem

a *Nabuchodonosor Rex fecit statuam auream.* Dan. 3. 1.

b *In manu Domini prosperitas hominis,* Eccles. 10, 5.

c *Annon habet potestatem figulus luti, ex eadem massa facere aliud quidem vas in honorem, aliud vero in contumeliam?* Ad Rom. 9, 21.

d Sen, Ep. 98.

neni erexerunt, videbit, opinor, eos non à casu fuisse coronatos, sed à virtute, à fortitudine, à laboribus, & iisdem postea artibus eam conservatam à Posteris, quibus eadem debetur gloria: neque enim minus suam fabricatur fortunam qui eam tuetur, quam qui eandem primo erigit. Tam eam acquirere difficile est, quam facilis ejus ruina. Vnica sola hora imprudenter transacta evertit, quod annis multis partum fuit. Agendo & vigilando Dei parantur *a* auxilia.

a *Non enim votis, neque suppliciis muliebribus auxilia Deorum parantur, vigilando, agendo prospere omnia cedunt.* Sallust. Catil.

SYMBOLVM LXXXIX.

Concordia res parvæ crescunt, discordia res maximæ dilabuntur. Vnitæ inter se cuilibet vi resistunt, quæ divisæ imbecillæ erant ac debiles. Quis jubam equinam junctis pilis extrahere poterit, aut sagittarum fasciculum *b* diffringere? & singulæ tamen minimæ etiam violentiæ resistere nequeunt. His Symbolis Sertorius, & Scilurus Scytha vim concordiæ adumbrabant, quæ ex partibus multis distinctis unum corpus unitum & robustum efficit. Cura tranquillitatis publicæ mœnia civitatum supra staturam hominum erexit, ea altitudine, ne subire illa possent; & multi tamen simul milites, consertis invicem scutis, alios unione reciproca, & concordia in altum extollentes, eorum superabant cacumina, & expugnabant. Omnia Naturæ opera amicitia & concordia conservantur; & contra hac deficiente, illa quoque extinguuntur, & pereunt: siquidem causa mortis alia non est, quam dissonantia & discordia partium, à qua vitę conservatio dependet. Idem prorsus in Rebuspubl. accidit; uti eas consensio communis in unum coëgit, ita majoris aut potentioris partis dissensio dissolvit vicissim, & dissociat, aut novas iis inducit formas. Civitas, quæ per concordiam erat civitas unica, absque ea in duas, immo tres interdum, aut quatuor civitates dividitur, sublato amoris vinculo, quo cives in unum corpus coalescebant. Atque hanc dissociationem parit odium, unde mox vindicta oritur, ex hac contemptus legum, sine quarum auctoritate vim suam perdit *c* justitia, absque ista vero ad arma concurritur, & excitato belli civilis incendio, facile ruit Reipublicæ ordo, qui in unitate consistit. Simul ac apiculæ discordes inter se esse incipiunt, dissolvitur illa Respublica. Antiqui, ut discordiam exprimerent, fœminam depingebant vestes suas lacerantem.

d *Et scissa gaudens vadit discordia palla.*

Quod si idem illud inter cives efficit, quomodo ad defensionem utilitatemque communem ii unire se poterunt? quomodo Deum habebunt propitium, qui ipsa est concordia, eamque tantopere diligit, ut

b *Funiculus triplex difficile rumpitur.* Eccl. 4. 12.

c *Ex justitia legem in concordia disposuerunt.* Sap. 18. 9.

d Virgilius.



ut cum eadem, Iobo *a* teste, Monarchiam cælestem suam tueatur, ac foveat? Plato dicere solebat, nihil æque Rebusp. perniciosum esse, ac divisionem. Concordia civitatis ornamentum est, murus & præsidium. Ne ipsa quidem malitia absque illa consistere diu poterit. Dissensiones domesticæ hosti victoriam tribuunt. Propter Britannorum discordias de Romanis ajebat Galgacus: b *Nostris illi dissensionibus, & discordiis clari, vitia hostium in gloriam exercitus sui vertunt.* c *Conversis ad civile bellum animis, externa sine cura habentur.* Verum non obstantibus his aliisque ratio-

a *Qui facit concordiam in sublimibus.* Iob. 25. 2.

b Tac. in vita Agric.

c Tac. lib. 1. Hist.

rationibus suadent nonnulli politici, disseminandas esse inter cives discordias, ad conservandam Rempublicam, eumque in finem apes in exemplum adducunt, in quarum alvearibus semper murmur aliquod auditur, & dissensio; verum id opinionem illam minime roborat, quin evertit potius: siquidem illa murmuratio non est dissonantia voluntatum, sed vocum concordia, quibus sese mutuo ad mellis conficiendi labores quasi hortantur, & excitant, perinde ac nautæ solent, quando vela expediunt. Nec valet argumentum à quatuor humoribus corporum viventium, contrariis inter se & pugnantibus: nam potius ex eorundem pugna multæ nascuntur infirmitates, & vitæ brevitas, dum prædominans aliquis victoriam tandem obtinet. Hinc corpora solum vegetabilia, quia pugnante illa contrarietate carent, perdurant diutius. Plane necesse est, ut quod à seipso diffidet, & discordat, patiatur; quod vero patitur, diuturnum esse non potest. Quis divisa Republica aliqua dissensionum flammam intra certos & definitos terminos continere poterit? quis eam restinguet postea, si omnes involverit? Factio potentior opprimet imbecilliorem, & illa, ut se tueatur, hæc ut se ulciscatur, extraneis utentur viribus, & Rempublicam servituti subjicient, aut novam introducent gubernationis formam, quæ semper fere tyrannica erit, ut plurima exempla testantur. Ad officium Principis nequaquam pertinet dissociare civium animos, sed concordes illos servare potius, & amicos, nec in ejus obsequium & amorem conspirare possunt ii, qui divisi sunt inter se, aut qui non perpendunt, unde tantum sibi damni oriatur. Quoties itaque Princeps ipse discordiæ caussa est, permittit Providentia divina (utpote quæ illam extreme a detestatur) ut eæ ipsæ artes, quibus conservare se studebat, eidem ruinam accersant; factiones enim illud advertentes eum despiciunt & abominantur, tanquam primum dissensionum suarum auctorem & incentorem. Rex Italus magno Germanorum cum applausu & amore acceptus fuit, quia discordias non fovebat, & pari in omnes affectu ferebatur.

5. Ob has ergo aliasque similes rationes cavere debet Princeps, ne discordiæ radices agant; sed in eo elaborare potius ut Status sui unionem foveat, quam facile conservabit, si attenderit ad observantiam legum; ad unitatem Religionis; ad frugum & annonæ abundantiam; ad æqualem præmiorum & gratiarum distributionem; ad conservationem privilegiorum; ad occupationem vulgi in artibus mechanicis; nobilium in gubernatione publica, armis, & literis; ad prohibitionem conventuum; ad frugalitatem & modestiam majorum; ad minorum tranquillitatem; ad frænum, quo coërceri possint, qui privile-

Z gi is

a *Et septimum detestatur anima ejus, eum, qui seminat inter fratres discordias*, Prov. 6, 19.

giis gaudent & immunes videri cupiunt; ad mediocritatem denique divitiarum & remedium egestatis. Nam correctis & bene constitutis rebus istis, bona inde consurgit gubernatio: & ubi hæc reperitur, ibi pax viget & concordia.

Tunc solum operæ pretium videri posset & licitum excitare in Regnis discordias, cum ipsa seditionibus & bellis civilibus turbata jam fuerint, in factiones varias ea scilicet distrahendo, ut tanto minor sit improborum potestas: tunc enim finis alius non est, quam pacem bonis reddere; curare vero, ut ea inter perturbatores impediatur, defensio est naturalis: siquidem a *concordia malorum contraria est bonorum*, & *sicut optandum est, ut boni pacem habeant ad invicem, ita optandum est, ut mali sint discordes. Impeditur enim iter bonorum, si unitas non dividatur malorum.*

S. Discordia, quam damnamus ut perniciosam Rebuspublicis, est illa, quæ ex odio & inimicitia nascitur; non ea contentio, quæ inter Status & membra ejusdem Reipublicæ etiam locum habet, uti Plebem inter & Nobilitatem, inter Milites & Artifices: nam ista contrarietas aut potius æmulatio illa ipsa naturarum & finium diversitate distinctos servat gradus & sphæras Reipublicæ, eamque tuetur ac fovet, nec censendæ sunt seditiones, nisi quando Status se uniunt, & commoda singulorũ propria inter se faciunt communia; haud secus atque ex commixtione elementorum & fluviorum, ac torrentium concursu nascuntur tempestates. Oportet igitur, ut in hanc divisionem Princeps advigilet, & sic eam moderetur ac temperet, ut nec ad omnimodam unionis dissolutionem, nec ad illicita partium fœdera perveniat.

Idem quoque inter Ministros procurari debet, ut certa aliqua æmulatio, & unius erga alium diffidentia magis sollicitos eos habeat, & attentos ad officii sui obligationes: nam si eo non probe curato, dissimulentur errores, & celentur delicta, aut illi incommoda sua privata unanimi consensu conspirent, actum erit de Principe ejusque statu, neque adhiberi poterit remedium, quia non alia manu, quam ipsorummet Ministrorum id fieri oportebit. Verum si honesta illa inter Ministros & generosa æmulatio in odium & inimicitiam degenerat, eadem creabit incommoda; magis enim erunt solliciti, ut unus alteri contradicat, & consilia actionesque alterius evertat, quam ut bonum publicum & Principis sui obsequium promoveant. Quisque suos habet amicos & fautores, & vulgus facile ad partium studia inducitur, unde tumultus oriri solent & dissensiones. Eam ob caussam junxere se Drusus & Germanicus, ne forte afflante eorum favore cresceret discordiarum flamma, quæ in Tiberii palatio succensa fuerat. Ex quo illud etiam liquet, quam erroneum fuerit Lycurgi judicium, qui inter Reges Lacedemonios discordias disseminabat, jubebatque ut si qui procul mittendi

a S. Isidorus.

tendi essent Legati, ad id muneris legerentur ii, inter quos inimicitia aliqua intercederet. Et habemus hac nostra ætate exempla non pauca damnorum publicorum, quorum caussa fuit dissidium Ministrorum, qui simul missi fuerant ad unum aliquod negotium pertractandum, eo quod crederetur, illam ipsam æmulationem iis stimulo fore, ut quam optime rem conficerent. Vnum est Principis obsequium, nec recte curari potest, nisi per eos, qui concordes sunt inter se: quo nomine Agricolam laudat Tacitus, quod a *procul ab æmulatione adversus collegas* esset. Et sane minus incommodi est, per Ministrum aliquem malum aliquod geri negotium, quam per duos etiam bonos, si inter eos non satis conveniat id, quod raro feliciter cedit.

a Tacit. in vita Agric.

§. Nobilitas maxima Principis securitas est, & periculum maximum: corpus enim est admodum potens, quod maximam plebis partem post se trahit. Cruenta nobis exempla Hispania & Francia suppeditant: illa temporibus præteritis, hæc sæculis omnibus remedia sunt, illam beneficio æmulationis, cum dicta tamen moderatione à plebe, & à seipsa servare divisam, multiplicare item, & æquales reddere Nobilium titulos ac dignitates: fortunas eorundem insumere in ostentationes publicas: generosos eorum animos impendere laboribus & periculis bellicis: distrahere eorum studia occupationibus pacis, & sublimiores spiritus servilibus aulæ obsequiis deprimere.

SYMBOLVM XC.

IN Scriptura sacra Reges fluviis comparantur. Ita intelligi debet illud Prophetæ Habacuc, cum dixit Deum scissurum fluvios *b* terræ; quo innuere volebat, divisurum Deum potentiam & vires eorum, qui contra populum suum arma sumpsissent; id quod expertus est David in clade illa, quam Philisthæis intulit, & palam confessus exclamavit: *c Divisit Dominus inimicos meos coram me, sicut dividuntur aquæ.* Nullum efficacius medium, ad sternendam potentiam aliquam, quam divisio: nam vel maxima etiã, si dividatur, resistere ultra non potest. Quam superbe intra alveum suum decurrit flumen, & perruptis etiam ripis atque aggeribus novas sibi vias aperit; at si in varios diducatur rivulos, vires amittit, & fit omnibus pervium. Ita fluvio Gyndi accidit; nam cum in eo equus aliquis Regi Cyro inprimis charus forte submersus fuisset, tantopere is exarsit iracundia, ut jusserit illico in centum & sexaginta rivulos eum dividi, quo facto & nomen perdidit & magnitudinem, quique antea vix pontes ferebat, postea à quocunque vadari poterat. Eo spectabat consilium, quod quidam dederunt Senatui Roma-

b *Fluvios scindes terræ.* Hab. 3. 10.
c 2 Reg. 5. 20.



no temporibus Tiberii Imperatoris; fluvio Tiberi scilicet venam esse incidendam, alio divertendo lacus & fluvios, qui in illum se *a* exonerabant, ut nimirum vis ejus imminueretur, neque propter inundationes Roma in metu semper & periculo versaretur. Verum Senatus id facere renuit, ne illam Tiberi gloriam *b* eriperet. Omnia ista Symbolo præsenti occasionem dedere, significando nimirum per fluvium in diversas divisum partes, quanti intersit Principum potentiorum vires distra-

a *Si amnis Nar (id enim parabatur) in rivos diductus superstagnavisset.* Tac. lib. 1. Annal.

b *Quin ipsum Tiberim nolle prorsus accolis fluviis orbatum, minori gloria fluere.* Ibid.

distrahere: quo enim potentia major est, eo majoribus viribus, sumptibusque ad suam defensionem indiget, nec pro ea re habere potest tot Duces & copias militares, nec mala omnia antevertere. Perturbatur animi fortitudo & prudentia, quando è partibus tam diversis pericula minitantur. Estque hoc securissimum medium, & utenti minime sumptuosum: majores quippe habet effectus tuba aliqua militaris, quæ in diversis Regni alicujus partibus subito ad arma vocat, quam bellum aliquod solenni ritu indictum.

§. Tutius semper & utilius est, hostium vires dividere, & inter ipsos eorum statûs discordiæ caussas *a* serere: b *discordia enim & seditio omnia facit opportuniora insidiantibus*. Ejusmodi artibus dominatum suum in Hispania stabilivere Phœnices, in varias eam factiones distrahendo. Idem contra eos fecere Carthaginenses. Ea propter non imprudens fuit consilium Marchionis Gaditani, *c* quando capto Boabdile Granata Rege, Regi Ferdinando Catholico suadebat, ut eum libertati redderet, ad alendas porro factiones, quæ ipsum inter & Patrem ortæ de Corona, Regnum in diversa studia distraxerant. d *Vrgentibus Imperii Romani fatis, nihil jam præstare fortuna majus potuit, quam hostium discordiam.* Nulla pecunia locatur utilius, neque minori cum sanguinis profusione, aut periculo, quam quæ expenditur in fovendas dissensiones Regni alicujus hostilis, aut eum in finem, ut alius Princeps illi bellum inferat: ita enim minores fiunt expensæ, nec tanta consequuntur damna. Verum ea in re singulari advertentia opus est: interdum enim ex timore aliquo vano inutiles fiunt sumptus, & detecta intentione prava aperta remanet hostilitas. Qua de re multa habemus exempla in iis, qui absque caussa ullius acceptæ injuriæ, aut utilitatis suæ propriæ, foverunt hostes Domus Austriacæ, ut continuo armorum exercitio eam distinerent, suamet æraria inutiliter interim exhaurientes, neque adverterunt tamen, si forte ab Austriacis oppugnarentur, utilius sibi fore, si ad defensionem suam nunc haberent residuum, quod ad distrahendas illius vires impenderant.

§. Atque hæc tota doctrina absque omni scrupulo politico procedit in bello aliquo manifesto, ubi ratio defensionis naturalis plus valet, quam aliæ considerationes minus solidæ, & caussa eadem, quæ bellum justum efficit, illam quoque discordiam reddit licitam. Verum quando mera est magnitudinis invidiosa æmulatio, minime his artibus uti licebit: nam qui alterius Principis subditos ad rebellionem concitat, suos quoque docet fieri proditores. Æmulatio inter personas fit, non inter officia. Dignitas in omnibus suis partibus ejusdem rationis est; quod unam earum offendit, lædit omnes.

a *Prudentis esse Ducis inter hostes discordiæ caussas serere.* Veget.
b Livius.
c Mar. histor. Hisp. l. 25. c. 4.
d Tac. de more Germ.

Transeunt passiones & odia; exempla mala manent perpetua. Rem suam agit Princeps, qui nec patitur, ut in dignitatem alterius contemptu peccetur, aut inobedientia, nec proditione in ejusdem personam. Indignum Principe facinus, veneno alium vincere, non gladio. Infame id olim apud Romanos a habebatur, uti etiamnum hodie apud Hispanos, qui nunquam ejusmodi occultis artibus contra hostes suos usi sunt, quin immo auxilio iis sæpe fuere. Insigne ejus rei exemplum Serenitati Vestræ dereliquit Rex noster Catholicus, quando exercitu auxiliari præsto fuit Regi Franciæ adversus Anglos, cum hi occupassent Insulam Regiam, nec locum dedit Ducis Roani consilio, qui Regnum in Respub. volebat dividi. Alio item tempore quando sua Majestas per Dominum de Maximi, Nuntium Apostolicum, paratam se obtulit, eidem Regi suamet præsentia assistere, ut Hugonottas Montis Albani debellare posset, & Provinciis suis ejicere. Quæ insignis & heroïca benevolentia non nisi ingratitudine compensata fuit postea; relictis rationi documentis, ut non tam facile Status alieni commiseratione tangi se sinat.

§. Atque ex iis, quæ diximus, nemini non licebit colligere, quanti ad defensionem communem referat illa animorum inter subditos concordia, & Statuum unio, si nimirum unusquisque alterius periculum pro suo æstimet, quantumvis etiam longe remotum id sit, adeoque modis omnibus conetur, qua copiis, qua subsidiis pecuniariis eidem ferre suppetias, ut corpus, quod ex illis conflatur, tueri se possit. Qua in re errare solent non pauci; dum qui absunt longius, existimant periculum ad se non perventurum, aut nequaquam se teneri ad anticipandos ejusmodi sumptus, majorisque esse prudentiæ, suas conservare vires, donec hostis vicinior fuerit. Sed tunc superatis jam difficultatibus, & Statibus antemuralibus occupatis, reliqui resistendo amplius non erunt. Ita Britannis accidit, de quibus sic Tacitus. b *Olim Regibus parebant, nunc per Principes factionibus, & studiis trahuntur; nec aliud adversus validissimas gentes pro nobis utilius, quam quod in commune non consulunt. Rarus duabus, tribusve civitatibus, ad propulsandum commune periculum conventus: ita dum singuli pugnant, universi vincuntur.* Majori cum prudentia, & illustriori pietatis, fidelitatis, zeli, & amoris in legitimum suum Dominum exemplo, periculum istud agnoscunt Regna Hispaniæ, Provinciæ Italicæ, Burgundicæ, & Belgicæ, siquidem generosa quadam æmulatione Majestati suæ ultro offerunt fortunas suas, immo & vitam, ut se contra hostes suos tueri possint, qui junctis una viribus, ad evertendam Religionem Catholicam, & istam Monarchiam conspirarunt. Inscribat Serenitas Vestra

a *Non fraude, neque occultis, sed palam, & armatum populum Romanum hostes suos ulcisci.* Tac. lib. 2. Hist.

b Tac. in vita Agric.

ſtra tenerrimo ſuo pectori hæc obſequia, & creſcentibus ejus glorioſis annis una etiam creſcat erga ſubditos tam fideles gratitudo & æſtimatio.

a *E juzgareis qual è mais excellente,*
O ſer do Mundo Rey, ſe de tal Gente.
a Cam. Luſ.

SYMBOLVM XCI.



V*Idetur amicitia Rempublicam* magis b *continere, & majore, quam juſtitia in ſtudio fuiſſe Legiſlatoribus.* Nam ſi *amicitia inter omnes eſſet, nihil eſſet, quod juſtitiam deſiderarent; at ſi juſti eſſent, tamen amicitiæ præſidium requirerent.*

b Ariſt. l. 8. Ethic. c. 1.

Maximum inter homines bonum, amicitia est. Gladius securus, semper accinctus lateri tam pacis, quam belli tempore. Socia fidelis in utraque Fortuna. Cum illa eventus prosperi illustriores sunt, adversi leviores: neque enim eam fugant calamitates, nec evanescere facit prosperitas. In hac eam suadet modestia, in illis constantia; in rebus tam secundis, quam adversis præsto est, tanquam utrobiq; fructum factura. Consanguinitas absque benevolentia & affectu consistere potest, Amicitia non item. Hæc ab electione propria nascitur, illa à casu. Consanguinitas esse potest sine communicationis & subsidii mutui vinculo, Amicitia minime; siquidem tria sunt, quæ tanquam partes, quibus constat, eam uniunt: Natura scilicet similitudinis beneficio, voluntas beneficio humanitatis, & ratio beneficio honestatis. Eo pertinent illa verba Regis Alphonsi Sapientis in libro Legum, quem *Partidas* inscribit, dum loquitur de crudelitate, quam exercet iis, qui captivum ducit unum ex iis, qui aut sanguine, aut amicitia juncti amant inter se. a *Otro si los amigos, que es muy fuerte cosa de partir a unos de otros: Ca bien como el ayuntamento del amor passa, e vence al linaje, è à todas las otras cosas, asi es major la cuita, è el pesar, quando se parten.* Quanto ergo magis probata, majorisque sinceritatis amicitia fuerit, tanto minus valebit, ubi semel violari cœperit. Cryſtallus fracta prorsus inutilis efficitur. Omne adamantis perit pretium, si in frusta dividatur. Gladius semel confractus solidari iterum non potest. Qui amicitiæ reconciliatæ confisus fuerit, deceptum se inveniet: ad primum enim adversitatis casum, aut spem commodi privati mox iterum deficiet. Nec Davidis clementia in parcendo Saulis vitæ, nec beneficiorum memoria, & promissiones tam benevole jurejurando à Saule firmatæ, satis fuere, ut David de reconciliatione illa securus b esset, aut ut Saul adversus illum machinari desineret. Amplexu mutuo & manantibus fletu oculis Esau cū fratre suo Iacobo in gratiam redire voluit, & tametsi utrinq; magna amicitiæ redintegratæ pignora essent atque indicia, nunquam tamen Iacobi diffidentiam tollere omnino potuere, quin illud modis omnibus conatus est, ut sese ab illo sejungeret, & securitati suæ consuleret. Amicitia redintegrata vas metallinum est, quod hodie splendet, & cras ærugine c obducitur. Nec satis sunt ulla beneficia ad eam firmandam, quia injuriæ memoria nunquam ex animo deletur penitus. Ervigius d (post usurpatam Regis Wambæ coronam) Egicam arcta cognatione Wambæ sanguini annexum

a L.19.tt.2.p.2.

b *Abiit ergo Saul in domum suam: & David, & viri ejus ascenderunt ad tutiora loca.* 1 Reg.24.23. Gen. 33. 12.

c *Non credas inimico tuo in æternum: sicut enim æramentum, æruginat nequitia illius: & si humiliatus vadat curvus, adjice animum tuum, & custodi te ab illo.* Eccl. 12.10.

d Mar.hist.Hisp. l.6.c.18.

nexum generum adoptavit Cixilone filia in conjugem data, & Regni postea successorem designavit; verum hoc ipsum impedire non potuit, quo minus Egica Regni suscipiens gubernacula, concepti in socerum odii argumenta præ se ferret. In eo, qui læsus est, vulnerum remanent cicatrices, quas offensa animo impressit, & ad primam quamque occasionem rursum stillant sanguine. Injuriæ locis paludosis sunt similes, quæ licet exsiccentur, facile tamen aquas iterum hauriunt. Offendentem inter & læsum umbræ quædam interjiciuntur; quæ nulla excusationis, aut satisfactionis luce dispelli possunt. Quin nec ex parte offendentis satis secura est amicitia, quia nunquam sibi persuadet, offensum vere ex animo injuriam condonasse, semperque eum intuetur, ut hostem. Præterquam quod a *proprium humani ingenii est, odisse, quem laseris.*

§. Atque ita quidem fit in privatorum amicitiis, non Principum (si tamen vera inter hos amicitia reperiatur) nam utilitas propria amicos eos facit, aut hostes, & quamvis millies dissolvatur amicitia, mox tamen spe commodi redintegratur, & quoad sperare illud licet, firma perdurat ac stabilis. Quare in ejusmodi amicitiis nequaquam habenda est ratio conjunctionis sanguinis, aut obligationis ex acceptis beneficiis, ea enim non agnoscit regnandi ambitio. Ab utilitate diuturnitas earum æstimanda est, omnes quippe amicitiæ tales nunc sunt, quales illæ Philippi Regis Macedoniæ, qui eas sola utilitate metiebatur, non fide. In iis vero amicitiis, quæ magis ratio Status quædam sunt, quam mutua voluntatum consensio, non tantopere Aristoteles & Cicero Biantem reprehenderent, quod diceret, non aliter amandum, ac si rursum exercendum esset odium: falleret enim Principem confidentia, si eam in tali fundaret amicitia. Præstat itaque Principes sic hodie amicos esse, ut cogitent fieri posse, ut cras amici esse desinant. Verum etsi cautela hæc improbanda non sit, utilitas tamen & commodum proprium amicitiæ anteferri non debet hoc titulo, quod ita plerumque factitent alii. Deficiat sane in aliis amicitia, at non in Principe, quem his Symbolis formare instituimus, quemque ad constantiam in actionibus suis & obligationibus adhortamur.

§. Atque quæ dicta sunt hactenus, ad eas pertinent amicitias, quæ sunt inter Principes finitimos, inter quos aliqua magnitudinis intercedit æmulatio: inter alios enim amicitia sincera, & concordia mutua locum habere potest. Potentia tam solicita esse non debet, ut alteri confidat nemini. Tyranni instar in metu erit, quisquis amicis suis fidem non habuerit. Absque iis Corona servitus est, non Majestas. Iniquum est Imperium, quod Principes amicitiis spoliat. b *Non exercitus neque thesauri, præsidia Regni sunt, verum amici.* c *Non* Z 5 *au-*

a Tacit. in vita Agric.

b Sallust.

c Xenoph.

aureum istud sceptrum est, quod Regnum custodit, sed copia amicorum, ea Regibus sceptrum verissimum, tutissimumque. a *Nec ullum majus boni Imperii instrumentum, quam boni Amici.*

§. Amicitia inter magnos Principes officiis mutuis fovenda est potius, quam muneribus: nam ingratum esse solet rei privatæ studium, cui nunquam fit satis. Illius caussa finguntur amicitiæ, non fiunt; quemadmodum Vitellio accidit, qui b *dum amicitias magnitudine munerum, non constantia morum continere putavit, meruit magis, quam habuit.* Amici ferro conservandi sunt, non auro: plures enim creat amicos armorum timor, quam auri cupiditas. Subsidia pecuniaria largientem enervant, & quo ea fuerint majora, eo minus continuari poterunt; pari autem passu, quo Princeps suas prodigit opes, ejus quoque perit æstimatio. A thesauris quos in ærariis suis asservant, æstimantur & amantur Principes, non ab iis, quos profuderunt in alios: magis ex eo inquam, quod largiri possunt, quam quod largiti jam sunt: plus enim inter homines spes potest, quam gratitudo. Qui pacem auro emit, armis eam sustentare non poterit. In errorem istum omnes fere Monarchiæ incidunt, postea quam ad majorem aliquam pervenerint amplitudinem, auro, non armis illam tueri conantur, consumptisque thesauris, & oneratis subditis, ut nimirum Principibus finitimis largiendo, circumferentias servent quietas, ipsum centrum robore destituunt; & tametsi magnitudo illa ad tempus aliquod sustentetur, id tamen in ruinam majorem vergit postea: cognita enim illa debilitate, & perditis semel finibus extremis, hostis nullo obsistente ad interiora usque penetrat. Ita Romano Imperio accidit, quando post tot expensas inutiliter factas, & debilitatas ejus vires, Imperatores pecunia & largitionibus Parthos, Germanosque conciliare sibi studuerunt, qui primus ruinæ illorum fons fuit & origo. Eam ob rem Alcibiades suasit Tisaferni, c *ne tanta stipendia classi Lacedæmoniorum praberet, sed nec auxiliis nimis enixe juvandos; quippe non immemorem esse debere, alienam esse victoriam, non suam instruere, & eatenus bellum sustinendum, ne inopia deseratur.* Hoc ipsum consilium stimulo nobis esse potest, ad considerandum, quantum expendatur in gratiam Principum exterorum, cum insigni ipsius Castellæ detrimento & enervatione, quam tamen ut pote Monarchiæ totius Cor, potissimum sanguine abundare oporteret, ad dispertiendos per reliquas corporis partes vitales spiritus; quomodo ipsa docet Natura, optima Politicæ Magistra, quæ partes interiores, à quibus vita dependet, majoribus solet firmare præsidiis. Si quod foris apud exteros consumit metus & sollicitudo, ad consulendum Monarchiæ securitati, intra ipsa illius viscera expenderet providentia pru-

a Tac. l. 4. Hist.
b Tac. l. 2. Hist.

c Trog. l. 5.

prudens, in conservandis qua terra, qua mari exercitibus, in muniendis firmandisque milite castellis, arcibus, urbibus, securiores forent remotæ Provinciæ, & si quæ amitteretur, interioribus viribus facile recuperari posset. Roma tueri se potuit, & quæ ab Hannibale armis occupata fuerant, recipere, immo ipsam evertere Carthaginem, quia omnes suas opes & vires intra Reipub. suæ viscera continebat.

§. Neque tamen hoc eo dico, quod persuadere Principibus cupiam, ut ne amicis suis, & finitimis subsidio unquam sint, & argentum suppeditent; sed ut videant diligenter, quomodo illud impendant, studeantque armis succurrere potius, quam opibus: nam auxilia pecuniaria apud eum remanent, qui accepit; armorum vero subsidia, ad eum, qui miserat, revertuntur. Atque hoc intelligi debet, quando nullum est periculum, ne ipsi bello sese implicent, trahendo illud in statum suum proprium, aut ne amico hostes majores concilient; uti tum etiam, cum majorum est sumptuum, & pluribus obnoxium incommodis, succurrere opibus, quam armis: nam ratio status omnino suadet, ut alterutra via finitimum Principem tueamur, quoties nostra cum illius fortuna conjuncta esse cernitur; siquidem majoris est prudentiæ intra alterius statum bellum sustinere, quam intra suamet viscera illud experiri. Sic olim *a fuit proprium populi Romani longe à domo bellare, & propugnaculis Imperii sociorum fortunas, non sua tecta defendere*, & debuissemus hoc discere à Republica illa, ne tantas nunc calamitates deplorare necesse esset. Ista politica magis, quam ambitio movit Cantones Helvetos, ut populorum quorundam susciperent protectionem: tametsi enim satis scirent, id absque sumptibus & defensionis suæ periculo fieri non posse, plus tamen ad utilitatem suam putabant interesse, si longe à finibus suis bella gererent. Confinia status vicini, Status proprii muri sunt, & ut tales omni cum vigilantia custodiendi.

a Cicero pro leg. Man.

SYMBOLUM XCII.

Etiam plumæ aliarum avium, aquilinis nimium vicinæ in periculo sunt; hæ siquidem corrodunt illas, ac destruunt, ob superstitem in iis *b* antipathiam naturalem, quæ est inter Aquilam & volucres reliquas. Ita protectio in tyrannidem denique vertitur. Nec leges veretur potentia major, nec auctoritatem ambitio. Quod fidei & tutelæ ipsius commissum fuit, titulo defensionis naturalis postea ut suum detinet. Principes inferiores subsidiis exteris Statuum suorum securitati prospicere cogitant, & eos omnino perdunt; quin immo & amico, & hosti in prædam cedunt. Nec minus ab illo peri-

b Plin. l. 10. c. 3. Æl. l. 9. c. 11. de animal.



periculi est ob confidentiam, quam ab isthoc propter odium. Cum animo securi vivimus, absque ullo metu aut præcavendi sollicitudine, adeoque sine suo damno pro libitu nos potest impetere. In ea ratione fundata fuit, opinor, illa lex quæ bovem, qui hominem aliquem cornibus suis læsisset, jubebat lapidibus a obrui, non vero sylvestrem taurum, quia à bove, utpote animali domestico, quo in laboribus quotidianis utimur, minus nobis metuimus. Amicitiæ & protectionis obtentu invehitur ambitio, & facile obtinetur, quod viribus non

a *Si bos cornu percusserit virum aut mulierem, & mortui fuerint, lapidibus obruetur.* Exod. 21. 28.

non poterat effici. Quam speciosis titulis tyrannidem suam velarunt Romani, dum aliarum Nationum populos in cives, socios & amicos suos asciscere dignati sunt. Albanos in suam introduxerunt Rempubl. & quos antea hostes habuerant, eos societatis communis voluerunt esse participes. Sabinos in jus civium admiserunt. Tanquam protectores conservatoresque libertatis ac privilegiorum, tanquam justitiæ universi orbis arbitri, à diversis implorati fuere Provinciis, ut eorum viribus contra suos hostes uterentur, & quæ seipsis eo usque penetrare nequivissent, ignorantia aliena longe lateque se dilatarunt. Initio quidem à Nationibus exteris magna cum tutela tributa non nisi modica exegerunt, & specie quadam virtutum moralium suas texerunt fraudes: & postquam illa Imperialis aquila alas suas supra tres orbis partes, Europam, Asiam & Africam latius expandisset, ambitione rostrum suum exacuit, & sævitiæ suæ prodidit ungues, protectione in tyrannidem versa. Expertæ tunc sunt Nationes exteræ, misere suam illusam fuisse confidentiam, & destructas potentiæ suæ plumas sub alis illis oppressione tributorum ac libertatis, cum privilegiorum suorum jactura; cumque jam tyrannis invaluisset, nec convalescere potuère, nec vires suas instaurare. Atque ut venenum in naturam verteretur, adinvenerunt Romani colonias, introduxeruntque linguam Latinam, ad tollendam sensim Nationum distinctionem, & ut sola superesset Romana cum universali in omnes imperio. Hæc fuit magna illa Aquila, quam vidit Ezechiel *magnis* a *alis, multisque pennis*; ubi Septuaginta legunt, plenis unguibus: nam plumæ ejus ungues erant. Quoties existimant homines sub alis se stare, & sub unguibus consistunt! quoties putant lilio se regi, & sub spinis hærent ac sentibus, ut non nisi pallio relicto inde possint emergere! Civitas Pisana jura sua & prætensiones, quas habebat adversus Rempublicam Florentinam, commiserat patrocinio Regis Ferdinandi Catholici, & Regis Franciæ, & inter utrumque convenit, ut ea Florentinis traderetur, specie libertatis Italiæ procurandæ.[1] Ludovicus Sfortia contra nepotem suum Ioannem Galeasum Francorum imploravit opem, & hi Mediolanensi statu exutum, captivum in Franciam abduxere. Sed quid antiquis utimur exemplis? Dicat Dux Mantuanus, quam caro sibi steterit, quamque graviter noxia fuerit aliena protectio! Dicant Treverensis Elector, & Grisones, num suam conservaverint libertatem armis extraneis, quæ titulo defensionis ac tutelæ in suum Statum admiserunt. Dicat Germania, quomodo nunc se habeat sub Suecorum patrocinio: divisis & dissolutis tam illustribus Provinciarum suarum circulis, quibus splen-

a *Et facta est aquila altera grandis magnis alis, multisque plumis.* Ezech. 17. 7.

descebat, & sustentabatur diadema Cæsareum: desœdatis fulgentissimis civitatum Imperialium Adamantibus, qui eam exornabant: sublatis & confusis Statuum ordinibus: disturbata harmonia gubernationis politicæ: exspoliata & ad extremam inopiam redacta antiqua ejus Nobilitate. Dicat illud, inquam, Germania, sine omni nunc libertatis specie Provincia quæ optime illam tueri ac conservare antea noverat; conculcata, & flammis vastata ac ferro à Nationibus exteris; variorum Tyrannorum, qui demortuum Sueciæ Regem nunc repræsentant, exposita arbitrio: serva amicorum & hostium: suismet malis turbata tantopere, ut nec damna sua, nec emolumenta queat agnoscere. Ita Provinciis accidit, quæ secum ipsæ non satis conveniunt; & Principibus, qui extraneis utuntur viribus, præsertim si, qui eas mittit, stipendium non solvat: auxiliares enim copiæ pariter ac hostiles in illorum conspirant ruinam; quemadmodum civitatibus Græciæ contigit, quando a *Philippus Rex Macedonum libertati omnium insidiatus, dum contentiones civitatum alit, auxilium inferioribus ferendo, victos pariter, victoresque subire regiam servitutem coëgit.* Gloria primum ad inferioris defensionem inflammat animum, & ambitio postea nihil finit reliquum. Qui vires suas in alterius impendit gratiam, compensationem ab illo postulat. Provincia ipsa Principis potentioris suppetias ferentis amore capitur, existimantibus nimirum subditis, sub ejus dominatu se magis securos fore, magisque felices, absque timore & bellorum periculo, sine gravibus tributis, quæ Principes inferiores solent imponere, sine injuriis denique & offensionibus, quas communiter ab illis accipiunt. Nobiles præterea majori honori sibi ducunt, si illustriori serviant Domino, à quo ipsi honorentur, & qui plura habeat præmia ac munera, quæ dispertire possit. Omnes istæ considerationes tyrannidem, & usurpationem ferentis opem, aut defendentis promovent. Copiæ auxiliares ei parent potissimum, qui eas mittit, aut exsolvit stipendia & regiones in quas deducuntur, tractant velut alienas, confectoque bello cum hoste, in amicum movere necesse est; ut proinde consultius, & minoris videatur esse periculi, minusque sumptuosum Principi inferiori, amice cum potentiori transigere, quam armis auxiliaribus vincere. Quod sine his obtineri nequit, minus postea, ubi recesserint iterum, conservari poterit.

5. Periculum istud advocandi auxiliares copias tunc magis metuendum est, quando Princeps, à quo eæ mittuntur, aliam profitetur Religionem, aut ad Statum illum jus aliquod habet, vel obtendit saltem, aut si eundem sibi subjicere magni sit emolumenti, puta quia Statibus occupantis præbet transitum, aut obstruit hostibus. Atque timores

a Iustinus.

mores isti necessitate metiendi sunt, consideratis item conditione & moribus Principis: nam si sincero & generoso fuerit animo, plus apud illum valebit fides publica & existimatio, quam spes commodi & rationes Status; quomodo experientia comprobatum fuit in Principibus omnibus Domus Austriacæ, adumbratis per potentem illum Cherubinum & protectorem, cui Ezechiel Regem Tyri comparat ante, quam suo deesset a officio: quam fidem & auctoritatem etiamnum observant hodie: nemo siquidem quisquam est, qui de eorum amicitia jure possit conqueri. Testes ejus rei sunt Pedemontium, Sabaudia, Colonia, Constantia, Brisacum, propugnata armis Hispanicis, & restituta deinde, absque ullo ibidem relicto militari præsidio. Nec negare veritatem hanc poterit Genua: cum enim oppressa à Francis & Allobrogibus libertatem suam in Hispanorum posuisset arbitrio, fidelissime hi eam conservarunt, pluris nimirum amicitiam suam & fidei publicæ gloriam, quam dominatum æstimantes.

Quod si necessitas aliquando arma auxiliaria petere coëgerit, dicta pericula sequentibus conditionibus caveri poterunt: si curetur scilicet, ut ne copiæ alienæ majores sint, quam propriæ; ut cui veniunt subsidio, is suos iis Duces præficiat; ut non collocentur in præsidiis urbium; ut misceantur, dividanturque inter milites cæteros, & mox in hostem ducantur.

a *Tu Cherub extentus, & protegens.* Ezech. 28. 4.

SYMBOLVM XCIII.

Tyrrhenum mare expertum est sæpius pericula amicitiæ & societatis montis Vesuvii; at non semper damnis nostris sapere discimus: facile enim à vana aliqua confidentia persuaderi nobis sinimus, ea non iterum esse eventura. Iam pridem sapientissimus evasisset Mundus, si suismet experientiis edoceri se passus esset; sed temporis longinquitas eas rursum obliterat. Ita factum in gravissimis ruinis, quas per montis illius declivia solo intulerant incendia præterita, omnia opplendo cineribus, quos immisso paucis post annis aratro, in agrum denuo coloni converterunt. Evanuit damnorum memoria, aut certe nemo eam conservare voluit, quæ tanta tamen fuerant, ut merito eorundem metus debuisset esse perpetuus. Abdidit mons ille sub viridi suo pallio æstum & siccitatem interiorum suorum viscerum, & mare nihil suspicatum mali fœdus cum eo iniit, eumque strinxit undarum suarum brachiis, nulla habita ratione illius, quæ inter ambas istas Naturas intercedit, contrarietatis. Verum dolosus ille mons sinistram suam intentionem pressit in pectore, donec fumus indicia quædam proderet eorum, quæ intus



intus ille moliretur. Crevit inter utrumque communicatio per secretas & occultas quasdam vias, nec capere potuit vicinum mare, fictum illum amicum non nisi munimenta adversus se erigere, & subterraneos cum diversis metallis sulphureis instruere cuniculos, donec iis jam perfectis (quod hac nostra ætate contigit) ignem admoverit. In supremo montis cacumine hiatus ingens & profundus sese aperuit, unde flammæ erumpebant, quæ sub initium non nisi stricturæ quædam lucidiores, aut ignes festivi artificiales videbantur; at paucis post horis funesta fuere prodi-

prodigia, Contremuit sæpius vastum illud corpus tantæ molis ac ponderis, & inter horrenda tonitrua incensas evomuit liquescentium metallorum indigestas materias, quæ in illius fervebant stomacho, & per montis declivia, ad instar torrentium igneorum, in circumjacentes agros sese effuderunt, donec in ipsum mare delaberentur, quod tam inopina hostilitate stupefactum, ad ipsum centrum cum aquis suis se recepit, seu metu aliquo factum id fuerit, seu astu, ad cogendas undas, quibus se tueretur: ruptis namque antiqui fœderis vinculis necesse erat, ut ad defensionem suam se compararet. Pugnarunt inter se ambo elementa, non sine trepidatione ipsius Naturæ metuentis, ne pulcherrima hæc rerum fabrica conflagraret. Ardebant ipsi aquarum fluctus à superiore hoste domiti: *ignis* enim (ut alicubi loquitur Spiritus Sanctus) a *in aqua valebat supra suam virtutem, & aqua extinguentis natura obliviscebatur.* Pisces flammis innatantes extincti sunt. Tales semper habebunt effectus omnia similia fœdera, quæ disparis naturæ sunt & conditionis. Nec damna minora metuat Princeps Catholicus, qui societatem cum infidelibus coïerit: nam cum nulla graviora sint odia, quam quæ ex Religionum diversitate oriuntur, fieri quidem potest, ut ea necessitas præsens dissimulet, quin tamen erumpant aliquando, nemo unquam impediet. Et quomodo, obsecro, conservari poterit inter illos amicitia, si unus alteri satis non fidat, & ruina unius cedat in emolumentum alterius? Qui opinionibus discrepant, etiam animis dissident; cumque creaturæ simus æterni illius & supremi Artificis, ferre non possumus, ut eidem denegetur ille adorationis cultus, quem verum & orthodoxum judicamus. Et licet bona esset infidelium amicitia: Iustitia tamen divina non permittit, ut hostium suorum opera fines nostros consequamur, quin plerumque nos castigat per illam ipsam infidelem manum, quæ pactis subscripsit. Imperium, quod Constantinus Imperator in Orientem transtulit, pessum ivit per fœdera Palæologorum cum Turcis, Deo nimirum permittente, ut posteris correctionis esset exemplum, absque ulla tamen viva familiæ illius memoria. Quod si ob locorum distantiam, aut rerum conditionem per illos ipsos infideles castigatio fieri non possit, Deus ipse manum suam adhibet. Quas calamitates non perpessa est Francia, postquam Rex Franciscus, magis æmulatione gloriæ Caroli V. Imper. quam extrema necessitate ductus, fœdus cum Turca iniit, eumque in Europam evocavit? In supremo vitæ articulo errorem hunc suum agnovit, & detestatus est verbis gravissimis; quæ profecta à dolore Christiano pie interpretabimur, cum alias omnino hominis de animæ suæ salute desperantis videri possent. Sed & ab ejus Successoribus pœnam Deus repetiit, morte vio-

a Sap. 19. 19.

violenta & infelici eos tollendo è medio. Quod si ea severitate animadvertit in Principes, qui infidelium Hæreticorumque implorant auxilium, quid iis faciet, qui iisdem opem ferunt adversus Catholicos, & in caussa sunt, cur tantos illi progressus efficiant? Docet nos istud [a] Petri Secundi Regis Aragonii exemplum: favebat is Albigensium Hæreticorum factioni in Francia, pro quibus etiam arma sumpserat, centum millium hominum conflato exercitu, cum contra Catholici non nisi equites octingentos & mille pedites sub signis numerarent, & ab his tamen prælio victus occubuit. Simul ac Iudas Machabæus cum Romanis junxit amicitiam (eo etiam fine, ut sese contra Græcorum potentiam tueri posset) orbatur duorum Angelorum præsidio, qui ejus lateri assistebant, & contra hostium ictus tutabantur, interiit. Eandem pœnam, eademque ex caussa etiam dedere ejus fratres Ionathas & Simon, qui ei in Principatu successerant.

§ Nec sufficit semper excusatio defensionis naturalis: per enim raro omnes concurrunt conditiones & circumstantiæ, quæ ejusmodi fœdera cum Hæreticis faciant licita, & majoris sint ponderis, quam universale illud scandalum, & periculum opinionibus falsis veram inficiendi Religionem; siquidem eorum communio veneni instar est, quod facile alios corripit; cancer, qui celeriter serpit, ubi novitate & licentia capti fuerint [b] animi. Poterit quidem Politica divinis diffisa præsidiis, & in artibus humanis spem suam collocans, seipsam fallere, Deum non item, in cujus tribunali rationes mere apparentes locū non habent. Baasa Rex Israël urbem Rama (Benjamiticæ tribus ultimam in Regno Asa) communiebat, ejusque aditus sic claudebat, ut nemo Regnum illud tuto posset ingredi, aut inde [c] egredi: belli seges ea fuit inter ambos illos Reges, metuensque Asa fœdus Benadadi Regis Syriæ, quod cum Baasa fecerat? hoc egit primum, ut illud discinderetur, & aliud deinde novum cum eodem Benadado ipse iniit: [d] *quod cum audisset Baasa, desiit ædificare Rama, & intermisit opus suum*; tametsi vero urgeret necessitas, & fœdus illud fieret non nisi studio defensionis naturalis, cujus mox optimus fuit effectus, displicuit tamen Deo, quod in illa potius, quam in auxilio divino suam collocasset fiduciam, misitque Hananum Prophetam, qui stultum ejus consilium reprehenderet, & gravia ei damna ac bella [e] minita-

a Mar. hist. Hisp. l. 12. c. 2.

b *Sermo eorum ut cancer, serpit.* 2. Tim. 2. 17.

c *Anno autem trigesimo sexto Regni ejus, ascendit Baasa Rex Israël in Iudam, & murum circumdabat Rama, ut nullus tuto posset egredi, & ingredi de regno Asa.* 2. Paral. 16. 1.

d Ibid. v. 5.

e *Quia habuisti fiduciam in Rege Syriæ, & non in Domino Deo tuo, idcirco evasit Syriæ Regis exercitus de manu tua, &c. Stulte igitur egisti, & propter hoc ex præsenti tempore adversum te bella consurgent.* 2. Paral. 16. v. 7. 9.

nitaretur, quæ reipsa deinde evenere. Ex hoc ipso facile colligere licebit, quantum Dei offensam incurrerit regnum Franciæ propter fœdera cum Hæreticis nunc inita, ad opprimendam Austriacam Domum. Qua in re obtendere non potest titulum defensionis naturalis in extrema necessitate, quia nulla prius lacessitum injuria, & absque ulla caussa, cum omnibus illius hostibus fœdus sanxit, & bellum ei intulit; foris extra Status suos illud fovendo, eosque dilatando usurpatione injusta Provinciarum exterarum, & consilio ac viribus Hæreticis fœderatis assistendo, ut de oppressis Catholicis triumphent; interim ad tractatus pacis Coloniam è Gallia venire nemo voluit, quantumvis Pontifex Maximus, Imperator, & Rex Hispaniarum suos illuc cum plena potestate Legatos ablegassent.

§. Nec sola fœdera cum Hæreticis, sed etiam militares suppetiæ illicitæ sunt. Exemplum illustre nobis præbent sacræ paginæ in Amasia Rege, qui cum certo pretio exercitum aliquem à filiis Israël conduxisset, jussit Deus, ut eum abs se dimitteret, eique exprobravit, quod non in Deo potius spem suam ac fiduciam *a* posuisset; & quia illico paruit, nulla habita ratione periculi aut impensarum, insignem ei victoriam contra hostes suos largitus est.

§. Illa fœdera cum Hæreticis licita sunt, quæ aut belli sopiendi, aut commerciorum exercendorum causa fiunt; quale fuit illud Isaaci cum *b* Abimelecho, & quod etiamnum viget Hispaniam inter & Angliam.

§. Inito semel cum Hæreticis fœdere, aliove pacto, quod nec Religioni, nec bonis moribus adversetur, & jurisjurandi insuper sanctitate firmato, omnino servanda est fides publica; per ejusmodi enim Sacramentum Deus ipse in pactorum testem vocatur, & veluti sponsor promissi adimplendi utriusque partis consensu constituitur & arbiter, ut castiget deinde eum pro merito, qui datam fidem violaverit: & sane grave esset, eum mendacii testem facere. Nec ulla alia apud omnes gentes & Nationes conventorum pactorumque est securitas, quam jurisjurandi religio, qua si ad fallendum abuterentur, ruerent omnia orbis commercia, neque ullæ unquam firmæ induciæ, aut pax concludi possent. Verum, etsi nulla intercedit Sacramenti religio, pactiones tamen compleri debent; etenim ex ipsa veritate, fidelitate, & justitia oritur in illis obligatio quædam mutua, & communis omnibus Gentibus;

a *O Rex ne egrediatur tecum exercitus Israël, non est enim Dominus cum Israël, & cunctis filiis Ephraim. Quod si putas in robore exercitus bella consistere, superari te faciet Deus ab hostibus: Dei quippe est, & adjuvare, & in fugam convertere.* 2. Paral. 25. 7. & 8.

b *Vidimus tecum esse Dominum, & idcirco nos diximus: Sit juramentum inter nos, & ineamus fœdus, ut non facias nobis quicquam mali.* Gen. 26. 28.

bus; & ſicut nemini Catholico licitum eſt occidere, aut odiſſe Hæreticum, ita neque fallere, aut datam ei fidem frangere. Idcirco Ioſua *a* Gabaonitis fidem ſervavit; quod Deo tantopere placuit, ut victoriæ adverſus hoſtes concedendæ cauſſa ipſum etiam cæleſtium orbium naturalium ordinem interturbare voluerit, obediendo voci Ioſuæ, & ſiſtendo Solem in cœli medio, ut hoſtium cædem tanto melius poſſet proſequi, & pacti obligationem *b* adimplere, & quia trecentis annis poſt Saul fœdus iſtud violavit, punivit Deus Davidem *c* fame triennali.

a *Iuravimus illis in nomine Domini Dei Iſraël, & idcirco non poſſumus eos contingere.* Ioſ. 9. 19.

b *Stetit itaque Sol in medio cœli, & non feſtinavit occumbere ſpatio unius diei. Non fuit antea, nec poſtea tam longa dies, obediente Domino voci hominis, & pugnante pro Iſraël.* Ioſ. 10. 13.

c *Facta eſt quoque fames in diebus Davidis tribus annis jugiter: & conſuluit David oraculum Domini, dixitque Dominus: Propter Saul, & domum ejus ſanguinum, quia occidit Gabaonitas.* 2. 21. 1.

SYMBOLVM XCIV.

QVando Sol in linea Æquinoctiali conſtitutus, examen eſt lancium libræ, lucem ſuam quaquaverſum ſpargit tanta cum juſtitiæ æquitate, ut dies noctesque æquales faciat; non abſque omni tamen reſpectu ad zonas viciniores, ſuoque imperio magis ſubjectas, quibus majorem vim lucis impertit, iis præſertim climatibus & parallelis, qui ab eo abſunt propius; & ſi quæ forte Provincia caloris intemperiem experiatur ſub zona torrida, ipſe ejus ſitus in cauſſa eſt, non radii ſolares, quippe qui eodem tempore aliis ejuſdem zonæ partibus benigniſſimos ſeſe exhibent. Quod itaque Sol in linea Æquinoctiali efficit, tam illuſtri cœli parte, ut non nemo exiſtimet, Deum Optimum Maximum ſuam in ea fixiſſe ſedem (ſi tamen ejus immenſitas ullo certo loco definiri poteſt.) Idem illud in orbe hoc inferiori operatur Tiara Pontificia, quæ ex Romana urbe velut fixo quodam æquinoctio divinæ ſuæ lucis radiis univerſas Mundi Provincias colluſtrat. Sol, inquam, eſt in his inferioribus orbibus, cui vis lucis vicaria æterni illius Solis juſtitiæ communicata fuit, ut ejuſdem beneficio res omnes ſacræ veras ſuas nanciſcantur formas, abſque eo quod à vana aliqua opinionum impiarum umbra in dubium vocari poſſint. Nulla tam polis propinqua eſt Regio, quo nequicquam obſtantibus frigoribus & tenebris ignorantiæ, ſplendores illius non penetraverint. Tiara iſta lapis Lydius eſt, ad quem explorantur coronæ, & auri argentique illarum probitas expenditur: in illa tanquam in fuſorio calice ab aliis ſpuriis ſegregantur metallis: ſigno illius monetario *Tau* conſignatæ verum ſuum pretium

tium



tium valoremque inviolatum retinent. Eam ob rem Ramirus Aragoniæ Rex, aliique complures ultro Ecclesiæ Feudatarii esse voluerunt, tanquam qui honori & felicitati sibi ducerent; quod Coronæ suæ tributo pendendo essent obnoxiæ. Eæ vero, quæ ad lapidem istum Lydium Apostolicum probari detrectant, plumbeæ sunt & stanneæ, quas tempus modicum atterit, consumitque, adeo ut vix ad quintam usque generationem (quemadmodum frequenti experientia compertum fuit) perveniant. Vna cum Principum magnificentia dignitas etiam & amplitudo eorum temporalis accrevit, per Esaiam Pro-

-phe-

phetam *a* olim prædicta, quæ suo dein robore spiritualem quoque armavit gladium, ut Regnorum in orbe Christiano bilanx esse potuerit, & supremum eorundem tenere arbitrium. Atque his ipsis mediis potentiam suam conservare student Pontifices, paterno illo suo affectu & benignitate Principes sibi reddendo benevolos. Imperium eorum voluntarium est, in animos videlicet, apud quos ratio locum habet potius, quam vis aut coactio. Quod si hæc aliquando immoderatior fuerit, effectus plane contrarios habuit: cœca enim est indignatio, & facillime in præceps ruit. Dignitas Pontificia inermis etiam, instructissimis exercitibus validior est. Occursus Leonis Papæ in habitu Pontificio tantum terrorem incussit Attilæ, ut pedem referret, & susceptam Romanæ urbis vastandæ cogitationem deponeret: si armis id attentasset, neutiquam fregisset animum hominis illius barbari. Vnicus Pastoris sibilus, unica pedi, aut fundæ correctio ex amore intentata, plus possunt, quam duri etiam silices. Rebellis fieret ovicula, si ex rigore agi cum illa oporteret: etsi enim Fidelium pietas dignitatem Pontificiam dotavit viribus, id tamen pro majori ejus securitate factum est potius, quam ut iis uteretur, nisi ad conservandam Religionem Catholicam, & universale bonum Ecclesiæ ita opus esse videretur. Quando vero spreta isthac consideratione accidit aliter, & Tiara mutatur in Galeam, non agnoscit illam ultra reverentia, immo ferire audet, non secus ac si foret temporalis; & si niti voluerit rationibus politicis, æstimabitur pro diademate Principis politici, non summi Pontificis, cujus imperium spirituali auctoritate sustentatur. Officium ejus pastorale non belli est, sed pacis: pedum obtusum superne incurvatum, ut conducat: non acutum, ut sauciet. b *Summus Pontifex Summus homo est*, adeoque *non amulationi, non odio, non privatis adfectionibus*, quæ bellorum semper sunt incentiva, *obnoxius* esse debet: nam illud in summo Sacerdote etiam cœca Gentilitas exposcebat. Splendor virtutum, quæ in eo elucent, animos magis feriunt, quam ensis in corpora fæviat. Plus auctoritas valet, quam arma, ad componendas Principum lites: hi enim, si videant, eum suo fungi officio ex amore paterno, à passionibus, affectibus & artibus politicis libero, jura & arma sua ad illius pedes ultro deponunt. Experti id sunt Pontifices plurimi, qui communes omnium Patres, non neutrales sese gesserunt. Qui uni alicui adhæret, se subtrahit alteri, & qui nec hujus est, nec illius, nullius est; Pontifices vero omnium esse debent: id quod in lege veteri indicabant ejus vestimenta,

quæ

a *Tunc videbis, & afflues, & mirabitur & dilatabitur cor tuum, quando conversa fuerit ad te multitudo maris, fortitudo Gentium venerit tibi.* Isa. 60. 5.

b Tac. l. 3. Annal.

quæ singulari contexta artificio totum terrarum orbem *a* exhibebant. Neutralitas crudelitatis genus quoddam est, tum præsertim, cum alienarum calamitatum non nisi otiosa spectatrix est. Si contendentibus inter se filiis pater immotus consisteret, merito illi imputaretur, si alter ab altero damnum acciperet: oportet, ut nunc amore, nunc severitate eos ab invicem distrahat, ponendo se inter eos medium, & si opus fuerit, unius etiam caussæ patrocinetur, ut alter ad æquam compositionem adduci possit. Eodem quoque modo, si paternas Pontificis admonitiones audire noluerint Principes, si reverentiam sacrosanctæ ejus auctoritati debitam exsuant, nec ulla spes supersit, eos inter se conciliari posse, perutile fore videtur, si steterit pro parte magis æqua, & suos reflexerit oculos in tranquillitatem publicam, & exaltationem Religionis atque Ecclesiæ, eique opem tulerit, donec alter ad æquitatem traducatur: qui enim tam hujus, quam illius caussam approbat, utrique cooperari censebitur. Atque in Italia magis, quam in ulla alia orbis parte illa Pontificum advigilantia opus est: nam si suum erga Francos affectum ita aperte semet prodiderint, ut hi subsidia illorum & favorem certo sperare habeant, in ipsam quoque Italiam arma sua inferre audebunt. Et movit ea consideratio nonnullos Pontifices, ut Hispaniæ magis sese addictos faventesque exhiberent, ad Franciam nimirum tanto melius cohibendam; quod si quis interdum ductus aliqua specie boni, aut affectu, aut utilitate propria & cautionis illius immemor secularibus armis usus fuit, & ab exteris poposcit auxilia, magnis in Italia motibus ansam dedit; uti memorant Historici in vitis *b* Vrbani Quarti, qui Carolum Provinciæ Phocæensis & Andium Comitem contra Manfredum *c* utriusque Siciliæ Regem in subsidium evocavit; Nicolai Tertii, qui potentiæ Regis Caroli stimulatus invidia, imploravit opem Petri Regis Aragonii: Nicolai IV. qui cum Alphonso Rege Aragonio adversus Regem Iacobum fœdus iniit: Bonifacii Octavi, qui Iacobum Aragoniæ Regem lacessivit, & à Carolo Valoësio Andium Comite contra Fridericum Siciliæ Regem petiit suppetias; Eugenii Quarti, qui Andiensem fovit factionem adversus Alphonsum Regem Neapolitanum: Clementis V, qui Philippum Valoësium advocavit in auxilium contra Dynastam Proconitem Mediolanensem: Leonis Decimi, & Clementis Septimi, qui cum Francisco Galliæ Rege fœdus pepigere adversus Carolum Quintum Imperatorum, ut Hispanos Italia ejicerent. Incommodum istud ex eo oritur, quod tantum Sedis Apostolicæ pondus sit, ut lancem, in quam conjecta fuerit, necesse sit plurimum de-

a *Investe enim poderit, quam habebat, totus erat orbis terrarum.* Sap. 18. 24.

b Zurit. hist. Aragon.

c Mar. hist. Hisp. l. 13. c. 13.

deprimi. Moverit forte ad ista memoratos Pontifices aliqua boni species, in aliquibus tamen intentioni eorundem minime respondit effectus.

Verum sicut Pontificii muneris est omnem adhibere curam, ut in quiete ac tranquillitate conserventur Principes, ita hi vicissim debent (tametsi nullum esset divinum præceptum, uti revera est) suos semper defigere oculos, Heliotropii ad instar, in Sole isto Tiaræ Pontificiæ, qui semper lucet, & nunquam occidit, in ejusque obedientia & tutela permanere. *a* Eam ob caussam filio suo Ferdinando Regi Neapolitano præcepit Alphonsus Quintus Rex Aragonius fato jam concessurus, auctoritate Sedis Apostolicæ & Pontificum gratia nihil potius duceret, caveretque eos offendere, tametsi justissimam habere caussam videretur. Impietas aut imprudentia gloriari solent, si suam adversus Pontifices tueri possint gravitatem. Iis sese submittere non vilitas animi est, sed religio; non auctoritatis jactura, sed honor. Venerationes à maximis etiam Principibus cum summa demissione iis exhibitæ, pia sunt magnanimitas, quæ erudiunt alios; ut norint quantus rebus sacris habendus sit honos. Non illæ infamiam pariunt, sed insignem potius apud omnes laudem, ut nemo quisquam animi abjectionem interpretari audeat. *b* Ita Constantino Imperatori nemo vertit vitio, quod in Episcoporum concilio locum humilem occuparet, uti *c* nec Regi Ægicæ, cum in alio sacrorum Præsulum conventu Toleti celebrato in terram sese prosterneret. Oppositiones contra Pontifices nunquam è voto succedunt. Contentiones sunt, quæ nunquam bonum sortiuntur exitum. Ecquis rationem Principis temporalis à supremo Ecclesiæ capite separare poterit? ostensa, & auctoritas sacra, juncta sunt inter se, & in unum quasi coëunt. Quanto illa est gravior, tanto plus de dignitatis decoro detrahitur. Hæc duplici armata gladio, contra maximam etiam potentiam se tuetur. In Regnis alienis obedientes habet subditos, ubi vero bella his movere cœperit, refrigescit hominum pietas, & à conflictu armorum ad librorum devenitur prœlia, obedientia in dubium vocata; unde perturbata Religione immutantur dominatus, & evertuntur Regna: horum enim firmamentum in honore & reverentia Sacerdotii *d* consistit, quæ caussa fuit, cur illud Nationes aliquæ Regiæ dignitati conjunxerint. Valde igitur expedit, Principes se suaque tam prudenter moderari, ut ne quam summis Pontificibus offensæ dent occasionem. Fiet vero istud, si debitum Sedi Apostolicæ cultum exhibeant: si sancte inviolateque ejus privilegia, immunitates & jura

a Zurit. Ann. de Arag.
b Euseb. in vit. Const.
c Chron. Reg. Goth.
d *Honor Sacerdotii firmamentum potentiæ assumebatur.* Tacit. lib. 5. Hist.

jura observent, sua item propria, si Pontificiis illis contraria non sint, animo forti & constanti tueantur, neque ullam regnis noxiam admittant novitatem, aut quæ ad Spirituale subditorum emolumentum non conducat. Cum Carolus Quintus Imperator coronæ accipiendæ caussa in Italiam ingrederetur, jusjurandum ab eo postulabant Legati Pontificii, quo promitteret, nunquam se contra Ecclesiæ jura facturum aliquid, ipse vero respondit, nihil se in iis immutaturum, nec attentaturum quicquam contra Imperii constitutiones: quod dicebat propter feuda, quæ Ecclesia in Parmam & Placentiam obtendit. Fuit ea in re tam accuratus Rex Ferdinandus Catholicus, ut excessisse propemodum videri possit; quippe qui judicabat nequaquam permittendum, ut vel in minimo privilegiorum & jurium fines transiliantur: nam fixo semel pede, mox ut possessio defenditur, & paullatim itur longius; cujus principiis si quis obstiterit, graviores inde motus evitabit. Ioannes Rex Aragonius nunquam ratum habere voluit factum Sixti Quarti Pontificis; qui Episcopatum Cæsaraugustanum *a* Cardinali Ausiæ Dezpuchio contulerat, eo quod ab ipso Rege, ut erat id temporis moribus usurpatum, nominatus non esset. Quare in bona & Cognatos Cardinalis grassatus, pervicit tandem, ut is Pontificatu se abdicaret, quem deinde Rex dedit Nepoti suo Alphonso, cui jam pridem fuerat destinatus. Eadem contentio paulo post de Turiasonensi Ecclesia orta fuit, cui cum quidam supremus judicii Præses præficeretur Episcopus, jussit eum illico renuntiare Insulæ; ni faceret, eum & cognatos ejus omnes è Regnis suis ejectum iri minitabatur. Idem postea fecit Ioannis Filius Rex Ferdinandus in Conchensi Pontificatu cum Raphaële Galeotto, quem Sixtus Pontifex ejus propinquus illi Ecclesiæ dederat Præsulem: indignatus enim Rex, in hominem extraneum, & absque nominatione, dignitatem illam collatam, Hispanos omnes Roma jussit egredi, statuitque ea super re, & alias ob caussas Concilium cogere. Cumque deinde Pontifex Legatum misisset, & hic in Hispaniam ingressus esset, reverti eum Rex jussit, graviter conquestus, non tractari se à summo Pontifice, pro eo ac obediens Ecclesiæ Filius mereretur, vehementerque miratus, Legatum negotium istud in se suscepisse. At ille modeste respondit, renuntiare se Legati privilegiis, & Regis judicio acquiescere; qua cum conditione, & bonis Cardinalis Hispaniæ obsequiis admissus fuit, omnisque controversia composita. Verum gravis caussa sit oportet, aut naturalis defensio, ut ejusmodi usurpentur media; digni me quoque paterno Pontificum amore, minime iis ansam dare, sed benignitati semper studere, ad conservandam mutuam cum Principibus amicitiam; etsi enim duplicem

a Zur. Hist. Arag. Mar. Hist. Hisp. lib. 24. c. 16.

manu sua portet gladium, spiritualem nimirum & sæcularem, hic tamen per ipsos Imperatores & Reges, tanquam protectores defensoresque Ecclesiæ executioni mandari debet. a *Onde conviene* (verba sunt Regis Alphonsi Sapientis) *por razon derecha, que estos dos poderes sean siempre acordados; asi que cada uno dellos ayude de su parte al otro: ca el que desacordase, vernia contra el mandamiento de Dios, e avria por fuerza de mengua la fe, e la justicia, e non podria longamente durar la tierra en buen estado, ni en paz, si esto se fiziese.*

Facile equidem credo, satis eam rem cordi esse omnibus iis, quotquot in suprema illa sede Deus collocavit, sed perturbant curam istam interdum aulici Romani, quorum unicum studium est, discordiarum spargere semina. Suscitat illas etiam Ministrorum quorundam ambitio, qui in summorum Pontificum gratiam insinuare se student, & præcipua mereri munia, cum illa à Principibus independentia, immo & animi aversione; varias excogitando rationes ad denegandas gratias, quas petunt, & omnem captando occasionem offendendi illorum Legatos; atque ut forti videantur esse animo, sub specie Religionis & zeli violenta suggerunt consilia; quo fit, ut bona illa Pontifices inter & Principes amicitia intepescat, non absque insigni Reipublicæ Christianæ detrimento, & refrigescat in venis illius pietas, ob defectum amoris, qui arteriæ instar eas fovet, calentesque conservat.

a Ant. Neb. hist. Hisp. c. 120.

SYMBOLUM XCV.

Inter vim & potentiam duorum contrariorum æquorum sese Isthmus tuetur, tanquam utriusque arbiter, non uni magis adhærens, quã alteri; unde fit, ut quod mare unum illi adimit, restituat alterum, & pugna utriusque æque potentis integer conservetur. Etenim si unius fluctus nimium intumescerent, & totam inundarent terram, terræ delerent dominium, & Isthmus esse desineret. Isthæc inter duas grandes potentias quasi neutralitas Petrum Asagram diu feliciter conservavit in Statu suo Albarracinensi, b in Castellæ & Aragoniæ confinibus sito: quilibet enim istorum Regum cavebat sollicite, ne ille ab altero opprimeretur, qua mutua inter utrumque æmulatione Status ille libertatem suam retinuit integram. Atque ex eo intelligere possent Allobrogum Duces, quantum ad ipsorum securitatem intersit, si communes se amicos ambabus Coronis Hispaniæ & Franciæ præbeant, serventque in sua potestate ea propugnacula, quæ ingressum per Alpes in Italiam prohibere possunt; siquidem ea in re eorum amplitudo, conservatio, & amicitiæ necessitas consistit, propterea quod Coronæ utriusque intersit quam plurimum,

b Mar. hist. Hisp. l. 11. c. 16.



ne illi ab alterutra bonis suis exuantur. Hinc toties Hispani Duci Carolo Emmanueli venerunt subsidio, armisque recuperarunt, quæ à Francis occupata fuerant. Tunc solum expediret Ducibus, communi isti renuntiare amicitiæ, & uni certæ coronæ sese adjungere, quando altera armorum vi Statibus illorum dominari contenderet, & præsertim Corona Francica: hæc enim, si Hispanos Italia ejiceret, tam fieret potens (extenso jam suo dominatu ab ultimis Oceani finibus usque ad terminos maris Mediterranei per Calabriam) ut confusis Sabaudiæ & Pe-

 demon-

demontii Statibus necesse foret, aut eos coronæ Franciçæ uniri, aut subjectionem & servitutem subire intolerabilem; quam deinde universa etiam experiretur Italia, absque ulla spe seipsam in libertatem iterum vindicandi; Hispaniæ vero difficile admodum foret, deperdita recuperare, & ad æqualitatem vires reducere, propterea quod tam longe absit in Italia. Periculum istud magna cum prudentia expendit Respublica Veneta, cum crescente Caroli VIII. Franciæ Regis potentia in Italia, novam fœderatorum decrevit unionem, quam sanctissimam appellabant. Atque ex eo tempore moliri cœpit Providentia divina securitatem & conservationem Sedis Apostolicæ pariter & Religionis, & ne Turcarum opprimeretur tyrannide, aut hæresibus inficeretur, quæ in Germania nasciturae essent, provexit ultra ipsas etiam Alpes magnitudinem Domus Austriacæ, atque in Regno Neapolitano, Siciliæ, & Ducatu Mediolanensi stabilivit Monarchiam Hispanicam, ut Italia undique à Principibus Catholicis defendi posset. Vt vero etiam Hispaniæ potentia intra suos contineretur terminos, & juribus successionis, feudorum armorumque contenta viveret, æmulum illi dedit Franciæ Regem, ut pro sua conservatione necesse haberet subditorum sibi conciliare amorem ac benevolentiam, & alios æstimare Principes, conservando in illis justitiam, inter hos pacem, nulla belli data occasione, utpote quod jura & arbitrium potentis Principis in discrimen adducit.

5. Istud beneficium, quod Italia à potentia accipit Hispanica nonnulli servitutem existimant, cum præcipuum potius quietis, libertatis, & Religionis in illa momentum sit. Error ex eo nascitur, quod utilitatem ejus rei non satis agnoscant. Qui navigandi artem ignorat, & imam navem saburra aut lapidibus impletam videt, periculum inde eidem creari putat. At qui prudentius istud considerat, facile agnoscit, absque ejusmodi pondere navem inter undas diu salvam consistere non posse. Hoc utriusque Coronæ æquilibrium pro communi subditorum utilitate expendisse videtur Nicephorus, cum in hæc verba loquitur: a *Mirari mihi subit impervestigabilem Dei sapientiam, qui plane contraria uno fine conclusit. Nam cum duas adversarias potestates inter se committere statuit, nec alteri alteram subjicere, aut ingenio & virtute præstantes utrique parti moderatores præficit, ut alter alterius consilia, & conatus evertat, & utrinque subditorum libertati consulatur, aut utrosque hebetes, & imbelles deligit, ut neuter alterum tentare, & septa (quod ajunt) transilire audeat, veteresque Regnorum limites convellere.* Ad eundem quoque finem separavit inter se Providentia divina vires Regum Hispaniæ & Franciæ; interjiciendo altissimos Alpium muros, ne vicinitas forte, aut aditus facilitas bellum accenderet, magisque faveret Nationi Gallicæ si ea tam frequens portas illas haberet

a Niceph.

beret apertas; quin & pro securitate majori earundem claves Allobrogum Duci, Principi Italo, concredidit, qui cum Statibus suis inter Regem utrumque medius, eas aut clausas servaret, aut apertas, quoties necessitas boni publici illud exigeret. Hanc Dei dispositionem agnovit Papa Clemens Octavus, & singulari cum prudentia effecit, ut Status Salusanus in Allobrogum Ducis potestatem deveniret. Ratio Status antiquissima ea fuit; eidem innitebatur Alphonsus Rex Neapolitanus, cum Mediolanensi Duci suaderet, ne civitatem Asti Ludovico Delphino Franciæ dederet: neque enim, ajebat, Franci Italiæ bono pedē in Italiam inferre cogitant, sed ut suæ eam ditioni subjiciant, prout in Genuensi expeditione tentari cœptum. Hujus consilii vim minime assecutus fuit Princeps ille Italus, qui moderno Franciæ Regi auctor fuit, ut Pinnarolam occupando, pedem in Alpibus figeret, deceptus forte (nisi malitia fuerit) specie utilitatis, quam è Gallorum vicinitate contra quascunque Hispanorum molitiones sperare poterat: nec consideravit tamen, solo metu futuri belli, quod nunquam forte eventurum erat, introduci aliud præsens, & omnino certum de Francis in Italiam admittendis; neque enim in una aliqua Provincia inter duas tam diversas oppositasque Nationes pax conservari poterit; nec aliud inde Italię fore commodum, quam quod serpentem in sinu aleret, à quo deinde pestilentissimo veneno inficeretur. Præterquam quod Franci intra suos etiam limites consistentes ab altera Alpium parte, satis præsto sint semper, ut vocati in Italiam possint irruere, nec necesse sit eos habere tam vicinos, ut ille in Italiam ingressus ipsorum relinquatur arbitrio. Verum etsi Franci tam modesti essent, & ab omni dominandi libidine alieni, ut illic se continerent, nec quicquam nisi implorati ab aliis attentarent, quis dubitet tamen, longe eos extra protectionis limites tunc dominandi occasione abituros: uti reipsa experti sunt Ludovicus Sfortia, Castrucius Castrocani, aliique, qui illorum implorarunt auxilium, nullo alio fructu, quam quod iis accideret (sicut & hodie nonnullis accidit) id quod Trecentinis quondam evenisse memorat Tacitus, nimirum a *quoties isti concordes agebant, spernebatur Parthus: ubi vero dissensere, dum sibi quisque contra æmulos subsidium vocabant accitus in partem, adversum omnes valescebat.* Quod si ista Francorum potentia Pinnarolam ea lege fuisset introducta, ut in ipsius Italiæ esset arbitrio eam aut in subsidium evocare, aut è suis finibus rursum dimittere, ubi sic expedire visum fuerit, habuisset sane consilium istud politicam aliquam rationē & speciem zeli boni publici; at nunc tempore minime opportuno eam intra ipsas Italiæ portas constituere, ut pro libitu, quoties aut ambitio, aut levitas suaserit, eam possit subingredi;

A a 3 atque

a Tacit. lib. 6. Annal.

atque ut ex isto metu Hispani, nunquam non in armis vigilent, deturque occasio, ut alii quoque Principes arma corripiant, & graves concitentur bellorum motus absque ulla quietis spe, non tam consilium fuit, quam proditio patriæ: neque enim erat aliud, quam exponere eam arbitrio Franciæ, & contra adimere Principi Italo facultatem, qua pro communi omnium bono ipsis Alpibus imperitabat.

§. In reliquis Italiæ Principatibus, qui inter ambas illas Coronas constituti non sunt, vim non habet ista Neutralitatis ratio: illatis enim in Italiam armis, Victoris erunt præmium, nec ullam partium sibi habebunt obstrictam, uti Consul Quinctius dicebat, Ætholis persuasurus, ut in bello contra Regem Antiochum suscepto Romanis se *a* jungerent; & experti illud sunt Florentini, quando detrectato fœdere cum Rege Aragonio mansere neutrales, perdentes Regis Franciæ gratiam, nec tamen Pontificis iram mitigantes. Neutralitas semper admittenti exitiosa est, quam ob causam de Senensibus (qui neutralitate salutem quærentes misere periere) dixit Alphonsus Rex Neapolitanus, iis evenisse, quod accidere solet duobus unius ejusdemque domus inquilinis, quorum ille, qui interiores ædium partes incolit, fumo superne habitantem opplet; hic vero contra inferne commorantem madefacit. Thebanis plurimum nocuit, quod neutrales esse voluerint, dum Xerxes Græciam oppugnavit. Et quamdiu talem se gessit *b* Ludovicus XI. Franciæ Rex, cum nullo Principe pacem habuit.

§. Ne porro falli se sinant Principes, opinando nimirum, neutralitatem istam optimum esse medium ad conservandas in æquilibrio Hispaniæ Franciæque vires; nam revera aliqua opus est affectus ostensione in favorem Hispaniæ, non ut pluribus potiatur, neque ut in Franciam irruat; sed ut ea, quæ nunc possidet, tueatur, & in Regno suo detineantur Franci, nec neutralitate forte, aut benevolentia alio invitentur. Et hoc ipsum tam certum est exploratumque, ut sola etiam affectus declaratio absque ullis aliis indiciis publicis pondus sit æquilibrii istarum bilancium, & argumentum sufficiens, cur ideo bellum exardescat. Italia duas factiones ferre non sustinet, quæ Coronæ utriusque intra illius viscera contentione suam stabilire fortunam satagunt. Agnovit istud Carolus V. Imperator, quando ut Italiæ quietem restitueret, eas penitus exstinxit, mutavitque formam Reipublicæ Florentinæ, quæ eas id temporis fovebat; una enim bilancium Franciæ, aut Hispaniæ plusculum onerata pacis examen inclinabat. Cognita hac veritate, prudentiores quique Principes & Respublicæ, Hispaniæ sese faventiores exhibuere, ut aliquod illi pondus adderent, perfectiorique constituto æquilibrio, una cum Statibus suis optata quiete fruerentur: & si

a *Quippe sine dignitate præmium victoris erisis.* Liv. l. 35.

b Phil. Comin.

& si quis illud aliquando disturbavit, adjungendo se ad factionem contrariam, is ingentes dedit turbas, & Italiam in ruinam impulit.

§. Gloria illa quæ dominandi libidinem comitatur, nonnullos interdum Italos stimulat, ut secum ipsi statuant melius fore, si contra utramque conspirent Coronam, & sibimet ipsi dominentur, aut in Respublicas divisi, aut certo aliquo capite constituto; verum cogitationes istæ, supposita Italiæ conditione, pro discursu sunt potius quam ut in effectum deduci queant: nam aut Papa totius Italiæ erit Dominus, aut aliquis alius. Si Papa, minime desunt rationes, quibus facile quis ostendat, fieri non posse, ut Monarchia aliqua spiritualis conjuncta cum sæculari, satis se tueatur in potentia Principis alicujus electivi (devexa præsertim ætate, qua ordinarie omnes solent esse Pontifices) qui totus est in procuranda pace & tranquillitate Ecclesiastica, occupatus in negotiis spiritualibus, cinctus nepotibus & consanguineis, ut licet eorundem Statibus successionem nequaquam obtenderet, valde tamen eos, varia iisdem feuda distribuendo, in partes distracturus sit: accedit præterea cum plurimum alias Christianitati conducat, Pontifices communes esse omnium Patres absque dissidiis cum Principibus aliis, futurum ea ratione, ut perpetuas habituri sint controversias ac lites cum duabus illis Coronis de juribus, quæ in Ducatum Mediolanensem, Regna item Neapolitanum; & Siciliæ ambæ illæ sibi vendicant, ac proinde sedem Apostolicam armis facile impetent, aut junctæ cum pacto aliquo dividendi postea inter se Status illos bello partos, aut separatæ, una per agrum Mediolanensem, altera per Neapolitanum in Italiam irruente, cum periculo etiam, ne alterutra forte auxiliares Germanorum, aut ipsius Turcæ copias in subsidium evocet, quæ postea in Italia pedem figerent.

§. Quod si aliquis totius Italiæ Rex crearetur, eadem manerent incommoda, & aliud adhuc gravius nasceretur ex eo, quod ad formandam unam Monarchiam, Principes alios uni alicui reddere subditos, & Pontificem suo oporteret exuere imperio: nam si eo in statu, in quo nunc sunt, eos relinqueret (tametsi id foret cum aliqua clintelæ agnitione, aut fœdere) nullo modo sese tueri posset, quo potro fieret, ut Italia imperium istud spirituale omnino perderet, quod non minorem illi parit gloriam, ac illud Romanum, & amissa sua libertate in tyrannicam quandam deveniret confusionem.

§. Minus autem fieri poterit, ut Italia quieta persistat, si à diversis gubernetur Principibus: neque enim ita omni ex parte inter eos conveniet, ut contra ambas illas Coronas sese uniant, quin potius bellis mutuis intestinis ultro accersitis se conficient, uti sæculis retro præteritis accidit; siquidem Natio Italica

tam est generosa, ut modum tenere haud sciat, aut dominari vult absolute, aut parere.

§. E quibus omnibus liquet, quam Italiæ necessaria sit potentia aliqua peregrina, quæ opposita exteris, nec inter illius Principes bellorum toleret motus, nec armis utatur alienis; quæ caussa est, cur ex eo tempore, quo in illam ingressa fuit Corona Hispanica, pace & tranquillitate fruita semper fuerit.

§. Ingens itaque utilitas, quam secum adfert necessitas illa ad alterutram Coronam sese adjungendi, movere potest Nationem Italicam, ut cum præsenti Statu se conformet, posito præsertim, quod si quæ in Ducatu Mediolanensi, & Regno Neapolitano ac Siciliæ fiat immutatio, id futurum sit cum gravi aliorum dominiorum perturbatione: neque enim formæ novæ absque aliarum interitu introduci solent; cumque alterutra è duabus illis Nationibus in Italia admittenda sit, convenientior utique pro illa erat Hispanica, siquidem ambæ istæ uni eidemque subsunt Climati, quod eas reddit similiores in firmitate Religionis; in observatione justitiæ; in actionum gravitate: in fidelitate erga suos Principes; in constantia promissorum & fide publica; in modestia animorum, aliisque ritibus ac moribus: tum etiam, quia Rex Hispaniæ non imperat in Italia tanquam extraneus, sed tanquam Princeps Italus, qui nihil in illam obtendit aliud, quam ut ea conservet, quæ justo nunc titulo possidet, quippe qui majori cum Status emolumento Monarchiam suam extendere possit per vastissimas Africæ Provincias. Hanc regulam secutus est, & suis reliquit Successoribus Rex Ferdinandus Catholicus, quando oblatum sibi in Italia Imperatoris titulum generose respuit, dictitans nihil se in illa cupere, quam quod jure ad se pertineret, nec decere, ut Imperialis dignitas in partes distrahatur. Testes ejus rei sunt tot tamque variæ restitutæ urbes, absque eo quod Rex Hispaniæ juri belli & compensatione sumptuum damnorumque uti voluerit, aut arma sumere (quamdiu non ursit necessitas) sive pro defensione propria, sive pro aliena conservatione: uti reipsa experti sunt Mantuani Duces. Quod si aliquando Nivernensem bello aggressus est, non ideo factum, ut Casalum occuparet; quemadmodum malevoli quidam interpretantur, sed ut Imperator justitiam administrare posset iis, qui jus aliquod in Status illos sibi vendicabant: posteaquam enim Dux Nivernensis per Marchionem Mirabellanum Regiæ suæ Majestatis tutelam & consensum pro matrimonio filii sui Ducis Retellani cum Principe Maria petiisset, utrumque obtinuit; sed confecto negotio, Madritum mox nunciatum fuit artibus Comitis Estrigii celebratum jam matrimonium, Vincentio Mantuano Duce in extremis constituto, nulla prius cum

sua

sua Majestate ea super re facta communicatione, contra ac Regem inter & Ducem convenerat. Vnde novitas ista, quæ nonnullis contemptus quidam & diffidentia videbatur, tutelæ executionem distulit inprimis, & novis deinde consultationibus ansam dedit, quibus sic visum, ut tunc quidem istis omnibus dissimulatis effectum suum gratia sortiretur, & de matrimonio inito congratulatio fieret. Verum cum Providentia divina ruinam urbis Domusque Mantuanæ ob Principum illius vitia, & illusa sæpius matrimonia disponeret, ad eundem istum finem eventus omnes dirigebat; atque adeo dum hæc in Hispania gererentur, effecit Cardinalis Richelius juratus Ducis Nivernensis hostis, ut opitulante suo Rege Dux Allobrogum bellum illi inferret pro iis occupandis, ad quæ in Monferrato jus aliquod obtendebat. At Dux ille subodoratus, nonnisi inanem hunc titulum esse, ad introducenda in Italiam arma Gallica & media utriusque Ducis ruina augendam Coronæ Francicæ amplitudinem, rem omnem Gonsalvo de Corduba Gubernatori Mediolanensi aperuit, ultro pollicitus, si armis suis sibi præsto foret, se Franciæ partes deserturum. Gonsalvus tempus sibi dari petiit, ut ea de re ad consilium referret in Hispaniam, vidensque illud à Duce denegari, & nisi eidem auxilio adesset, Alpium portas Francis patefactum iri, magisque perturbandam Italiam, suapte interim sponte cum eo transegit, sperans Espadini opera Casalo se potiturum, quo fieret (quemadmodum ipse ad suam Majestatem perscribebat) ut facilius deinde Imperator controversias in Montferrato & Mantuano Ducatu exortas posset componere. Atque hoc ipsum consilium effecit deinde, ut sua Majestas alteram etiam tutelæ executionem suspenderet, quantumvis alias pacem Italiæ cuperet; quam tamen ut quoquo modo procuraret, omnemque æmulationis caussam è medio tolleret, dedit in mandatis Gonsalvo de Corduba, ut si (quod certum habebatur) Casalum jam occupasset, eandem urbem nomine Imperatoris, directi illius Domini tueretur, missis insuper litteris ejusdem tenoris, quas in tali casu ad suam Cæsaream Majestatem ipse destinaret. Verum cum tractatus ille minime succederet, absque Majestatis suæ jussu Casalum obsidione cinxit, unde factum, ut Rex Franciæ Susam advolaret, & Hispania præter opinionem bello implicaretur, palam protestata copias istas militares non nisi auxiliares esse Cæsaris, ut via justitiæ desideretur de juribus, quæ nonnulli in Monferrato & Ducatu Mantuano sibi competere affirmabant; Gonsalvus vero conditionem quam Dux Nivernensis illi offerebat, de nudando mœnibus Casalo, admittere nunquam voluit, ne cuipiam forte videretur, Majestatem suã privati commodi gratia potius, quam tranquillitatis publicæ moti-

bus illis sese immiscuisse. Hæc ipsissima rei veritas est, nota perpaucis, & à multis tamen per calumniam graviter injusteque traducta.

Deponant igitur Italiæ Principes ac Respublicæ inanes illas suspicionum umbras, certo sibi persuadentes, Hispaniam hoc solum spectare ac cupere, ut suam inter illos magnitudinem conservet, non ut eandem augeat, & locum dent veræ politicæ hujus meæ narrationis, siquidem amant Italiæ pacem: æmulationes enim illæ, quas multi sibi inaniter & absque fundamento imaginantur, gravissimorum motuum caussa sunt, cum nullum sit bellum, quod non aut ex Potentioris ambitione, aut imbecillioris metu oriatur.

SYMBOLVM XCVI.

Victoria in bellis justis pacem ut finem spectat, ad hanc siquidem, & ad æquitatem hostem adducit, atque adeo illa magis erit gloriosa, quam minori cum damno ars largita fuerit, non armorum robur; illa, inquam, quæ minus pulvere & sanguine respersa fuerit. Palmam dulcem Horatius appellat, quæ sic obtinetur.

— a *Dulcis sine pulvere palma.*

Romani pro victoriis cruentis Gallum Diis sacrificabant, bovem vero pro iis, quas ars & industria pepererat. Si ingenio ad Dei accedimus similitudinem, vires autem communes habemus cum belluis, gloriosius utique erit illo hostem vincere, ac istis. b *Lætior* erat *Tiberius*, *quia pacem sapientia firmaverat*, *quam si bellum per acies confecisset. Ingens victoria decus* Agricolæ c *citra Romanum sanguinem bellanti*, & Romanos vincenti. Quod sic victoria conservationem & augmentum Reipubl. ut finem præ oculis habet, melius stratagemate aut negotiatione is obtinebitur, quam armis. Pluris vita unius civis æstimari debet, quam multorum hostium interitus: unde Scipionem Africanum dicere solitum accepimus, *malle se unum servare civem, quam mille hostes occidere.* Quibus verbis postea tanquam symbolo suo usus fuit Marcus Antonius Pius Imperator, & recte id quidem: nam hostem superare Ducis militaris est officium: servare vero civem, Patris Patriæ. Non istud considerabat Vitellius Imperator, cum devicto Othone per cæsorum transiens cadavera diceret, *gratus odor trucidatorum hostium, gratior tamen civium.* Inhumana plane vox, quæ ne vulturem quidem deceret. Aliter Himilcon affectus fuit, qui licet magnas in Sicilia obtinuisset victorias, quia tamen milites quam plurimos desiderabat, quos lues in castris sustulerat, Carthaginem non triumphans ingressus fuit, sed pullata indutus veste, & amictu mancipii proprio, suam deinde domū repetens, & nemini

a Horat.
b Tac. l. 2. Annal.
c Tac. in vita Agric.



mini quicquam locutus, sibi ipsi necem conscivit. Victoria cruenta ardor quidam vindictæ videtur esse potius, quam fortitudinis facinus. Plus in ea ferocitas obtinet, quam ratio. Ludovicus Duodecimus Franciæ Rex, cum intellexisset exercitum suum in prœlio ad Ravennam de hoste triumphasse, multis tamen amissis Ducibus & militibus, altum suspirans dixisse fertur: *O utinam prælio victus potius fuissem, & optimi mei Duces etiamnum viverent! Victorias ejusmodi Deus hostibus meis largiatur, in quibus victus evadit victor, victor autem victus abit.* Eam ob caussam boni prudentesque

Duces, quantum fieri potest, acres conflictus & oppugnationes *a* devitant, majoriq; sibi ducunt honori, si efficiant, ut hostis ultro se dedat, quam si viribus & armis eundem superent. Magnus Dux urbem Cajetam certis pactis & conditionibus in suam redegerat potestatem, & autumabant nonnulli satius futurum fuisse, si tanquam in campo victor, vi armata eandem occupasset, detentis in captivitate Ducibus, qui illic erant, ob damna videlicet, quæ facere illi possent si liberi dimitterentur; ipse vero respondit; *Plus in pulverem pyrium, glandes, & tormentorum globos impendendum fuisset, quam periculum istud mereretur.* Egregia fortitudo est, quæ minori sanguinis impensa ad deditionem compellit; & bellum felix, quod miserando & ignoscendo *b* transigitur. c *Quanta pervicacia in hostem, tanta beneficentia adversus supplices utendum.* Isthanc animi generositatem hac nostra ætate vix usurpari videmus, quando magis ad explendam iram, quam ad fortitudinem exercendam, magis ad vastandum, quam ad vincendum armis concurritur. d *Ubi* urbibus exustis, vastatis Provinciis, incensis spoliatisque agris, ut in Germania & Burgundia fieri cernimus, *solitudinem faciunt, Pacem appellant.*

a *Dare in discrimen legiones haud imperatorium ratus*, Tac. lib. 2. Annal.

b *Bellorum egregios fines, quoties ignoscendo transigitur*, Tacit. lib. 12. Annal.

c Idem ibid.

d Tacit. in vita Agric.

O sævitiem barbaram, & ab omni ratione humana alienam, ipsimet Naturæ bellum inferre, eidemque eripere media, quibus nos alit ac sustentat! Etiam arbores urbibus obsidione cinctis proximas succidi vetant sacræ paginæ, quia ligna sunt, non homines, nec hostium numerum augere *e* possunt. Tantopere Deo displicet sanguis in bello effusus, ut quamvis adversus Madianitas arma sumere jussisset, postea tamen etiam præceperit, ut quicunque aut hominem trucidasset, aut occisum contigisset, dies septem, extra *f* castra, lustraretur. Æneas grande nefas putabat, res sacras manibus contrectare ante, quam pura lympha eas abluisset:

Attrectare g nefas, donec me flumine vivo
Abluero.

Deus tanquam pacis vitæque auctor eos abominatur, qui aut illam perturbant, aut hujus filum abrumpunt. Etiam contra ipsamet arma, quia mortis sunt instrumenta, hanc Deus indignationem ostendit: ideo enim opinor, altaria è lapidibus rudibus, & impolitis, quos ferrum non tetigisset,

e *Quando obsederis civitatem multo tempore, & munitionibus circumdederis, ut expugnes eam, non succides arbores, de quibus qui vesci potest, nec securibus per circuitum debes vastare regionem, quoniam lignum est, & non homo, nec potest bellantium contra te augere numerum.* Deuteron. 20. v. 19.

f *Manete extra castra septem diebus. Qui occiderit hominem, vel occisum tetigerit, lustrabitur die tertio & septimo.* Numer. cap. 31. v. 9.

g Virgil.

tigisset, exstrui præcepit; uti illud, quod erectum fuit, postquam populus Israëliticus Iordanem *a* transierat, aut illud Iosuæ post reportatam ab *b* Haitis victoriam: ferrum enim belli materies est, unde gladii fiunt; neque admittere illud voluit ad sacrificiorum suorum puritatem & quietem, id quod in alio quodam præcepto videtur expressisse, cum prohibet, ut ne culter quidem altaribus applicetur, & si fiat secus, ea pollutum *c* iri.

§. Verum effrænata gloriæ cupiditas rationibus istiusmodi locum dare non solet, perinde quasi famæ celebritas obtineri non possit, ubi nec virium robur sese exserit, nec sanguis profunditur, qua eadem de caussa interdum nec auxiliares copias, nec victoriæ socios quidam admittere cupiunt. Rex Alphonsus Tertius propterea solum in pugna ad Arcos cladem accepit, quod Legionensium & Navarrorum adventum præstolari noluisset; uti & Tillius in prœlio Lipsiensi, quod non exspectasset Cæsareas copias. Qua in re egregie fallitur ambitio, siquidem victoriarum gloria non tam in armorum robore ac viribus est posita, quam in eo, ut tutioribus quis uti norit consiliis: nam illa à casu pendent, hæc vero à prudentia. Sat cito victoriam obtinet, cui cum judicio provisum est, ne *d* vincatur. Vrit ambitio, & ratio perturbata naturalem sequitur impetum, ac semetipsam perdit. Plurimum subditi suo debent Principi, qui spretis trophæis & triumphis hoc agit, ut pacem negotiationibus conservet, & auro argentoque victoriam obtineat. Meliori siquidem venit pretio, quæ pecunia, quam quæ sanguine emitur. Et plerumque felicius securiusque hastis aureis pugnatur, ac ferreis.

§. Parta semel victoria ob præteritorum casuum varietatem suimet obliviscitur; gloria evanescit; gaudio perturbatur; lætatur spoliis; acclamationibus fit confidentior; sanguine profuso hostem contemnit, & secura obdormiscit, tunc præsertim, cum vigilare vel maxime eam oporteret, majoremque præ se ferre fortitudinem in semetipsa edomanda, quam in hoste debellando exercuit: hoc etenim magis à fortuna, quam ab animi magnitudine proficisci potest, & in triumphis de effectibus nostris & passionibus casus locum non habet. Decet igitur, ut post obtentam de hoste victoriam, supremus militiæ Dux in semetipsum protinus descendat, ac prudenter fortiterque componat suorummet affectuum civiles motus: absque hoc enim triumpho ne ipsa quidem de hoste victoria satis secura foret. Ad ipsa

A a 7 spolia

a *Et ædificabis ibi altare Domino Deo tuo de lapidibus, quos ferrum non tetigit.* Deut. 27. 5.

b *Tunc ædificavit Iosua altare de lapidibus impolitis, quos ferrum non tetigit.* Ios. 8. 31.

c *Si altare lapideum feceris mihi, non ædificabis de sectis lapidibus, si enim levaveris culturum super eo, polluetur.* Exod. 20. 25.

d *Satis cito incipi victoriam ratus, ubi provisum foret, ne vincerentur.* Tacit. lib. 2. Annal.

spolia & trophæa majori cum sollicitudine vigilet: nam metus in periculo custodias excubiasque duplicat; qui vero extra illud versari se existimat, somno se dat: a *Iosua non contraxit manum, quam in sublime porrexerat, tenens clypeum, donec interficerentur omnes habitatores Hai.* Nulla est securitas prœlium inter & victoriam. Desperatio multa audet. Vilissimum etiam animal, si vexetur, contra insurgit. Alberto Archiduci carò stetit ad Neoportum experientia. Periculosum esse ajebat Abnerus ad Ioabum, nimium ferro in hostem *b* sævire. Ingeniosa præterea est ipsa calamitas, adeo ut ea pressus hostis occasione uti soleat, & in uno sæpe momento amissa recuperet, hac ipsa sua inconstantia Fortunam deludens. Cum maxime splendet, vitrea est maxime, & citissime frangitur. Eam ob rem belli Dux victoriis efferri non debet, nec existimare fieri non posse, ut victo rursus in trophæum cedat. Eundem semper casum præ oculis habeat, contemplando uno eodemque tempore sub ærumnarum aquis demersam palmam, quam triumphantem sustulit; haud secus atque in palma præsentis Symboli videre licet, cujus adversa species oculis subjicit, ad quem statum illius pompam ventorum vis aut temporum injuria possit reducere. Prudens isthæc consideratio in caussa fuit, cur sponsus sponsæ suæ oculos aquarum rivulis *c* compparet: in illis enim agnoscitur & componitur animus, pro adversis casibus. Ingens gloriæ hostis prosperitas est, confidentia quippe virtutem socordem ac negligentem efficit, & superbia periculum despicit. *d Acriore hodie disciplina victi, quam victores agunt: hos ira, odium, ultionis cupiditas ad virtutem accendit: illi per fastidium & contumaciam hebescunt.* Parta semel victoria victo sæpe felicitatis, victori contra infortunii solet esse principium: hunc enim fortuna prospera excœcat, ille adversa emendare satagit. Quod arma florentia vincere nequiverunt, prostrata interdum obtinent, & dispersa hinc inde spolia: his enim militum alitur cupiditas, sine disciplina, sine ordine; uti Sarmatis accidit, *e qui cupidine prædæ graves onere furcinarum, velut vincti cædebantur.* In Tarrensi prœlio adversus Regem Franciæ Carolum Octavum infeliciter, aut ancipiti saltem Marte pugnatum fuit, eo quod milites Itali citius, ac oportebat, ad impedimenta diripienda sese effuderint. Ea propter Iudas Machabæus milites suos hortatus est, ut nemo quisquam donec confectum esset prœlium, hostium spolia *f* tangeret.

Victoriæ pluris à progressibus,

a Ios. 8. 26.

b Num usque ad internecionem tuus mucro desæviet? an ignoras, quod periculosa sit desperatio? 2. Reg. 2. 26.

c Oculi ejus sicut columbæ super rivulos aquarum. Cant. 5. 12.

d Tacit. l. 2. Hist.

e Idem lib. 1. Hist.

f Sed state nunc contra inimicos nostros, & expugnate eos & sumetis postea spolia securi. 1. Mach. 4. 18.

sibus, qui inde sperari possunt, quam à seipsis æstimandæ sunt, atque adeo excolere eas oportet, ut tanto uberiorem fructum proferant. Tempus & moram concedere, aliud nihil est, quam armare hostem, & fructu jam collecto contentum vivere, armis in sterilitate relictis. Æque facile est fortunam assurgentem labi, ac difficile lapsam rursum erigere. Ob hanc casuum incertitudinem multis argumentis Senatui persuadere conatus est Tiberius, nullo modo expedire, ut honores ob victorias in Germania obtentas Germanico decreti executioni *a* darentur.

Verum tametsi perutile sit victorias persequi, ardor tamen ille tam securus, & absque omni sollicitudine esse non debet, ut pericula contemnat. Consulenda celeritas, sed cum prudentia, habita ratione temporis, loci & occasionis. Vtatur Princeps victoriis cum moderatione, non cum tyrannide cruenta & barbara, ponendo sibi semper ante oculos consilium Theodorici Ostrogothorum Regis, quod super Germaniæ victoriis ad socerum suum Clodoveum scripsit in hunc sensum: b *In ejusmodi casibus eum audiat, qui majorem habet experientiam: Illa bella bene feliciterque mihi evenere, qua cum animi modestia confeci: sæpe enim victor evadit, qui moderatione uti novit, & plus illi blanditur Fortuna, qui minus superbia sese effert.* Hoc tam prudenti consilio minime hoc tempore usi sunt Franci, quin immo gravius jugum Germaniæ imposuere, quam unquam sustinuit: unde quam celerrime imperium in ruinam impulerunt. Plus in Marcello placuit modestia & pietas, quando ob eversa elegantissima Syracusarum in Sicilia ædificia plorare visus est, quam virtus & gloria, ob easdem armis expugnatas, cum triumphans eam urbem ingrederetur. Gravius fortissimus ille Heros Tillius multorum corda sauciavit lacrymis illis, quas in Magdeburgensi profudit excidio, quam armis ipsis & ferro. Et licet Iosue exercitus sui ducibus præceperit, ut quinque Regum in pugna Gabaonitica captorum cervices pedibus *c* conculcarent; id tamen non ex superbia factum aut inani gloria, sed ut animos militibus suis adderet, metumque adimeret, quem de Gigantibus Chananæis *d* conceperant.

Victos clementer habere, eorundem privilegia & Nobilitatem conservando, & tributa leniendo, bis eosdem est vincere; una vice armis nimirum, altera benignitate, & catenam interim fabricari pro Nationibus aliis superandis. Nec pauciores generositati, quam viribus sese submisere.

a Ex-

a *Cuncta mortalium incerta, quantoque plus adeptus foret, tanto se magis in lubrico dictans.* Tacit. lib. 1. Annal.

b Cassiodorus.

c *Ite, & ponite pedes super colla Regum istorum.* Iof. 10. 24.

d *Nolite timere, nec paveatis, confortamini, & estote robusti: sic enim faciet Deus cunctis hostibus vestris, adversum quos dimicatis.* Iof. 10. 25.

——— a *Expugnat nostram clementia gentem,*
Mars gravior sub pace latet.

His artibus Romani totius orbis sese Dominos effecere, & si earum aliquando obliti sunt, victorias sane perdifficiles habuerunt. Adversus victorem cruentum ipsa se armat desperatio.

b *Una salus victis, nullam sperare salutem.*

Fuere nonnulli, qui impie magis, quam prudenter pro majori securitate Nationem hostilem penitus exstirpandam dicerent; uti fecerunt Romani, Carthaginem, Numantiam & Corinthum evertentes, aut cogendam, ut alio commigraret. Consilium inhumanum prorsus ac barbarū. Alii extinguendam esse Nobilitatem, propugnacula erigenda, arma eripienda. Verum tyrannis ista apud Nationes serviles, non apud eas, quibus indoles est generosior, locum habere poterit. Consul Cato, ut à quibusdam Hispaniæ populis ad fluvium Iberum esset tutior, arma iisdem sustulit; sed mox ea restituere oportuit: tantopere enim ea re exasperati fuere, ut mutuis sese vulneribus conficerent. Infamem duxere vitam, quæ instrumentis careret, ad defendendum honorem & gloriam parandam necessariis.

a Claud.
b Virgil.

SYMBOLVM XCVII.

DEvicto Leone probe victoria uti noverat Hercules, pelle ejusdem suos vestiens humeros, ut tanto facilius monstra alia edomaret. Sic prorsus unius victoriæ spolia armant victorem, & potentiorem efficiunt; atque adeo victoriis suis uti debent Principes, ad vires suas deditione militum roborandas, & augendam Statuum suorum amplitudinem accessione urbium & castellorum, quæ armis suis expugnaverint. Regna omnia initio fuerunt exigua, acquirendo postea & conservando crevere. Iisdem ex causis, ex quibus bellum justum est & licitum, partorum quoque detentio justa efficitur ac licita. Spoliare, ut restituas, imprudens & sumptuosa levitas est. Nullum se accipere beneficium existimat, qui hodie recipit, quod heri bello cruento ereptum ei fuerat. Arbitrantur Principes, restitutione pacem se posse emere, & bellum sibi accersunt. Quod occuparunt, formidabiles eos reddit, quod restituunt, contemptibiles, quia plerique animi vilitatem interpretantur, & si postea pœnitudine ducti, aut lacessiti illud recuperare contendunt, ingentes experiuntur difficultates. Vallem Telinam Majestas sua (ut invidiam omnem & bellum effugeret) in sedis Apostolicæ arbitrium consignaverat, qua deinde à Francis occupata, Status Mediolanensis in discrimen venit, & tota Italia armorum tumultu conturbata fuit. Detentione eorum, quæ occupata



pata fuerunt, castigatur temeritas, & firmatur potentia, velut pignoribus quibusdam, ad obtinendam pacem, ubi necessitas postulaverit. Tempus ipsum & occasio erudient Principes, quibus in casibus retinere, aut restituere oporteat, ad evitanda majora incommoda & pericula, quæ à prudentia tamen, non ab ambitione æstimanda sunt, cujus cœca cupiditas iis sæpe mediis, quibus Status dilatare cogitabat, eosdem imminuit.

5. Solent Principes pacis tempore facile loca quædam munitiora è suis manibus dimittere, quod ingruente postea bello sed serius deplorant. Necessitas præsens præteritam

teritam accusat liberalitatem. Nulla potentia tantum de se ipsa confidat, ut se non omnibus istis pro defensione sua indigere existimet. Non ungues suos aquila exuit, & si id faceret, mox reliquarum avium foret ludibrium: neque enim illam ut Reginam venerantur, ob ejus forte pulchritudinem, siquidem Pavo longe est elegantior, sed propter unguium robur. Majori in veneratione, magisque secura foret hodie in Italia auctoritas suæ Majestatis, si conservasset Statum Senensem, præsidium urbis Placentiæ, similiumque locorum, quæ aliorum arbitrio tradidit, ne restitutio quidem Status alicujus fieri debet, si cum notabili alterius detrimento conjuncta ea fuerit.

§. Non minoris incommodi est, bellum facere alteri, ac segniter armis uti. Ista corripere ad intentandos solum ictus, periculosum certamen est. Eductus è vagina gladius, nisi sanguine tingatur, cum rubore in eadem reconditur. Si hostem non feriat, in honorem proprium desævit. Ignis instrumentum est belli, qui eum in manu sua suspensum tenuerit, ab eodem consumetur. Nisi exercitus in hostili sustentetur solo, agros proprios atq; una semetipsum pessundat. Refrigescit & languet virtus, si occasiones desint, in quibus sese exserat, & spolia, quibus inflammetur. Ita Vocula exercitum suum in hostili terra hospitari voluit, a *ut præda ad virtutem incenderetur*. David extra Regni sui fines hostibus suis Philisthæis *b* ivit obviam; & Ioas Rex Israël venientem adversus se Amasiam Regem Iudæ intra suim c Regni limites aggressus est, & *c* cecidit. Bellum domi suæ diu ferre nequeunt subditi amicos pariter ac hostes sustentando: crescunt enim sumptus; deficiunt media, & augentur pericula. Quod si id fiat, ne hostis amplius irritetur, & ut tanto facilius ejus mitigetur animus, imprudens plane consilium est; neque enim hosti manifeste blandiri oportet. Si conquiescunt arma, non benignitatem & clementiam interpretatur, sed animi vecordiam, & spreta auctoritate, etiam potentissimi quique in discrimen veniunt. Caro Regi Hispaniarum Catholico stetit clementia, qua erga Carolum Sabaudiæ Ducem usus fuit. Bellum hic susceperat adversus Ferdinandum Ducem Mantuanum, juris antiquitus in Montferratum obtenti vindicandi caussa; Rex vero Philippus Tertius minime consultum ratus, ut pendente apud Cæsarem lite, armis illa decideretur controversia, & Principum duorum contentione Italiæ totius pax turbaretur, movit cũ exercitu contra dictum Sabaudiæ Ducem & urbem Asti obsidione cinxit, non ut eam vi expugnaret (quod factu facillimũ fuisset) sed ut armis minitando Ducem

a Tacit. lib. 4. Hist.

b Venit ergo David in Baal Pharazim, & percussit eos ibi. 2. Reg. 5. 20.

c Ascenditque Ioas Rex Israël, & viderunt se, ipse & Amasias Rex Iuda in Bethsames oppido Iuda. Percussusque est Iuda coram Israël. 4. Reg. 14. 11.

cem ad pacem adduceret, id quod reipsa obtinuit. E qua Regis moderatione majores deinde sumpsit animos, & contra, ac conventum fuerat, arma corripuit, aliud suscitans bellum magis sumptuosum, quam illud prius. Vnde factum, ut sua Majestas urbem Vercelli obsideret, quam tamen occupatam mox restituit; cumque sua Duci consilia feliciter succederent, inito Avenione cum Francis & Venetis fœdere, tertium Italiæ quietem perturbavit. Quæ bella omnia facile evitari potuissent, si mox in primo dimisisset, quod Hispaniæ arma prætendebant, etiamsi vel Status sui partem perdere debuisset. Qui semel potentiæ majori opponere sese ausus fuerit, amicus non erit, nisi spoliatum exutumque se viderit: ita Vocula ajebat ad tumultuantes Legiones, cum eas contra rebelles quasdam Franciæ Provincias a incitaret. Principes non ideo timentur, aut in veneratione sunt, quod ferire possint, sed quod ferire norint. Nemo eũ invadit temere, qui contra vicissim audet aliquid. Omnia fere bella ex eo nascuntur fonte, quia qui impetitur, aut negligentior est, aut timidior. Non grave adit discrimen, qui adversus Principẽ pacis amantem arma corripit: quicquid enim evenerit, semper illa frui poterit. Eam ob rem immutanda videntur in Italia Hispanorum Principia; quæ communiter animis imprimunt, suam scilicet Majestatem adeo pacis amicam esse, ut quovis etiam pretio eam mercari parata sit. Illud equidem refert plurimum, si norint Principes, Majestatem suam sinceram semper cum illis & mutuam culturam amicitiam, suis etiam armis pro eorundem conservatione defensioneque decertaturam, nec quicquam intermissuram diligentiæ, quod ad Provinciarum illarum tranquillitatem possit conducere: sed & istud scire oportet, quod, si quis inique ejus se auctoritati opposuerit, aut contra eandem conjurarit, caussamque dederit belli damnis ac sumptibus, vicissim Majestas sua satisfactionem ab eo repetitura sit, retinendo ea, quæ armis occupaverit. Ecquod Iustitiæ tribunal ad præstandos sumptus non condemnat eum, qui sine caussa litem intentat alteri? Quis gladii sui vires non experietur in potente aliquo Principe, si absque suo damno id facere poterit?

5. Obtenta aliqua victoria spolia inter milites dispertiri debent, & peculiares deferri honores iis, qui fortes se & strenuos præ aliis gessere in prœlio, ut remunerata hoc modo virtus ad majora inflammetur facinora, & aliis exemplo sit. In eum finem Romani varias excogitarunt Coronas, torques, ovationes & triumphos. Saul post devictos Amalecitas arcum triumphalem sibimet b erexit. Neque vivis solum honores isti decerni debent, sed iis etiam, qui fortiter in prœlio occubuerunt, co-

a *Nunc hostes, quia molle servitium: cum spoliati, exutique fuerint, amicos fore.* Tacit. l. 4. Hist.

b *Ex erexisset sibi fornicem triumphalem.* 1. Reg. 15. 12.

eorumque successoribus, quia vita sua & sanguine victoriam peperere. Magna obsequia Reipublicæ præstita compensari aliter nequeunt, quam memoria aliqua æterna; uti compensata fuere bene merita Ionathæ, cui erectum fuit a sepulchrum, quod ad multa sæcula perduravit. Animus, qui immortalem se videt, facile contemnit pericula, ut & factorum suorum memoria immortalis sit. Propterea olim b *apud Hispanos bellicosam Gentē obelisci circum cujusque tumulum tot numero erigebantur, quot hostes interemisset.*

5. Cum vero Deus victoriarum supremus sit arbiter, illi inprimis eas in acceptis referre debemus, eundemque obligare ad plures porro largiendas, non agendis solum gratiis & sacrificiis, sed spoliis etiam & oblationibus: uti fecerunt Israëlitæ post solutam Bethuliæ obsidionem, & cæsos c Assyrios; sicut & Iosue post reportatā ab Haitis victoriam, hostias pacificas d offerens, qua in re eximie semper liberales fuere Hispaniæ Reges, quorum pietatem benignissimus Deus præsenti hac Monarchia remuneratus est.

a *Et statuit septem pyramidas, unam contra unam Patri & Matri, & quatuor fratribus: & his circumposuit columnas magnas: & super columnas arma ad memoriam æternam: & juxta arma naves sculptas, quæ viderentur ab omnibus navigantibus mare. Hoc est sepulchrū quod fecit in Modin usq; in hunc diem.* 1. Mach. 13. 28.

b Arist. l. 7. Polit. c. 2.

c *Omnis populus post victoriam venit in Ierusalem adorare Dominum: & mox ut purificati sunt, obtulerunt omnes holocausta, & vota, & repromissiones suas.* Iudith. 16. 22.

d *Et offeres super eo holocausta Domino Deo tuo, & immolabis hostias pacificas.* Deut. 27. 6.

SYMBOLVM XCVIII.

MVltis in rebus bellum igni est simile, non solum, quia natura ejus est destruere, verum etiam, quia materie eadem, qua nutritur, si nimia ea sit, opprimi solet, & extingui. Bellum arma sustentant, sed si superiora ea sint, restinguunt illud, aut certe in pacem commutant. Quare qui hanc obtinere voluerit, illorum uti debet robore: nulla enim pax decens, aut bonis cum conditionibus fieri potest, nisi concludatur firmeturque sub clypeo. Isthoc muniri oportet brachiū, quod manum porrexerit (ut in præsenti exhibetur Symbolo) ad prehendendam pacis olivam. Clodoveus binas sibi optabat manus dexteras: unam armatam, qua Alarico resisteret; inermem alteram, quam pacis firmandæ causa Theodorico, qui inter utrumque se interponebat, posset porrigere. Ad bellum æque ac pacem parata sint oportet Principis brachia. Non putabat Clodoveus hanc consequi se posse, si manum dexteram inermem ostenderet, & alteram armis instructam non haberet. Istud Græci peculiari significabant hieroglyphico viri alicujus una manu hastam, altera caduceum tenentis. Negotiatio pacis per caduceum adumbrata recte

suc-



ſuccedere non poteſt, niſi comminatio haſtæ eam comitetur. Cum Athenienſes Eumolphus armis infeſtaret, præcedebat ſupremus eorum Dux, caduceum manu præferens, pone ſequebatur juventus armata, ut tam ad pacem, quam ad bellum paratum ſe oſtenderet. Rhodiis aliquando Conſtantinopolim legationem adornantibus, quidam tres ramos manu tenens Legati latus ſtipabat, eandem animi diſpoſitionem iiſdem innuens; quo alluſiſſe videtur Virgilius cum dixit:

a *Pacem orare manu, præfigere puppibus arma.*

Etiam

a Virgil.

Etiam conclusa jam pace, non omnis armorum cura deponenda est: nam a *in victores victosque nunquam solida fides coalescit.* Vno eodemque die ad Casalum sæpius fidem dedisse fregisseque Francos vidimus, & ab ipsos fuisse benignitate, qua Marchio de Sancta Cruce insignem victoriæ gloriam, quam situs melior, & majores copiæ certo illi pollicebantur, declinavit, ut pacem Italiæ redderet.

§. In tractanda pace non minus animi libertate opus est, ac in bello suscipiendo gerendoque. Qui in illiusmodi tractatibus nimium suæ studuerit existimationi, & hostem calamo non secus atque armis superare voluerit, is scintillas sub cineribus reliquit abditas, unde majoris belli orietur incendium. Paces illæ, quas cũ Numantinis fecere Quintus Pompejus, & postea Consul Mancinus, effectu caruerunt hoc solo nomine, quod auctoritati & honori Romanæ Reipub. haud parum derogarent. Pactiones ad urbem Asti inter Carolum Emmanuelẽ Sabaudiæ Ducem, & Marchionem de Hinojosa initæ, mox ruptæ fuerunt propter articulum eodem tempore exarmandi militem, contra suæ Majestatis existimationem, ad quam turbæ illæ, & novitates Ducis pertinere videbantur. Pax secura esse non potest si nimium inæqualis *b* sit. Rogatus aliquando à Senatu Romano Privernas quidam, quomodo pacem cives ejus servaturi essent; respondit: *c Si bonam dederitis, & fidam, & perpetuam; si malam, haud diuturnam* habebitis. *Nec credideris ullum populũ, aut hominem denique in ea conditione, cujus eum pœniteat, diutius quam necesse sit mansurum.* Nisi pax honesta, & parti utriq; conveniens fuerit, claudicabit transactio. Qui in ea suo magis studet commodo, infirmiorem eam reddit, & facile disrumpit postea.

§. Accepta aliqua clade aut damno, non illico pax facienda est, ubi occasio adhuc fuerit Statum in melius commutandi: oppresso enim bene esse non poterit. Eam ob caussam post amissum Torense prœliũ minime opportunum videbatur Alphonso Lusitaniæ Regi, ut cum Ferdinando Rege Catholico de pace transigeret. Infirma pax est, quam minæ aut vis extorsere: nam honor & libertas nunquam adversus illam machinari desinunt.

§. Pacis tractatus non minores doli & stratagemata comitari solent, atque ipsummet bellum, *d* ut videre licuit in iis, quos finxit Rhadamistus, ut Mithridatẽ interimeret: solent enim simulanter introduci eo fine, ut interim actiones & consilia hostis explorentur, ut tempus suppetat ad erigendã propugnacula, ad obtinendas suppetias militares, & fœdera sancienda, ut hostiles vires consumantur, uniti invicẽ separentur, & spe pacis vigilantia aliorum languescat atque industria; interdum etiam pax omnino concluditur, ut novæ postea reparentur vires, im-

a Tac. lib. 2. Annal.

b *Bellum anceps, an pax inhonesta placeret, nec dubitatum de bello.* Tacit. l. 15. Annal.

c Tit. Liv. l. 8.

d Tacit. lib. 12. Annal.

impediantur consilia, & pax induciarum sit loco aut armistitii, ut ubi placuerit, arma resumi deinde possint, aut belli sedes transferri alio; quemadmodum fecere Franci, qui eo solo animo pacem Monsonensem pacti sunt, ut impeterent armis Germaniam, & alibi vallem Telinam invaderent. Similiter pax Ratisbonensis alium finem non habuit, quam exarmandi Cæsarem: nam dum eam firmabant Franci, aliam contra eundem cum Corona Suecica moliebantur unionem, soli quippe tres menses inter hoc fœdus & illam pacem intercurrerant. In ejusmodi casibus a *pace suspecta tutius bellum* est? nam pax ista non est *b* pax.

§. Paces perpetuæ esse debent: quales fuerunt omnes illæ, quas Deus *c* fecit. Ideo Scriptura sacra tractatus hujusmodi vocat Pacta salis, isthoc loquendi genere diuturnam eorum conservationem *d* innuens. Princeps, qui pacem serio amat, & stabilire cogitat, etiam posteros suos ad eandem obstringere non veretur. Pax brevis ad nihil prodest aliud, quam ut coacerventur ligna, quibus bellum incendatur. Eadem incommoda induciæ paucorum annorū secum adferunt: solum enim iras tantisper suspendunt, & spatium dant enses interim acuendi & lanceas. Earum remedio præscribuntur paulatim injustæ usurpationes, & redditur postea pax difficilior: ægre enim restituitur, quod longo tempore possessum fuit. Non reddidere Europæ quietem induciæ decem annorum inter Carolum V Imperatorem, & Franciscum Franciæ Regem factæ; *e* uti agnovit Paulus III Pontifex.

§. Verum quando pax secura est, firma & honesta, nullum prudentius consilium, quam eandem amplecti, quantumvis victricia arma sint, aut magni sperentur progressus: varii enim sunt belli eventus, & felices successus facile in deteriores degenerant. Quoties pacem rogavit, qui ante rogatus fuerat? f *Melior tutiorque est certa pax, quam sperata victoria: illa in nostra, hæc in Dei manu est*; & licet Sabinus dixerit: g *pacem & concordiam victis utilia, victoribus tantum pulchra esse*, solet tamen pax etiam victori prodesse, quia eam facere potest honestiorem, & progressus jam factos stabilire. Nullum tempus pro Pace commodius, quam post triumphatum in bello hostem. Iisdem aliisque de caussis simul ac Carthagine de Cannensi victoria fama percrebuit, suasit Senatui Hanon, ut pacem cum Romanis componerent; quod quia ab aliis neglectum, leges postea & conditiones, quas dare iis voluit Scipio, admittere coacti sunt. In ipso armorum furore, quando Mars du-

a Tac. l. 4. Hist.

b *Dicentes, Pax; Pax: & non erat Pax.* Ier. 6. 14.

c *Et statuam pactum meum inter me & te, & inter semen tuum, post te in generationibus suis, fœdere sempiterno.* Gen. 17. 7.

d *Dominus Deus Israel dedit Regnum David super Israel in sempiternum ipsi & filiis ejus in pactum salis.* 2. Par. 13. 5.

e In bul. indict. Conc. Trid.

f Tit. Liv. Dec. 3. l. 1.

g Tacit. lib. 3. Hist.

dubius est & ancep·,qui se pacis ostendit cupidum, imbecillum se fatetur, & hosti animum addit. Qui illam tunc prensat, minime obtinet. Virtus & generosæ mentis fortitudo efficacius eam suadent. Princeps pacem æstimet, illius tamen caussa nec injustitiam ullam committat, nec indigna toleret. Pacem cum vicino, si viribus ille superior sit, tutam ne reputet: inter infirmiorem enim & potentem ea esse non a potest. Continere se nescit ambitio, ubi spes fuerit aliquid adipiscendi; nec ei deerunt modestiæ & justitiæ b nomina, qui Status suos augere, & ad Monarchiã reducere cogitat; nam qui jam illa potitur, hoc agit solum, ut sua fruatur amplitudine, absq; eo, quod aut invadat alienam, aut contra eã aliquid moliatur.

a *Quia inter innocentes, & validos falso quiescas.* Tacit. de more Germ.

b *Vbi manu agitur, modestia ac probitas nomina superioris sunt.* Ibid.

SYMBOLVM XCIX.

Portus quietem non æstimat, qui tempestatem expertus non fuit. Nec pacis agnoscit dulcedinem, qui belli amaritudinem non gustavit. Vbi subiugata fuerit, tum primum rite agnoscitur ista bellua, vitæ inimica. In eam convenit illud Samsonis ænigma de Leone occiso, in cujus deinde ore apes favos suos c concinnabant; confecto enim bello, pax emendi vendendiq; commercia restituit, manum aratro admovet, exercet artes, unde rerum ubertas & affluentia oritur, ex hac vero divitiæ & opes, sine metu omni manus vagari incipiunt. Est itaque pax, Isaia d teste, cumulus bonorum omnium, quæ Deus mortalibus largitur, uti bellum malorum omnium maximum. Idcirco Ægyptii, ut pacem symbolice repræsentarent, Plutonem puerum depingebant, divitiarum Præsidem, lauro rosisque coronatum, ad significandas felicitates, quas una secum adfert. Pulchritudinem apud eundem Isaiam eam Deus appellat, quod in illa (tanquam inter flores) populus suus conquieturus e sit. Etiam res inanimæ pace lætantur. Quam læti & fertiles apparent agri, quos illa excolit! Quam bellæ urbes, quas exornavit ditavitque illius tranquillitas; contra, quam vastæ regiones, quas belli furor pertransiit! Vrbes, Castellaque Germaniæ vix amplius in suis noscuntur cineribus, Burgundia viridem frontis suæ generosæ cæsariem tinctam sanguine & ambustas vestes, ante speciosas contuetur, seipsam nunc admirans. Nullus Naturæ hostis major ac bellum. Qui rerum omnium con-

c *Et ecce examen apum in ore leonis erat, ac favus mellis.* Iudic. 14. 8.

d *Domine, dabis pacem nobis: omnia enim opera nostra operatus es nobis.* Isa. 26. 12.

e *Et sedebit populus meus in pulchritudine pacis: & in tabernaculis fiducia, & in requie opulenta.* Isaiæ 32. 18.



conditarum primus auctor fuit, fuit & pacis. In hujus amplexum ruit *a* justitia. Metuunt, recondunt sese, & silent leges, ubi arma conspiciunt. Eo nomine excusat se Marius, quod durante bello quædam in Patriæ Leges commisisset, dictitans ob armorum strepitum eas se audire nequivisse. In bello, b *aque apud bonos miserum est occidere, quam perire.* In bello parentes suos sepeliunt filios, turbato mortalitatis ordine; pacis vero tempore, filii parentes tumulo inferunt. c *In pace caussa, & merita spectantur; ubi bellum ingruit, innocentes ac noxii juxta cadunt.* In pace Nobilitas à plebe discernitur, in bello confunduntur inter se, ubi imbecillior potentiori parere cogitur. In illa

a *Justitia & pax osculata sunt.* Psalm. 85. 11.

b Tacit. lib. 1. Hist.

c Idem lib. 1. Annal.

conservatur, in hoc interit Religio. Illa tuetur, hoc usurpat dominia. Pax subditorum animos mitigat, & *a ad omne frangit servitium*, ac fideles efficit; bellum eosdem superbos reddit & inobedientes. Quam ob rem *b nihil æque Tiberium anxium habebat, quam ne composita* ab Augusto *turbarentur* in Imperio. Cum pace deliciæ crescunt & voluptates, & quanto eæ majores sunt, tanto magis imbelles & minus solliciti sunt *c* subditi. In pace omnia à Principe dependent, in bello ab eo, qui armorum tenet imperium, adeoque Tiberius omnes belli occasiones dissimulabat, ne cui alteri *d* illud committeret. Probe perspecta habebat incommoda illa & damna Pomponius Lætus, cum diceret, dum pace frui liceret Principi, nequaquam bellum suscipi debere. F. Marcianus isto utebatur symbolo: *Pax bello potior*; & merito illud quidem: bellum enim non nisi pacis tuendæ caussa utiliter geri potest. Solum istud bonum (uti diximus) monstrum illud infernale secum trahit. Tyrannica fuit vox illa Aurelii Caracallæ Imperatoris. *Omnis in ferro salus*, & Principis, qui sola vi tueri se potest. *e Violentia nemo imperia continuit diu, moderata durant*. Dum gladius succinctus hæret lateri, nunquam periculum abest. Et tametsi triumphari possit, pax tamen modis omnibus amplectenda est: nulla etenim tam felix victoria, ut damna, quæ eam comitantur, majora non sint.

——— *f Pax optima rerum*
Quas homini novisse datum est, pax una triumphis
Innumeris potior.

Nulla victoria factas expensas satis compensat. Tam bellum est noxium, ut cum triumphat etiam, muros dejiciat; uti apud Romanos in usu erat.

§. Postquam igitur Principem inter pulverem & sanguinem deductum, in tranquillitate felicitateque pacis sic constituimus, nunc hortamur, ut eandem conservare, ejusque bonis frui studeat, nec ea periculis, aut belli calamitatibus conturbet. Nunquam ad arma David veniebat, nisi lacessitus. Theodosius Imperator non quærebat bellum, sed reperiebat potius. Gloriosa & Principe digna cura, quæ circa pacem procurandam occupatur.

g Cæsaris hæc virtus, & gloria Cæsaris hæc est
Illa, qua vicit, condidit arma manu.

Nihil magis possessioni inimicum quam bellum. Impia & imprudens doctrina, quæ odiorum & diffidentiæ semina fovendo docet, ut belli materies suppetat, ubi commodum visum *h* fuerit. Nunquam non in bello versatur &

a Tacit. l. 2. Hist.
b Idem l. 2. Annal.
c *Quanto pecunia dites, & voluptatibus opulentiores, tanto magis imbelles*. Tacit. lib. 3. Annal.
d *Dissimulante Tiberio damna, ne cui bellum permitteret*. Tacit. lib. 4. Annal.
e Seneca.

f Sil. Ital.
g Propert.
h *Semina odiorum jacienda, & omne scelus externum habendum cum lætitia*. Tac. lib. 13. Annal.

& vivit, qui semper illud cogitat. Sanius est Spiritus sancti consilium, qui pacem *a* inquirendam & persequendam suadet.

§. Conclusa semel pax jure humano divinoque fideliter servari debet, tametsi cum Antecessoribus tractata ea fuerit; neque hic distinctioni locus est inter unius & multorum imperium: Regnum enim & Respublica, in cujus commodum, cujusque fide transactum fuit, una & eadem semper est, & nunquam interit. Tempus & communis consensio efficiunt, ut quod statutum est semel, legis instar sit. Nec sufficit in ejusmodi tractatibus vim, aut necessitatem obtendere: nam si ideo fallenda esset fides publica, nulla unquam foret de urbe, aut exercitu dedendo compositio, nulla pacis tractatio, quæ sub isto titulo rumpi non posset, atque adeo turbaretur tranquillitas publica. Reprehensus fuit eo nomine Franciscus Galliç Rex, quod contra quam in captivitate sua pactus fuerat, Carolo V. Imperatori, quasi vim passus esset, bellum intulerit. Propter ejusmodi artes, & transactiones æquivocas ac fraudulentas, nullæ omnino firmæ sunt, adeoque ad eas stabiliendas opus est petere obsides, aut locum aliquem munitiorem retinere: quod pacem impedit, & bellis perpetuis orbem fatigat.

§. Cum vero Princeps molestiis periculisque belli defunctus jam fuerit, artibus pacis studere totus debet; in quem finem opus erit

b *Nutrire, e fecondar l' arti, e*
gl' ingegni,
Celebrar giochi illustri, e pompe liete,
Librar con giusta lance, e pene, e premi,
Mirar da lunge, e proveder gli estremi.

Non absque omni sollicitudine tamen: facile enim iterum evenire potest, ut bellum ejus quietem & tranquillitatem perturbet. Quare etsi arma deponat de manibus, non omnino tamen ex oculis dimittat. Non eum moveant antiqua quædam numismata, à quorum tergo pax depicta cernebatur, face scuta incendens: neque enim prudenter hieroglyphicum illud excogitatum fuit, propterea quod confecto jam bello, vel maxime necessarium sit conservare arma, ne quid violentia adversus pacem temere audeat. Solus Deus quando eam populo suo largitus est, arcum conterere potuit (ut Psalmista loquitur) & arma confringere, & scuta *c* igni comburere; ipse nimirum tanquam supremus belli arbiter, ad tuendam pacem, armis opus non habet. Verum inter homines pax esse nequit, nisi violentiæ metus ambitionem coërceat. Hoc primum fuit incitamentum ad arma fabricanda, quæ defensio adinvenit prius, quam offensio. Prius aratrum mœniorum descripsit ambitum, quam plateæ urbesque disponerentur, & uno eodemque ferme tempore erecta sunt in agro tentoria militaria, & exstructæ

 ædes.

a *Inquire pacem, & persequere eam.* Psalm. 33. 15.

b Tass. c *Arcum conteret, & confringet arma: & scuta comburet igni.* Psalm. 46. 10.

ædes. Nunquam secura foret tranquillitas publica, nisi cura armata ejusdem somnum custodiat. Status armis destitutus suscitat hostem, & bellum accersit. Non personuissent Alpes tot tubarum campestrium clangore, si Status Mediolanensis urbes validioribus munitionibus firmatæ fuissent. Antemurale veluti est Regnorum omnium Monarchiæ Hispanicæ, atque propter suammet securitatem laborandum esset omnibus, ut Statum illum fortiorem redderent: ea enim ratione, & accedente maris potentia, Monarchia firma & inconcussa permaneret. Hominum animi, si vel etiam adamantini sint, mœniorum defensionem supplere nequeunt. Quibus quia Rex Witiza plerasque Hispaniæ urbes nudaverat, Mauri eam invadere aggressi sunt, sublatis nimirum illis aggeribus, qui eorum incursionibus usque eo restiterant. Non tam curarum negligens fuit Augustus in amplissima illa, qua fruebatur, pace; quin reditus publicos instituit, & in ærario deponi jussit, ut esset, quod in sumptus militares, bello forte ingruente, suppeteret. Si pacis tempore vires non exerceantur, & bellicis artibus non instruantur animi, minus id fieri poterit, quando invasionis periculum omnes jam in pavorem dederit, de fuga magis servandisque fortunis, quam de defensione sollicitos. Nullum majus stratagema, quam Regnum aliquod otio suo & quieti relinquere. Deficiente exercitio militari, virtus quoque deficit. Vbivis terrarum Natura magnos animos procreat, quos aut occasio in apertum protrahit, aut latere facit otium. Nec viros generosiores in Græcia olim, & Romæ præterita dedere sæcula, quam hodie nascantur; verum tunc fortes se gesserunt, quia dominandi caussa armis se exercitabant. Non animum suum Princeps despondeat ob subditorum suorum ignaviam: disciplina enim habiles eos reddet & idoneos, ad tuendam pacem, & bellum sustinendum. Semper eos armorum occupet exercitio: bellum enim antevertere debet, qui pacem desiderat.

SYMBOLVM C.

Brevis est respiratio, quæ cunas inter & tumulum intercedit; brevis inquam, sed quæ gravia adferre possit detrimenta, si male impendatur. Multis sæculis Respublica aliqua unius momenti errorem deplorare solet. Ab illo imperiorum ruina pendet & exaltatio. Quod per multorum annorum spatium virtus & prudentia erexerunt, uno sæpe temporis puncto malum evertit consilium: *a brevibus quippe momentis rerum summa verti potest.* Quare in isto vitæ theatro minime sufficit stadium suum decurrisse, nisi cursus ad finem usque æqualis sit. Non coronatur, nisi qui legitime ultimam mortis metam

tam

a Tacit. lib. 5. Annal.



tam attigerit. Domorum ædificia primis lapidibus velut fundamento innituntur, structura famæ iis, qui postremi sunt: hi si gloriosi non sint, mox illa corruit, & oblivione sepelitur. Cunæ non florent, donec tumulus effloruerit, & tunc etiam vitiorum præteritorum vepres in flores convertuntur. Fama enim ultimus actionum est spiritus, quæ ab illa lucem & decorem hauriunt. Atque hoc in flagitiosa aliqua senectute nunquam accidit, quin potius juventæ gloriam ea obliterat; uti Vitellio quondam evenisse *a* mini-

a *Cesseruntque prima postremis, & bona juventæ senectus flagitiosa obliteravit.* Tacit. lib. 6. Annal.

minimus. Perfectissimi etiam penicilli aut scalpri ductus laudem non ferunt, si opus imperfectum manserit. Si fragmenta in pretio habentur, non alia de caussa fit, quam quod statuæ alicujus olim perfectæ particulæ sint. Æmulatio, aut adulatio diversas in vita actionibus formas tribuunt; at Fama, post obitum à passionibus istis libera, veras justasque pronuntiat sententias, quas posteritatis tribunal *a* confirmat. Sat norunt nonnulli Principes, quantum intersit vitam virtutibus coronare, falluntur tamen in eo, quod existiment, supplere se istud posse, si illas in Epitaphiis descriptas, aut repræsentatas in statuis post se derelinquant, minime advertentes probro potius esse virtutibus, si eo modo mortuum comitentur, quem vivum comitatæ non fuerant, atque adeo ipsa prope indignari marmora, si fictas Principis alicujus tyranni laudes visendas, legendasque exhibeant: contra sponte sua quasi emollescere, ut tanto melius Principis alicujus boni in iis incidi possint gloriosa facinora, reducendo sese postea ad duritiem pristinam, ut ea æternitati consecrent; quæ ipsa quoque interdum marmora suæ inscribunt duritiæ. Epitaphii miraculosi literæ fuere sanguineæ illæ lacrymæ, ex ipsis lapidibus Legione ad altare S. Isidori, ubi Sacerdos rem divinam facturus consistere consueverat, *b* octo diebus ante obitum Regis Alphonsi Sexti ex intervallo manantes, in signum communis omnium luctus; neque tamen lacrymæ illæ è lapidum juncturis, sed ipsorum medio quasi corde profluebant, non secus ac si tanti Regis luctuoso obitu emolliti colliquescerent. Statua facinorosi Principis, vitiorum ejus exemplar est, neque ullum marmor, aut æs tam solidum, quod tempori non sensim cedat: sicut enim fabrica naturalis paulatim dissolvitur, ita & per artem elaborata, adeoque ea sola æterna est, quam efformant virtutes, intrinseca & æterna animæ *c* immortalis ornamenta. Quod in hominum inciditur animis, ab uno derivatum in alios, durat quoad mundus perseverat. Nullæ statuæ magis perpetuæ, quam quas virtus & beneficium in existimatione & grata hominum memoria elaborant; quod documentum Mecœnas Augusto *d* dedit. Eam ob rem admittere noluit Tiberius, ut Hispania citerior templa sibi erigeret, dictitans ea demum templa & effigies se existimare, si sui memoria in Reipub. animis *e* perennaret. Fortium Heroum

a *Suum cuique decus posteritas rependit.* Tacit. lib. 4. Annal.

b Mar. Hist. Hisp. l. 10. c. 7.

c *Ut vultus hominum, ita simulachra vultus imbecilla, ac mortalia sunt; forma mentis æterna, quam tenere, & exprimere non per alienam materiam & artem, sed suis ipse moribus possis.* Tac. in vita Agric.

d *Statuas sibi neque aureas, neque argenteas fieri unquam sine, bene autem alias tibi statuas in ipsis hominum animis, nihil meritus obnoxias effice.* Mec. ad August.

e *Hæc mihi in animis vestris templa, hæ pulcherrimæ effigies, & mansuræ: nam quæ saxo struuntur, si judicium posterorum in odium vertit, pro sepulchris spernuntur.* Tacit. lib. 4. Annal.

Heroum cineres in æternis applausus communis obeliscis conditi æternum perdurant, & licet igni fuerint traditi, triumphant tamen, uti Trajani cineribus accidit. Nationum tam amicatum, quam hostilium humeris corpus defunctum fortis illius Prælati Ægidii Albornocii Assisiis Toletum deportatum fuit, & a *auxilio militari tuendum illud* Augusti, *ut sepultura* ejusdem *quieta foret*. Sed esto marmorum durities ærisque soliditas futura æquent sæcula, nescitur tamen postea, cujus caussa erecta illa *b* fuerint; ut hodie in Ægypti Pyramidibus videre licet, oblitetatis eorum nominibus, quorum cineres ad perpetuandam memoriam isthic fuerant conditi.

Atque ex dictis satis nunc liquet, quantum suprema sua ætate conniti debeant Principes, ut ad gloriam eorum præteritam ultima quoque accedat, & utraque post obitum in hominum memoria æternum perennet; quem in finem ostendemus hic paucis quomodo erga seipsum, erga successores, & erga Status suos Princeps se gerere debeat.

§. Quod ad suammet personam attinet, scire Principem oportet, tanto imperium esse ferocius, minusque rationi subditum, quanto ipse ætate processerit longius: casus enim præteriti varias eum malitias edocent, & suspicionibus ac diffidentiis indulgendo, crudelis ac tyrannus evadit. c *Vetustate imperii* superbia *coalescit* atque *audacia*, & experientia inopiæ avaritiam procreat, quæ multa suadet indigna contra Majestatis decorum, unde denique Persona ipsa in contemptum venit. Cupiunt Principes pristinos suos mores, & antiquam conservare gravitatem, obliti eorum, quæ juvenes fecerant, & in odium incurrunt. Sub prima imperii initia ardor gloriæ, & se perdendi metus advigilant, ut caute prudenterque in omnibus procedatur: postea fatigatur ambitio, ut Princeps nec prosperis lætetur successibus, nec adversis *d* contristetur, cumque existimet, vitium gloriæ suæ mercedem esse, & laborum præmium, turpiter sese illi dedit: unde porro fit, ut Principes perpauci imperando evadant meliores; uti de Saule & Salomone sacræ testantur literæ. Similes nimirum in gubernando sunt statuæ illi, quam per quietem vidit Nabuchodonosor; cujus caput aureum erat, pedes lutei. Vespasianus e *solus omnium ante se Principum, in melius mutatus est*. Et tametsi Princeps sibi semper manere similis studeat, placere tamen omnibus non potest, si imperium ejus diuturnum sit: grave enim est subditis, tanto tempore ab unius manu regi. Multitudo amat mutationes, & suimet lætatur periculis; uti in Tiberii *f* imperio accidit. Si Princeps

a Tacit. lib. 1. Annal.

b *Inter omnes eos non constat, à quibus facta sint, justissimo casu obliteratis tantæ vanitatis auctoribus.* Pli. l. 36. 12.

c Tacit. lib. 14. Annal.

d *Ipsum sane senem, & prosperis adversisque satiatum.* Tac. l. 3. Hist.

e Idem lib. 1. Histor.

f *Multi odio præsentium, & cupidine mutationis, suis quoque periculis lætabantur.* Tac. l. 3. Annal.

ceps bonus sit, improbis odio est; si flagitiosus, & boni pariter, ac mali eum execrantur, & solum de successore *a* agitur, cujus gratiam omnes aucupantur; id quod non potest non displicere summopere Principi, atque adeo in caussa est, cur suos oderit subditos, & pessime habeat. Pari passu, quo eum vires destituunt, cura quoque & vigilantia, prudentia item, intelligentia, & memoria eum deficiunt: *b* *quippe ut corpus, sic etiam mens suum habet senium*; cupiens vero sibi reservare tempus illud à curis & molestiis gubernationis liberum, se suaque Ministris suis committit, aut alicui sibi familiari, in quem negotiorum onus incumbat, quique populi odium sustineat. In quo casu omnes ii, qui nec gratia florent apud Principem, nec gubernationis aut præmiorum participes sunt, novum Dominum exoptant, & quoad possunt, procurant. Isti sunt principales scopuli, per quorum medium magna cum attentione navigandum est Principi, ne navem allidat. Et quamvis res periculo non careat, non tamen omnino despondeat animum: permulti enim Principes auctoritatem suam & existimationem usque ad extremum vitæ spiritum egregie tuiti sunt; quemadmodum in Rege Philippo Secundo orbis universus admiratus fuit. Motus prudentis gubernationis usque ad ipsum mortis littus uniformis perseverat, eumque contra odium, & ætatis extremæ incommoda existimatio & fama præterita sustentant; ut Tiberius *c* in semetipso expertus est. Plurimum quoque ignoscitur & indulgetur senio, quod in ætate juvenili minime toleraretur; ut dicebat *d* Drusus. Verum cum grandes sint istæ tempestates, oportet ut Princeps constantia sese contra illas muniat, caveatque ne clavum gubernationis dimittat è manibus: nam si alterius eum permittat arbitrio, ipse una & Respublica naufragium facient. Dum vires Principi suppetunt, vivere & mori eum oportet laboribus occupatum. Imperium orbibus cælestibus simile est, qui nunquam conquiescunt. Alium polum non admittit, nisi Principis. E complexu Reipublicæ, non ex otio, quies & solatia laborum senectutis *e* petenda sunt Principi. Quod si ad eos ferendos vires fessæ jam ætatis non sufficiant, & alienis indigeat humeris, suos tamen omnino non subtrahat, quamvis id ad speciem solum esset: exterior enim apparentia in oculis cœci & ignorantis vulgi tantundem operatur, ac res ipsa, & (sicut alibi diximus) Ministros in officio continet, atque existimationem tuetur. Porro in isto casu

a *Pars multo maxima imminentes dominos variis rumoribus differebant.* Tac. lib. 1. Annal.

b Arist. lib. 2. Polit. c. 7.

c *Reputante Tiberio publicum sibi odium, extremam ætatem, magisque fama, quam vi stare res suas.* Tacit. lib. 6. Annal.

d *Sane gravaretur aspectum civium senex Imperator, fessamque ætatem, & actos labores prætenderet: Druso quod nisi ex arrogantia impedimentum?* Tacit. lib. 3. Annal.

e *Se tamen fortiora è complexu Reipublicæ petivisse*, Tacit. lib. 4. Annal.

casu tutius est, secretum trium virorum formare consilium; uti fecit Rex Philippus Secundus, quam uni soli se suaque committere: illos enim populus non pro familiarioribus Principis, sed pro Consiliariis habet.

Fugiat porro Princeps avaritiæ vitium, exosum omnibus, & senectuti proprium, quam nunquam deserit, quantumvis aliis omnibus nuntius remittatur. Galba certe facile conciliare potuisset animos, si aliquo modo liberalis *a* fuisset.

Præsentibus se accommodet moribus, veterumque, qui duri nimis sunt & severi, obliviscatur. Quo in genere senes facile peccant, aut quia iis innutriti sunt, aut ex inani quadam gloria, aut quia mores novos imitati nequeunt; unde fit ut omnium incurrant odium. Abripi se sinunt humore illo melancholico, qui ex senii frigore nascitur, & ludos omnes ac relaxationes improbant, obliti temporis illius, quod in ejusmodi gaudia aliquando impenderunt.

Ne ullam præ se ferat æmulationem ratione Successoris; uti fecit Rex Ferdinandus Catholicus, cum Rex Philippus Primus in Castellæ Regnis ei succederet. Tempus illud est, quo plerique novo Soli blandiuntur; & si quis ad id minus promptum se exhibuerit, artificium est potius, ut viri constantis nomen apud Successorem sibi comparet, & tanto pluris ab eo æstimetur; uti in Augusti *b* obitu observatum fuit.

Humanitate, æquitate justitiæ, clementia, & rerum copia amari se ab omnibus faciat, illudque sibi certo persuadeat, si bene præfuerit, & studia atque animos subditorum sibi conciliando bonam de se concitarit opinionem, fore, ut facillimo negotio faventes sibi porro conservet, ingenerando in omnium animis sui amittendi metum, & retinendi desiderium.

5. Atque omnes istæ artes plus etiam poterunt, si in Imperio ille successerit, in quo Antecessor quodammodo renascatur, & perennis sit: nam etsi adoptatio legis quædam sit fictio, senex tamen videri desinit, qui alium adoptat; ut Galba ad Pisonem *c* dicebat. In successione omnem suam curam & industriam ponere debent Principes: neque enim res tam vana est, ac putavit *d* Salomon. Anchora & fulcra Imperii sunt filii, & dominationis atque aulæ solatia. Optime id Augustus intellexit, cum liberis destitutus propinquiores adoptavit, ut velut columnæ essent, quibus Imperium *e* insisteret:

a *Constat potuisse conciliari animos, quantulacumque parci senis liberalitate.* Tacit. lib. 1. Hist.

b *Patres, Eques. Quanto quis illustrior, tanto magis falsi, ac festinantes, vultuque composito, ne læti excessu Principis, neu tristiores primordio, lacrymas, gaudium, questus, adulationes miscebant.* Tacit. lib. 1. Annal.

c *Et audita adoptione desinam videri senex, quod nunc unum mihi objicitur.* Tacit. l. 1. Histor.

d *Rursus detestatus sum omnem industriam meam, quam sub sole studiosissime laboravi; habiturus hæredem post me.* Eccl. 2 18.

e *Quo pluribus munimentis insisteret.* Tacit. l. 1. Annal.

steret: a *Non Legiones* enim, *non classes, perinde firma Imperii munimenta, quam numerus filiorum.* Nulli amici majores, quam isti, & qui majori studio & æmulatione tyrannicis domesticorum & extraneorum machinationibus sese opponant. b *Prosperis* Principum *& alii fruuntur, adversa* & labores *ad junctissimos pertinent. Amici tempore, fortuna, cupidinibus aliquando, aut erroribus imminuuntur, transferuntur, desinunt:* non item *sanguis cuique proprius*, qui licet in alium transfusus sit, manet tamen *indiscretus* inclinatione quadam secreta & naturali. Conservatio Principis etiam Consanguineorum salus est, illius errores ad hos quoq; pertinent, adeoque eos emendare satagunt: siquidem ipsorum plus interest, illos agnoscere, & confidentius etiam monere audent: uti Drusus faciebat, inquirens in ea, quæ Romæ in ejus Patre minus probarentur, ut ea c corrigeret. Atque hæ rationes excusare possunt nonnullos Pontifices, qui magnam nepotibus in tractandis negotiis auctoritatẽ tribuunt. Habet subditus in Principis filio, quem suis devinciat obsequiis, & d Patrem offendere metuit, qui filium potentiæ suæ & offensarum hæredem post se e derelinquit; in isto se Marcellus fundabat, cum f *suaderet Prisco, ne supra Principem scanderet, ne Vespasianum senem triumphalem, juvenum filiorum Patrem præceptis coërceret.* Spe Solis recens orientis facilius frigidiora tolerantur crepuscula, & segnes occumbentis umbræ. Confunditur ambitio, & tyrannis trepidare incipit. Libertas disrumpere non audet servitutis catenam, cujus annulos in Successoribus continuari videt. Non perturbatur quies publica variis diffidentium studiis, quis in Successorem eligendus g sit: jam enim omnes norunt, ex illius cineribus novum Phœnicem proditurum; immo jam interim radices ac vires accepit Successor, amari & timeri se faciens; haud secus ac annosa arbor, quæ alium producit ramum, qui in antiquæ locum sensim h substituatur.

Veruntamen si designatio Successoris à Principis dependeat arbitrio, non tanti apud eum momenti esse debet ista utilitas, ut ideo sanguinem & Cognatorum commoda bono publico anteferat. Moyses de suorummet filiorum habilitate non satis confisus, Deo novi Ducis populi Israëlitici electionem i commisit. In hoc Galba gloriabatur, quod bonum publicum suæ anteposuisset Familiæ, & aliquem ex Repub. in Successorem k elegisset.

a Tacit. lib. 4. Annal.
b Tacit. lib. 4. Hist.
c Idem ibid.
d *Utrumque in laudem Drusi trahebatur ab eo, in urbe inter cœtus, & sermones hominum obversante secreta Patris mitigari.* Tacit. l. 3. Annal.
e *Reliquit enim defensorem domus contra inimicos, & amicis reddentem gratiam.* Eccl. 30. 6. f Tac. 4. Hist.

g *Intemperantia civitatis, donec unus eligatur, multi destinandi.* Tacit. l. 2. Histor.
h *Ex arbore annosa, & trunco novam producit, quæ antequam antiqua decidat, jam radices & vires accepit.* Tol. de Rep. l. 7. c. 4. n. 1.
i *Provideat Dominus spirituum omnis carnis hominem, qui sit super multitudinem hanc.* Num. 27. 16.
k *Sed Augustus in domo successorem quæsivit; ego in Repub.* Tac. l. 1. Hist.

gisset. Hoc supremum & maximum beneficium est, quod Statibus suis Princeps præstare potest; uti idem Galba ad Pisonem dixit, cum eundem in filium *a* adoptaret. Magnanimitatem suam ea in re ostendat Princeps, dando operam, ut Successor ipso etiam melior sit. Non magni seipsum æstimat, qui non nisi vitiis Successoris, aut comparatione unius gubernationis cum alia, gloriam sibi quærere studet: qua in re ipse Augustus peccavit, eam ob caussam Tiberium *b* eligens, nec advertens tamen, infamias aut glorias in imperio succedentis Antecessori tribui, qui ejusdem electioni cooperatus fuit.

Cura ista boni Successoris ex naturali parentum obligatione nascitur, in eamque omnem suam operam conferre debent: illi enim in filiis suis quodammodo perennes vivunt; & sane contra naturalem rationem foret, si aut imagini suæ præstantiæ inviderent, aut eam expolire negligerent; & licet magni alicujus & generosi Principis educatio, magna quoque creare soleat pericula domestica: siquidem *optimi* c *quoque mortalium, altissima cupiunt*, & sæpenumero anticipatis rationis & naturæ vinculis, lassentur filii tam diuturna Coronæ exspectatione, quodque deliciarum ac gloriæ tempus tantopere differatur; uti Rhadamisto in longa illa senecta patris sui Pharasmanis Regis Iberiæ *d* accidebat. Quamvis etiam Spiritus sancti monitum sit; *e Non des filio potestatem in juventute, & ne despicias cogitatus illius*; his tamen non obstantibus, nihil operæ intermitti debet à patre, quo minus recte educetur filius, quæ altera Naturæ est obligatio: nec propter particulares aliquos casus spes omnis & confidentia abjicienda est. Nullus unquam Princeps magis filiorum arsit æmulatione, quam Tiberius, & ideo tamen Roma excessit, *f ut amoto Patre, Drusus munia consulatus solus impleret.*

At si forte etiam istis suspicionibus artibus quibusdam politicis velint occurrere, adhibeat pater filium suum ad Status bellique negotia, non ad ea, quæ gratiam continent: illis enim prioribus non tantopere plausus captatur vulgi, quod liberali & benevolo filii ingenio facile capitur, quæ res patribus regnantibus plurimum *g* displicet. In negotia introduci poterit filius, non in subditorum animos. Prudens ea in re Augustus, quando Tribunitiam dignitarem petiit pro Tiberio, tanto artificio eum collaudavit, ut vitia illius excusando, ea velut

a *Nunc eo necessitatis jam pridem ventum est, ut nec mea senectus conferre plus popi lo Romano possit, quam bonum successorem, nec tua plus juventa, quam bonum Principem.* Tacit. l. 1. hist.

b *Ne Tiberium quidem caritate, aut Repub. cura successorum adscitum, sed quoniam arrogantiam, sævitiamque introspexerit, comparatione deterrima sibi gloriam quæsivisse*, Tacit. l. 1. Hist.

c Idem l. 4. Annal.

d *Is modicum Iberia Regnum senecta patris detineri ferocius crebriusque jactabat.* Tac. l. 12.

e Eccl. 30. 11.

f Tacit. l. 3. Annal.

g *Displicere regnantibus civilia filiorum ingenia.* Tacit. lib. 2. Annal.

a exprobraret; & fama fuit, Tiberium *b* *ad ostendendam* filii sui Drusi *sævitiam, movendasque populi offensiones*, eidem concessisse, ut ludos spectaret gladiatorios, sicut & lætari solebat, quoties inter ejus filios & Senatum contentio, *c* orietur. Verum artes istæ noxiæ magis sunt & minus sinceræ, quam integritatem paternam deceat. Prudentius consilium est, virum aliquem cordatum Principi adjungere, penes quem negotiorum cura sit & directio; uti fecit Vespasianus, qui filio suo Domitiano Præturam dedit, Mucianum vero laborum socium esse *d* voluit.

§. Quod si filius longioris vitæ patris impatiens tantos sumpserit animos, ut ambitiosa aliqua machinatio contra amorem & venerationem parenti debitam timeatur, negotio alicui applicari poterit, in quo cogitationes suas & animi vigorem occupet; qua de caussa Pharasmanes Iberiæ Rex filio suo Rhadamisto *e* Armeniæ occupandæ curam dedit. Uti vero ea cautione honorandi filium, eumque gravioribus occupandi muneribus in ejusmodi casibus omnino opus est; ita curandum quoque, ut alteri alicui armorum committatur imperium: nam qui illis cum potestate præest, supremus aliorum est arbiter. Ad eum finem Otho fratrem suum Titianum præfecit exercitui, imperium ac potestas penes Proculum *f* mansit. Tiberius quoque, postquam Senatus Germanicum ad procurandas Provincias transmarinas destinasset, Pisonem Syriæ Legatum constituit, ut illius spes & consilia *g* coërceret. Et nunc quidem in Europa ea Statuum & Imperiorum est ratio, ut minus ista timenda sint pericula. Quod si tamen filii alicujus Natura tam inhumana esset & ferox, ut remedia recensita ad Patris securitatem minime sufficerent, videat num illud adhibendum sit, quo Rex Philippus Secundus usus est adversus Principem Carolum filium suum unicum, ob quam executionem obstupuit Natura, attonita de suamet potentia hæsit Politica, & mundus inhorruit.

§. Quod si propter filii odium subditorum fidei diffisus fuerit, nullum solet esse oportunius remedium, quam si eum in aula & sub protectione alterius majoris Principis (dummodo nulla timenda sit æmulatio) educari faciat, cum quo deinde suam firmet amicitiam. His rationibus per

motus

a *Quanquam honora oratione quædam de habitu, cultuque, & institutis ejus jecerat, quæ velut excusando exprobraret.* Tacit. l. 1. Annal.

b Idem ibid.

c *Lætabatur Tiberius, cum inter filios, & leges Senatus disceptaret.* Tac. l. 2. Annal.

d *Cæsar Domitianus Præturam cepit. Ejus nomen epistolis, edictisque proponebatur. Vis penes Mucianum erat.* Tacit. l. 4. Hist.

e *Igitur Pharasmanes juvenem potentiæ promptæ, & studio popularium accinctum, vergentibus jam annis suis metuens, aliam ad spem trahere, & Armeniam ostentare.* Tacit. l. 12. Annal.

f *Profecto Brixellum Othone, honor Imperii penes Titianum fratrem, vis ac potestas penes Proculum Præfectum.* Tac. lib. 2. Hist.

g *Qui Syriæ imponeretur, ad spes Germanici coërcendas.* Idem ibid.

motus Phrahates Parthorum Rex Filium suum Vononem in aula Augusti enutriri *a* voluit. Quamvis contrarius interdum inde oriatur effectus: nam postea subditi eum ut externeum aspernantur, qui peregrinis imbutus moribus revertitur, ut de eodem Vonone experientia *b* docuit.

§. In assignando filiis suis statu caute prudenterque procedat Princeps: interdum enim Regni alicujus incrementum id esse solet, interdum ruina potius, præsertim in filiis secundo genitis, qui natu majoribus communiter suam prærogativam invident, uti & in filiabus, si suismet nuberent subditis, unde invidiæ nascuntur & æmulationes, ex his vero seditiones & bella civilia. Metuens istud periculum Augustus, noluit filiam suam Equiti Romano uxorem dare, propterea quod *c immensum attolli provideret, quem conjunctione tali super alios extulisset*, *d* sed *Proculejum* potius, *& quosdam* alios *in sermonibus habuit, insigni tranquillitate vitæ, nullis Reipublicæ negotiis permixtos.*

In procuranda item tutela, & educatione filii, qui pupillus adhuc in statu succedere debet, omni prudentia & dexteritate patris opus est: nullus enim casus *e* insidiis ac periculis æque expositus est, ac ille; qua in re præsentia habemus exempla, & legimus præterita multorum Principum, qui in ætate sua pupillari vitam pariter & status amiserunt, aut graves perpessi sunt calamitates: nam si tutela & educatio matri committatur, etsi huic magis tuto credi potest, raro tamen in fœminis tanta prudentia reperitur & experientia, quanta requiritur. Taceo, quod multis desit illa animi virtus, ut timeri se faciant, & auctoritatem sibi concilient. Si munus illud in Patruum cadat, aut Avunculum, strictissima etiam & solidissima sanguinis vincula disrumpere solet imperandi cupiditas. Si in Ministros cadat, unusquisque commodo suo privato studet potius, & inter ipsos oriuntur discordiæ. Subditi æqualium spernunt imperium, unde tumultus & bella nascuntur civilia. E tot igitur tantisque periculis atque incommodis minora Princeps eligat, examinando Naturam status, & eorum, qui tutelæ & gubernationis curam possunt suscipere, & ejusmodi subditorum formam eligendo; in qua pupilli securitati sic consulatur, ut in ejus ruinam facile conspirare nequeant. In isto casu refert plurimum, ut quam primum ad negotia adhibeantur ii, quibus post patris obitum filii tutela ac directio, & procuratio Status committi debent.

Nec illud solum Princeps studeat, ut Successorem securum reddat, & instruat, verum etiam ut casus novæ ejusdem gubernationis prævertat, ne quid inde periculi oriatur: nam dum mutantur vela, in discrimine

a *Paritemque prolis, firmanda amicitiæ, miseras: haud perinde nostri metu quam popularium fidei diffisus.* Tac. l. 2. Annal.

b *Quamvis gentis Arsacidarum, ut externum aspernabantur.* Idem ib.

c Tac. lib. 4. Annal.

d Idem ibid.

e *Væ tibi terra, cujus Rex puer est.* Eccl. 10. 16.

mine verſatur navis, & dum novæ introducuntur formæ, pati ſolet Natura ob defectionem finium, vigoremque principiorum. In illa rerum viciſſitudine gravia oriuntur pericula inter concurrentis utriuſque gubernationis undas, non ſecus ac quando rapidum aliquod flumen in aliud ſimile cum impetu defluit. Facile Succeſſoris perit auctoritas, & varias contra ſe experitur machinationes ac *a* novitates. Dabit itaque Princeps operam, ut ultimus gubernationis ſuæ exitus tam quietus ac tranquillus ſit, ut abſque incommodis alius aliquis eidem queat ſuccedere; & ſicut, dum nautæ portum ſubeunt, remi tolluntur, & contrahuntur vela, ita Principem gubernatione defungi oportet, deponendo ex animo omnes belli offenſionisve cogitationes, antiqua ſtabiliendo fœdera, & alia nova ſanciendo, cum finitimis præſertim, ut pacem Statibus ſuis conciliet.

b *De la matura età pregi men degni*
Non fiano ſtabilir pace, e quiete,
Mantener ſue Città frà l'arme, e i Regni
Di poſſente vicin tranquille, e chete.

Diſſimulet offenſas, ut Tiberius fecit cum *c* Getulico, & Rex Philippus Secundus cum Ferdinando de Medicis: tali enim tempore Principes prudentiores arcum Iridis ſepulcris ſuis jubent ſuperſtrui, qui pacis ſignum ſit ſucceſſoribus, non lanceam terræ infixam; uti Athenienſes faciebant, ad ſuadendam hæredi injuriarum vindictam. Provincias exteras conſiliis & aſtu, non armis *d* regat. Gubernatores iiſdem præficiat facundos, pacis amicos, & belli inexpertos, ne forte illud concitent; uti Galbæ temporibus *e* factum. Subditorum animos & lites componat, injurias arceat, moderetur exactiones, novitates populo exoſas tollat, & eligat Miniſtros, prudentes, amantes concordiæ & tranquillitatis publicæ. Ita fiet, ut pacatis hac ratione, formatiſque ad quietem & manſuetudinem animis, eandem quoque de Succeſſore ſibi polliceantur ſubditi, neque res novas moliantur.

a *Quando auſuros expoſcere remedia, niſi novum & nutantem adhuc Principem, precibus, vel armis adirent.* Tac. l. 1. Annal.
b Taſſ.

c *Multaque gratia manſit reputante Tiberio publicum ſibi odium, extremam ætatem, magiſque fama quam vi ſtare res ſuas.* Tac. l. 6 Annal.
d *Conſiliis & aſtu res externas moliri, arma procul habere.* Tacit. lib. 5. Annal.
e *Hiſpaniæ præerat Cluvius Rufus vir facundus, & pacis artibus, belli inexpertus.* Tac. lib. 1. Hiſtor.

SYMBOLVM CI.

MVlti inſignes viri plurimum quà ſpeculatione, quà experientia elaborarunt, ut perfecti alicujus Principis ideam efformarent. Integris ſæculis opus fuit ad effingendũ Vas illud ex Oſtro Regiũ, ſed terreum tamen, non minus



nus fragile, quam reliqua, magisque, quam ullum aliud, casibus obnoxium, præsertim si Figulus è Machiavelli disciplina sit, unde omnia prodeunt contorta, & non nisi mox iterum interitura; quale fuit illud, quod reliquorum omnium quasi exemplar & normam posuit. Hactenus quidem Symbolis nostris illud egimus potissimum, ut purpuram istam excoleremus, cujus tela coccinea post breve temporis spatium iterum abit in cineres. A cunis suum sumpsit exordium, finitur in tumulo. Hæc vitæ parenthesis est, quam brevissima temporis clausula intra se complectitur. Nec facile dixerim, quæ felicior hora sit, illane, qua lucem hanc primum aspicimus oculis, an illa qua mortis

a im-

a immergimur tenebris: una enim principium, alter laborum finis est; & tametsi inter esse, & non esse multum intersit, illud tamen ad solam materiam pertinet, non ad hominis formam, quæ immortalis est, & morte perficitur. Naturalis est sepulcri horror, si tamen potentior in nobis esset ratio, quam vivendi appetitus, plurimum utique lætaremur, quando illi fieremus propinquiores; sicut lætantur, qui thesaurum quærentes, mortuorum urnas inveniunt, certi nimirum optatas opes in iis fore b reconditas. Etenim in sepulcro anima verum æternæ quietis thesaurum reperit. Istud indicare voluit Simon Machabæus hieroglyphico illo sculptraum navium supra columnas, quibus Patris sui & fratrum c Mausolea cingi jussit; innuens scilicet vitæ nostræ navem mundi hujus fluctibus innatantem fluctuantemq; tum demum conquiescere, cum ad littus mortis appulsa fuerit. Et quid vita aliud est, quam perpetuus mortis timor? nihil siquidem est, quod diuturnam ejus durationem certo nobis polliceri possit. Multa signa mortis portendunt vicinitatem; at nullum reperitur, quod certos vitæ terminos rite designet. Florentissima etiam ætas, optima corporis constitutio, nec unam vitæ horam satis tuto præstare nobis possunt. Ipsum cor, quod in quietis loco est in hoc corporis horologio, præsentes quidem indicat horas, at non futuras. Nec debet incertitudinem istam Naturæ odium quisquam interpretari, sed favorem potius: nam si æque præfinitum esset moriendi tempus, ac nascendi, destruendi corporis, ac efformandi, nimis alienam à recta ratione vitam homo duceret; atque adeo ne unicum quidem certum momentum ad respirandum illi dedit, sed contra potius in rebus omnibus indicia plurima posuit vitæ brevioris. Terra hanc ei repræsentat florum suorum juventute, & canitie messium; aqua undarum fugacitate; aër ignibus, quos in momento succendit, & rursum extinguit; cælum in illo principe lumine, quod unus idemque dies in aureis Orientis cunis nasci videt, & mori in obscuro Occidentis tumulo. Verum si mors malorum omnium malum extremum est, in felicitate poni debet, quod tam celeriter advolet. Quanto minus cunas inter & tumulum intercedit temporis, tanto minor laborum & ærumnarum cursus est. Propterea Iobus translatum se optabat de utero matris suæ ad d tumulum. Simul ac nascimur, constringimur vinculis, & vivimus postea curis e implicitι, nec melior ea in re nascendi conditio Principum, ac f ceterorum. Si in longæva vita humana

a *Melior est dies mortis, die nativitatis.* Eccl. 7. 2.

b *Quasi effodientes thesaurum, gaudentque vehementer, cum invenerint sepulcrum.* Iob. 3. 21.

c *Circumposuit columnas magnas: & super columnas arma, ad memoriam æternam: & juxta arma naves sculptas.* 1 Mach. 13. 29.

d *Quare de vulva eduxisti me? qui utinam consumptus essem, ne oculus me videret! Fuissem quasi non essem, de utero translatus ad tumulũ.* Iob. 10. 18.

e *In involumentis nutritus sum & curis magnis.* Sap. 7. 4.

f *Nemo enim ex Regibus aliud habuit nativitatis initium.* Ibid.

humana consisteret felicitas, homo vivendi diuturnitate etiam cervos excederet: indignum enim foret, ullum animal felicius esse, quam hominem, in cujus obsequium illa omnia sunt *a* condita. Desiderium illud naturale, ut horæ celeriter transeant, argumento est, non esse tempus, quod humanam felicitatem constituat, alias enim in eo conquiesceret animus. Quod præter tempus appetit, illi adhuc deest. In Principibus, quippe qui majoribus expositi sunt casibus, magis quam in ullis aliis experientia commonstrat, quod in longiori vita Fortuna periclitetur: hæc enim tam prosperis fatigatur, quam adversis. Fortunatus fuisset Ludovicus XI Franciæ Rex, si ante extremæ suæ ætatis calamitates, & miserias diem suum obiisset. Mare quoddam tempestuosum est omne Imperium, quod longiori vitæ decursu tranquillum conservari non potest. Qui vivit diutius, plura pericula tempestatesque experitur. Verum spectato fine & perfectione Naturæ, felix est vita diuturna, quando secundum Iobi testimonium matura ad sepulchrum pervenit, veluti frumentum ad *b* granarium, antequam senectus decrepita eam flaccescere faciat: tunc enim una cum tenebris mortis vitales refrigescunt spiritus, corpus ad obeundas functiones fit inidoneum, nec manus tremula Imperii clavum amplius moderari potest, nec visus perspicere cæli nubes, ventorum vias, & maris scopulos, nec auditus percipere Scyllæ & Charybdis latratus. In tantis Naturæ miseriis deest Principi constantia, & reductus sensuum humiditate ad ætatem puerilem, omnia persuaderi sibi patitur, & regi se sinit à malitia, quæ magis solers tunc est in iis, quos circum se habet, quique *minore* tunc *metu peccant, & majore c præmio*. Mulieres voluntati & arbitrio ejus dominantur, uti in Livia videre fuit, quæ d *senem Augustum devinxerat adeo, ut Nepotem unicum Agrippam Posthumum, in Insulam Planasiam projiceret:* immo ad talem redegit statum, ut qui ante totum orbem in pace conservare noverat, ne suam quidem postea Familiam sciret *e* regere. Vnde porro fit, ut Majestas irrisui & fastidio sit omnibus; cujus rei exemplum Galba *f* fuit. Nationes aliæ eum aspernantur & attentant aggredi; velut Arbanus Tiberio *g* factitabat. Perit Principis decrepiti auctoritas, & jussa spernuntur, quia non putantur ab illo proficisci; uti de Tiberii mandatis multi opina-

a *Ipsas omnes feras hominum causa factas natura fuisse necesse est.* Arist. lib. 1. Pol. c. 5.

b *Venies in sepulchrum tanquam frumentum maturum, quod in tempore messuerunt.* Iob. 5. 26. sec. LXX.

c *Cum apud infirmum, & credulum minore metu, & majore præmio peccaretur.* Tac. lib. 1. Hist.

d Tac. lib. 1. Annal.

e *Nulla in præsens formidine, dum Augustus ætate validus, seque & domum, & pacem sustentavit. Postquam provecta jam senectus ægro corpore fatigabatur, aderatque finis & spes novæ: pauci bona libertatis incassum disserere.* Ibid.

f *Ipsa ætas Galbæ & irrisui & fastidio erat.* Tac. lib. 1. Hist.

g *Senectutem Tiberii, ut inermem despiciens.* Tac. lib. 6. Annal.

a opinabantur. Populus illum execratur, quippe quem pro inutili habet instrumento, unde omnia manant gubernationis incommoda ac detrimenta; cumque amor ex utilitate fere nascatur, & nutriatur spe, plerique parvi illum æstimant: nam multum largiri non potest, cui parum vitæ superest. Velut b *precarium* ejus *imperium, & brevi transiturum* habetur; uti Galba c accidit, & Ministri velut accipitres Norvvegiæ, ut diem lucrentur, mox ungues in bona publica injiciunt, officia & gratias pretio divendentes, perinde ut ejusdem Imperatoris Galbæ liberti faciebant.

Cum igitur provecta ætas ad talem pervenerit statum, instructione Principi opus est, magis ut suam agnoscat inhabilitatem, & imperii onus in Successorem transferat, quam documentis ad illud continuandum. Ne falli se sinat ambitione, opinionem & plausum præteritum sibi ponendo ob oculos: neque enim homines Principem, qualis fuerit, sed qualis modo sit, considerant. Nec sufficit aliis metum aliquando incussisse, nisi jam quoque timeri se quis faciat; uti nec bene olim gubernasse, si nunc rite præesse neque possit, neque nôrit: Imperium enim maris instar est, quod cadavera inutilia mox in littus ejicit. Princeps ab animæ forma æstimatur, qua jubet, imperat, punit, & præmiatur; quod si illa una cum ætate deficiat, perit existimatio, atque adeo prudentis erit agnoscere tempori injurias & contemptum ætatis, & subducere se illis, antequam eveniant. Si negotia Principi valedicere debeant, satius est, Principem illis valedicere. Egregium facinus est, suammet agnoscere fragilitatem, & ultro etiam Majestatem deponere ante, quam mors violenter eam eripiat, ne dicatur sibi ignotus obiisse, qui vixit notus omnibus. Cogitet Regale suum sceptrum *d* herbæ illi, cui idem sceptri nomen est, esse simile, quæ brevi tempore in vermiculos convertitur; & si universus terræ globus vix puncti instar est ad cælum comparatus, quid erit unica Monarchia, quid unicum Regnum? Et licet amplissimum etiam fuerit, nihil inde, nisi solum *e* sepulcrum efferet; aut sicut Saladinus dicebat, indusium aliquod mortuale, nulla alia secum asportata *f* gloria. Non semper Reipublicæ vivere debet Princeps, sed tempus aliquod sibi quoque reservare, dando operam, ut sub vitæ occasum mortis horizon immunis & liber sit à vaporibus ambitionis, & à nubibus passionum atque affectuum; uti Sol in præsenti exhibet Symbolo, cui occasionem dedit sepulcrum Iosue, in quo simulacrum Solis erectum fuit, illo tamen discrimine, quod

a *Falsas literas, & Principe invito exitium domui ejus intendi clamitat.* Tac. lib. 5. Annal.

b Idem lib. 1. Hist.

c *Iam afferebant venalia cuncta, præponentes libertati. Servorum manus subitis avida, & tanquam apud senem festinantes.* Tac. l. 1. Hist.

d Theoph. l. de plant.

e *Spiritus meus attenuabitur, dies mei breviabuntur, & solum mihi superest sepulcrum.* Iob. 17. 1.

f *Homo cum interierit, non sumet omnia: neque descendet cum eo gloria ejus.* Psal. 48. 18.

quod ibi positus fuerit in memoriam stationis suæ, quam præstitit voci illius *a* obediendo; hic vero ad significandum, quod sicuti clarus serenusque Solis obitus certum signum est mane sequenti iterum cum serenitate orituri; ita imperium, quod sancte & feliciter clauditur, denotet felicem quoque fore, qui in præmium virtutis & ultimi exempli hujus efficacia in eodem successurus est. Rite vivere & mori etiam docet religiosus ille secessus Caroli V. Imperatoris, tam à curis publicis alieni, ut nunquam amplius de Monarchiæ suæ pristinæ statu sciscitaretur, traducto jam ingenti illo animo ad heroica alias facinora ficto factoque, ad hortuli alicujus culturam, & ad fallendas horas (post spiritualia peracta exercitia) ingeniosis quibusdam artibus.

5. Quod si graves pertimescantur controversiæ, aut seditiones in ipsa Coronæ successione, ad eorum pertinebit prudentiam, qui morienti Principi assistunt, ut mortem ejus secretam habeant, eamque, & quis rerum potiatur, uno eodemque divulgent tempore: in ejusmodi enim casibus populus juveni cuidam equo & nondum domito similis esse solet, qui nisi prius ephippio insternatur, quam illud videat, non admittit. Hac cum prudentia Livia Augusti celavit obitum, donec Tiberius in ejus locum *b* sufficeretur; uti & Agrippina mortem Claudii, ab ipsa veneno sublati, tanta cum dissimulatione, ut eo etiam defuncto ejus nomine cogeretur Senatus, & fierent supplicationes pro ejusdem salute, tempusque suppeteret, ut interim de Neronis *c* successione ageretur.

Divulgato Principis obitu, nec pietas, nec prudentia lacrymas & mœstitiæ signa cohibenda suadet: neque enim Spiritus sanctus ea ullo modo prohibet, quin consulit *d* potius. Abneri mortem universus deploravit populus, & David ipse funus illius usque ad sepulcrum prosecutus *e* est. Etsi enim non desint piæ quædam ac Christianæ considerationes, quæ solari nos possint; licet item certa quædam fuerit Natio, quæ minori immortalitatis luce prædita nascentem lacrymis prosequeretur, & vita defunctum efferret cum gaudio, hæ tamen omnes considerationes pro iis solum sunt, qui ad meliorem vitam transiere, non pro vivorum derelictione & solitudine. Etiam Christus Dominus Servator noster Lazarum à mortuis suscitaturus ad sepulcrum illius lacrymas *f* effundere visus est. Vltima hæc luctus indicia dolori & teneritudini naturalium affectuum prohiberi nequeunt. Bilances sunt, quæ defuncti Principis expendunt merita, quibusque, æsti-

a *Steteruntque Sol, & Luna.* Iosue 10. 13.

b *Simul excessisse Augustum, & rerum potiri Neronem fama eadem tulit.* Tac. lib. 1. Annal.

c *Dum res firmando Neronis imperio componuntur.* Tac. l. 12. Annal.

d *Fili in mortuum produc lacrymas.* Ecclef. 38. 16.

e *Plangite ante exequias Abner, porro David sequebatur feretrum.* 2 Reg. 3. 31.

f *Et lacrymatus est I E S V S.* Ioan. 11. 35.

æstimari potest, in quanto apud populum fuerit pretio; obtusæ item amoris & obedientiæ in subditis, quibus servitutis annuli magis in dies consolidantur, & Successori animus additur. Non oportet tamen ad luctum sumptuosum obstringere populum, ne Principis mors nimis ei grave tributum fiat.

§. Pompa funebris, Mausolea magnifica, adornata statuis & cælaturis magnorum sumptuum, non mera Principum vanitas æstimari debent, sed generosa quædam pietas potius, quæ ultimum designat humanæ Majestatis terminum, & magnificentia illa, qua honorantur, & asservantur eorum cineres, ostendit cultum ac venerationem Majestati debitam: neque enim sepulcra aliud sunt, quam muta quædam historia prosapiæ a Regiæ. Exequiæ Regum Davidis & Salomonis insigni cum pompa & splendore celebratæ sunt.

§. In privatorum exequiis magna vigilantia opus est, facile enim introducuntur superstitiones Religioni noxiæ, illusa imaginatione ex eo, quod à defunctis aut sperat, aut metuit; quia vero etiam funerum sumptus quotidiani sunt, & ad multos pertinent, omnino moderari illos expedit: dolor enim & inanis gloria nimium augere eos solent. Plato sepulcrorum fabricæ certum posuit pretium; uti & Solon, & post eos Romani. Rex Philippus Secundus pragmaticam edidit sanctionem, quæ nimias exequiarum expensas moderatur & corrigit, b *Paraque* (verba ipsius sunt) *lo que se gasta en vanas demonstraciones, i aparienciaś, se gaste, i distribuya en lo que es servicio de Deos, i aumento del culto divino, i bien de las animas de los difuntos.*

§. Vidit hucusque Serenitas Vestra nativitatem, mortem, & exequias Principis, quem ista formant Symbola, hujus ædificii politici fabricæ quasi coram assistens, à primo usque ad ultimum illius lapidem; atque ut nunc eadem Serenitas Vestra omnia facilius recolat, operæ pretium existimavi, aliquam quasi ædificii totius ideam seu speculum hic apponere, in quo illud repræsentetur, sicut in minori major repræsentatur civitas. Erit iste Rex Ferdinandus Catholicus Serenitatis Vestræ Avus, sub cujus glorioso imperio omnes pacis bellique artes floruerunt, & utriusque Fortunæ tam prosperæ, quam adversæ exempla vidimus. Infantia magni istius Regis adulta & virilis fuit. Quod ars & studium in eo perficere nequiverunt, perfecit experientia, transacta in exercitiis militaribus juventute. Otium illius negotium erat, relaxatio animi vigilantia. Affectibus suis dominabatur, magis dictamina secutus politica, quam naturales inclinationes, Deo magnitudinem suam, in acceptis retulit, & gloriam è suis quæsivit facinoribus, non alienis Majorum. Imperium officii loco ha-

a *Quomodo imaginibus suis noscuntur, quas nec victor quidem abolevit, sic partem memoriæ apud Scriptores retinent.* Tac. l. 4. Annal.

b L. 2. tit. 5. l. 5. comp.

habuit potius, quam successione partum. Regno celeritate & præsentia sua quietem reddidit. Evexit Monarchiam virtute & prudentia; firmavit religione & justitia; conservavit amore & auctoritate; exornavit artibus; ditavit agrorum cultura & commerciis, & fundamentis atque institutis vere politicis æternaturam reliquit. Tam aulæ suæ, quam Regnorum Rex fuit; tam in illa, quam in his Oeconomus & Paterfamilias. Liberalitatem temperavit parsimonia, benignitatem auctoritate, modestiam gravitate, clementiam justitia. Animadvertendo in paucos comminatus est multis, & remunerando nonnullos omnium spes aluit. Offensis in personam suam admissis veniam dedit, non iis, quæ ad dignitatem Regiam pertinerent. Subditorum injurias, non secus ac sibi ifactas, ultus est: nam ut Patrem eorundem se gerebat. Statum potius, quam decorum periculo exposuit. Nec Fortuna prospera efferri se passus est, nec adversa dejici. In illa adversus hanc se communiebat; in hac vero sua elaborabat industria, ut ad illam rediret. Tempori ipse servivit, non contra ipsi tempus. Paruit necessitati, eaque opportune usus est, suæ eam utilitati accommodando. Amari se fecit, & metui. Ad dandas petentibus aures fuit facilis. Audiebat, ut sciret, & sciscitabatur, ut instrueretur. Non fidebat hostibus, & à suis etiam amicis sibi cavebat. Amicitia illius erat utilitas publica; cognatio, ratio Status; confidentia sollicita; diffidentia prudens; cautio, providentia; suspicio, circumspectio; malitia, defensio; dissimulatio, tutela. Neminem fallebat, fallebantur tamen alii verborum ipsius & tractatuum æquivocatione, quos tam dextre instituere noverat, ut (si malitiam prudentia superari necesse foret) expedire se nôsset absque eo, quod fidem publicam frangeret. Nec Majestatem illius mendacium fallere audebat, nec scientiam adulatio. Ministrorum utebatur opera, absque nimio tamen & privato erga eos affectu. Consilium eorundem admittebat, regi vero se ab iis minime patiebatur. Quod efficere ipsemet poterat, non committebat aliis. Deliberabat diu, exequebatur celeriter. In iis, quæ facere constituerat, effectus prius innotescebant, quam causæ. Legatos suos sua celabat consilia; quoties cupiebat, ut ipsi suamet opinione decepti tanto efficacius contrariam aliis persuaderent. Diviso cum Regina imperio præesse, & Genero suo obedire noverat. Tributa pro necessitate imposuit, non ex cupiditate aut luxu. Quod urgente necessitate accepit ab Ecclesiis, eadem cessante iisdem restituit. Iurisdictionem Ecclesiasticam veneratus est, & conservavit. Regiam aulam fixo loco non habuit, sed Solis instar, Regnorum suorum orbes per vices obiit. Pacem tractavit cum modestia & gravitate, bellum vi & astu prosecutus est. Nec belli captavit occasionem, nec pacem recusavit. Quod pede occupaverat, brachio & ingenio tuitus est, spoliis factus

fortior. Tantum negotiando, quantum armis suis efficiebat. Quod arte vincere poterat, non attentabat gladio. In hoc magnitudinis suæ ponebat ostentationem, & gloriam suam in insigni exercitu. Bellis intra Regni sui fines semper coram adfuit. Quod jubebat, illud ipsum exequebatur. Sic fœdera sanciebat, ut arbiter maneret, non subditus. Nec victor sese nimium extulit, nec victus cecidit animo. Paces sub scuto firmavit. Vixit omnibus, mortuus est sibi, in memoria tamen hominum tanquam nobilissimum Principum exemplar, & Regnorum suorum desiderio æternum perennaturus.

LAVS DEO.

IN OBITVM
MAGNI POLITICI
Et simul
PII VIRI
DIDACI SAAVEDRÆ
FAXARDO,
EQVITE, &c.

QVo concitato proruis impetu
Præpes viator? mortis imaginem
Rimare vivam, cerne bustum! ad
Exuvias oculum reflecte!
En picta prostat compar araneæ
Subacta leto vita vel innocens,
Nec mars nec ars hunc liberavit,
Imperio Libitinæ ademptum.
Nil jura plebi profuerit vagæ
Dixisse Regum? siccine gloria

Te



Te vermis arrodet ſepultam?
Et putridum teget urna honorem!
Quid ergo Princeps aula favoribus
Suffulta ſpondes amplius? en ruis
Et te caſæ inſtar ruſticanæ
Mors humili tumulabit antro.

APPROBATIO

Admodum R. P. Fr. PETRI DE CUENCA & CARDENAS, *Ordinis Minimorum S. Francisci de Paula, Lectoris jubilarii, Consilii Inquisitionis generalis in Hispania Qualificatoris, Catholicæ Majestatis Exercitus in Italia Vicarii Generalis, Religionis suæ tertio Generalis, & Procuratoris Generalis, &c.*

EX commissione Sancti officii Symbola isthæc Politica perlustravi tam affabre elaborata, ut si cuipiam privilegium foret concedendum, quo opus à se conceptum orbi ederet sine censura aliena, ita ut authoris propria sufficeret, id huic operi certe donandum judicarem, ad exemplum optimi artificis Dei, qui ea, quæ creaverat singula, adprobavit universa, *vidit quippe cuncta quæ fecerat & erant valde bona.* Opus hoc siquidem tale est, quod authore ipso nec æquiorem potest habere censorem nec digniorem, etenim (ut inquit D. Ambrosius) *liber ipse per se loquitur.* In illo siquidem Ratio status tanta ornatur eruditione, tam sapientibus discernitur aphorismis, tam profundis elevatur sententiis, ut sicuti Corduba nobis Senecam datum Philosophum, ita Murcia hunc nobis natum Politicum gloriari possimus. Id unum doleo, quod eo frui priores nequiverint ætates, sic enim Carolus V. Imperator non indiguisset Comineo, Marcus Brutus Polybio, nec Augustus sensisset laborem in elucubranda proprio calamo, Imperii narratione. Quod si maximum & supremum opus naturæ consistat in generatione Regis, & productione Principis, miscendo in ipsius generatione aurum, summæ scilicet perfectionis, rem curando, prout ajebat Plato, *quod natura intendens generare Regem, miscuit aurum,* hic liber sane naturam aliquatenus excedit, cum mundo morali progignat reges tam locuplete partu, ut cuivis vastissimæ liceet, Monarchiæ abundanter prospiciatur, ea cautela ac prudentia, ut & secura sit hoc partu nostra sancta fides, & sciendi appetentia expleatur, & labor censendi utrobique minuatur. Hoc itaque censendo præsentem librum egi ut nihil apud Authorem mereter, cum materiæ pulchritudo libertatem judicio non relinquat, quare pareo doctrinæ Magni Bernardi ajentis: *disce verecundia decorare fidem, reprimere præsumptionem.* Mediolani 20 Martii 1642.

F. PETRUS de CUENCA, Y CARDENAS.

CENSURA.

ATtentâ relatione prædictâ admodum R. P. Mag. Fr. Petri de la Cuenca, i Cardenas, *concedimus ut*

IMPRIMATUR.

Fr. *Basilius* Commiss. S. Offic. Mediolan.
Io. *Paulus Mazuchellus* pro Eminentiss. D. Cardin. Archiep.
Comes *Majoragius* pro Excellentiss. Senatu.

ORDO

ORDO
TOTIVS OPERIS,
SIVE
SYMBOLORVM
in eo contentorum
ELENCHVS.

Principis Educatio.

SYMBOL.

Quomodo in actionibus suis Princeps sese gerere debeat.

Cc XX. *Noverit*

Qualem deceat esse Principem in Subditos & Exteros.

Quo pacto Princeps erga Ministros se gerere debeat.

LIII. In-

Qualem se Princeps in regimine Regnorum & Statuum suorum exhibere debeat.

Quomodo in malis tum internis, tum externis Princeps se gerere debeat.

Quid agendum Principi in Victoriis & Conventibus Pacis.

Quid agendum Principi in Senectute.

FINIS.